Höfer, über einige corrupte Stellen in den Schriften des Tacitus. M…
1851 (Progr.) (Caesar, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 18…

Tacitus ed. Orelli I Tom.

— ed. Dübner. Paris 1845 Didot XVI. 500. 3/4 …

Philologus 1847 I. 201.

Studia critica in mediceos Taciti codices scr. Dr. Heraeus. Cas…

Quid Tacitus de animae divinae iudicaverit. Lyons Progr. 1852.

C. CORNELII TACITI

ANNALES

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

TOM. I.

SEX PRIORES ANNALIUM LIBROS

COMPLECTENS.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

MDCCCXXXI.

C. CORNELII TACITI

OPERA

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

TOM. I.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

MDCCCXXXI.

PRAEFATIO.

I. DE C. CORNELII TACITI VITA.

§. 1. *De nomine viri.* In veteribus libris plerumque dicitur *Cornelius Tacitus* praenomine neglecto. Sic apud Plinium in inscriptionibus epistolarum, quas Tacito misit. cf. Plin. epp. I, 6. I, 20. IV, 13. VI, 9. VI, 16. VI, 20. VII, 20. VII, 33. VIII, 7. IX, 10. IX, 14. et in contextu epp. II, 1. II, 11. IV, 15. IX, 23. Eandem rationem servant codices quidam MSS., quibus Taciti libri continentur, ut MSS. Flor. Langobard. et Vaticani 2964., 3429., 5393. Ita et editio Puteolani.

Caii praenomen Lipsius repetiit e cod. MS. Farnesiano, qui inscribitur: *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis ex his qui reperiuntur liber primus incipit.* Consentiunt codd. MSS. Vaticc. 1518., 1862., 4498. et Regius. Consentit etiam Sidonius Apollinaris in epp. IV, 14., qua Polemio scribit: *Caius Tacitus e maioribus unus tuis, Ulpianorum temporum consularis* etc. et ad Leonem IV, 22. *Namque et antiquitus cum Caius Cornelius Tacitus Caio Plinio Secundo paria suasisset* etc. Ante Lipsium Philippus Beroaldus e cod. MS., qui priores Annalium libros complectitur, ediderat: *P. Cornelius Tacitus*, eumque Beroaldum secuti sunt Alciatus, Rhenanus, Aldus aliique.

§. 2. *De Taciti aetate.* Dignitate publica artibusque egregiis floruit sub imperatoribus Vespasiano,

Tito, Domitiano, Nerva, Traiano. Quibus consulibus sit natus, certo non constat: verisimilis tamen videtur esse ea computatio, qua natales Taciti conferuntur in an. urb. 805. vel 806. vel 807. (p. Chr. 52—54.). Nam Plinius epp. VII, 20. se et Tacitum aetate et dignitate propemodum aequales dicit, ita tamen ut mox profiteatur se adolescentulum fuisse, cum iam Tacitus fama gloriaque floruerit. Quam famam gloriamque haud inepte referes ad eloquentiam, qua Tacitus iuvenis in foro et iudiciis excelluit ante initos honores, aetatis annis vicesimo fere et insequentibus. Ea enim aetate tunc iuvenes ingressos esse res gerendas docet exemplum Plinii, qui anno undevicesimo dicere in foro coepit. cf. Epp. V, 8. *Adolescentulus* autem Plinius cogitandus erit, qui posita praetexta puerili versaretur in scholis rhetorum. Formae diminutivae quoque suam vim tribuendam puto, ut cogites hominem vix pueritiam egressum, haud maiorem quam quattuordecim, quindecim vel sedecim annorum. Hinc intelliges sex vel octo ad summum annos inter utriusque viri aetatem intercessisse. Ne maiorem credas numerum, ipsa res dissuadet. Nam propemodum aequalis alteri videtur non esse, qui decennio integro eius aetatem antecedit. Iam Plinius, ut ipse testatur Epp. VI, 20., duodevicesimum annum agebat eo die, quo eius avunculus Plinius maior in montis Vesuvii incendio periit: idque accidit autumno an. urb. 832. p. Chr. 79. Natus igitur ille an. u. 814. p. Chr. 61. Hinc numeres.

Alius locus, quem ad hanc computationem vocare licet, exstat Tac. Hist. I, 1. ubi dignitatem suam a Vespasiano inchoatam refert. Quem primum dignitatis gradum si intelligimus quaesturam, uti convenit rebus Romanis, putamusque eum honorem Tacito contigisse illa aetate, qua tunc solebat, ante obitum Vespasiani (an. urb. 832. p. Chr. 79.) Tacitus explevit vicesimum quintum, sextum vel septimum aetatis annum. Nam apud Dionem 52, 20. Maecenas Augusto dicit: *Καταλέγεσθαι δὲ χρὴ ἐς μὲν τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκέτεις· ἐς δὲ τὸ συνέ-*

δριον πεντεκαιεικοσιέτεις. Incipiebat autem dignitas senatoria a quaestura: et hanc Taciti temporibus ea qua Maecenas vult aetate iniri solitam arguunt exempla. Agricola enim, socer Taciti, ambiit quaesturam, quum ageret annum vicesimum quintum. cf. Tacit. Agr. c. 6. ibique Walch. Tito Vespasiani filio matura petendis honoribus (h. e. tribunatui aut aedilitati: nam quaesturam Titus prius gesserat) iuventa tribuitur (Tacit. Hist. II, 1.), quum esset septem et viginti annos natus. cf. Sueton. Tit. c. 1. Aliquam etiam de Taciti aetate notitiam adfert locus Ann. III, 16. sed vagam.

§. 3. *De patre Taciti.* Haec quaestio multo magis est dubia. Quam ut fulcirent, viri docti in auxilium vocarunt locum Plinii H. N. VII, 16. *Invenimus in monimentis Salamine Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem, et iam puberem factum, voce robusta, absumptum contractione membrorum subito triennio circumacto. Ipsi non pridem vidimus eadem ferme omnia praeter pubertatem in filio Cornelii Taciti equitis Romani Belgicae Galliae rationes procurantis.* At Cornelium hunc Tacitum fuisse Taciti nostri patrem desunt plane documenta, quibus probetur, nec ullus usquam exstat locus aut monimentum, unde divinemus, quo sanguinis gradu alter alteri connexus fuerit. Neque plus lucis huic rei adfert inscriptio, quae apud Reinesium p. 103. legitur: *Apollini Rationatoris honore usurus secundum Cornelius, Verus Tacitus erexit munimenti loco.* Nam uti satis verisimile est eundem ibi haberi virum, cuius Plinius mentionem fecit, ita iisdem tenebris premimur. Ceterum cf. de hac re Passovius in: *Philomathie* I. p. 58., Daunou in: *Biographie universelle.* T. XLIV. p. 165 sqq. Ut Plinii Cornelium Tacitum cum Lipsio (in vita Taciti) hunc ipsum nostrum fuisse putes, non patitur temporum ratio. Quomodo enim Plinius, qui mortuus est an. u. 832. potuit videre trium annorum filium viri, qui an. u. 830. iuvenis uxorem duxerat? Woltmannus (Tom. V. p. 217 sqq.) opinatur scriptorem

nostrum fuisse filium illum Cornelii Taciti, de quo Plinius loquitur. At quis unquam sibi persuadebit ex monstro illo pueri potuisse fieri Tacitum nostrum?

§. 4. *De patria Taciti.* Interamnates (municipium est Umbriae, hodie *Terni*) ut civem suum sibi Tacitum vindicant imaginemque eius ostendunt in Apostolico palatio: statuam quoque ei posuere an. p. Chr. 1514. Nec procul oppido tumuli olim exstabant, quis Taciti reliquias tegi fama ferebat. Tumulos turbavit disiecitque Hector Simonetta, quia Tacitus de sacris Christianorum male locutus tale quid meruisse videbatur. cf. Francisc. Angeloni Hist. di Terni p. 42 sqq. Hanckius de scriptt. Rom. II, p. 270. Nihil tamen in Taciti libris aut aliis veterum scriptorum monimentis superest, quo haec gloria firmetur Interamnatibus.

§. 5. *De adolescentia et studiis Taciti.* Adolescentiam transegit studiis, quis excoleret animum atque praepararetur ad res in foro iudiciisque agendas et magistratus capessendos. cf. Dial. de Orator. c. 2. *Venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili* etc. Praecipuam eloquentiae laudem rettulit. Nam Plin. epp. II, 1. scribit: *Huius viri* (Verginii Rufi) *exsequiae magnum ornamentum principi, magnum saeculo, magnum etiam foro et rostris attulerunt. Laudatus est a consule Cornelio Tacito. Nam hic supremus felicitatis eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.*

An castrensia stipendia fecerit, vix dubitari potest, quanquam nihil de his fama tulit. Credo acri litterarum studio abreptum rebus militaribus parum dedisse operae, nec frustra ipsum Ann. XII, 12. scripsisse: *militares artes per otium ignotae, industriosque aut ignavos pax in aequo tenet.*

§. 6. *De eius matrimonio.* Anno urb. 830. p. Chr. 77. iuvenis uxorem duxit filiam Agricolae. cf. Tac. Agr.

c. 9. Quam progeniem habuerit ex eo matrimonio, non proditur. Non tamen sine prole Tacitum nostrum decessisse plerique arbitrantur, quia Tacitus imperator (obiit an. p. Chr. 276.) eum inter maiores suos coluit testante Flavio Vopisco in Tacit. c. 10. Apollinaris etiam Sidonius (epp. IV, 14.) epistolam scripsit Polemio cuidam, inter cuius maiores Tacitum nominat. At Taciti imperatoris atavus potuit esse patruus nostri scriptoris.

§. 7. *De honoribus Taciti.* Quaesturam paulo post initum matrimonium a Tacito captam reor, ut temporum ratio bene constet. Nam ipse scribit (Hist. I, 1.) dignitatem suam a Vespasiano inchoatam neque vero auctam ab eodem, sed a Tito: inde patet quaesturam tantum a Vespasiano ei contigisse, aedilitatem vel tribunatum a Tito. Secundos autem hosce honores plerumque uno vel duobus annis interpositis post quaesturam capi solitos arguunt exempla. Sic Agricola postquam anno urb. 816. quaestor fuerat, an. 818. tribunus factus est. cf. Tacit. Agr. c. 6. Iam non est causa, cur Tacitum iuvenem fama gloriaque florentem domuique praecipuae dignitatis connubio adnexum ex quaestura tres quattuorve annos alterius honoris exspectatione detentum putemus. Quare coniiciemus quaesturam viri cadere inter annos urb. 830—832. eiusque dignitatem a Tito auctam esse an. u. 833. vel 834.

Praetura fungebatur eo anno, quo Domitianus imperator ludos saeculares edidit, iisque ludis tunc Noster adfuit sacerdotio quindecimvirali praeditus. cf. Tac. Ann. XI, 11. Edidit autem Domitianus anno, quo ipse consul erat XIII. cum L. Minucio Rufo h. e. an. urb. 841. cf. Censorin. c. 17.

Praetura functus Tacitus an. 843. cum uxore urbe cessit et per quadriennium abfuit. cf. Tac. Agr. c. 45. Causam absentiae varie interpretantur. Alii putant missum pro praetore in provinciam, quod satis est verisimile. Alii exsulem fuisse opinantur, quod idoneis documentis probari nequit. Obstant immo huic opinioni

verba Agr. c. 44. ubi Agricola dicitur *salvis adfinitatibus et amicitiis futura effugisse.* Nam si generum ille exsulem reliquisset, non poterat dici *salvis adfinitatibus* decessisse. Lipsius taedio temporum et cupidine otii Tacitum secessisse censet. Sed quae Noster in Agr. c. 45. queritur, necessitatem potius absentiae arguunt.

Post soceri excessum, qui accidit an. u. 846. (cf. Tac. Agr. c. 44.) mox se Romam rediisse ipse testis est. cf. Agr. c. 45. *Mox nostrae duxere H. in carcerem manus* etc. Helvidii enim accusatio et damnatio cadit in annum 846. vel 847. Domitianus decessit an. 849. Iam *nostrae manus* quidem non unice sunt Taciti, sed senatorum in universum. Verum totus locus ita est verbis conceptus, ut Tacitum rebus illis tristibus praesentem fuisse facile intelligas. Minime igitur dubia est haec res, ut videtur Weikerto in Introductione ad ed. Tac. p. XIX.

Consul cum Nerva fuit an urb. 850. suffectus in locum T. Verginii Rufi, quem mortuum pro rostris laudavit. cf. Plin. epp. II, 1.

§. 8. *De Taciti obitu.* Quem vitae finem Tacitus invenerit, plane incertum est. An sub Hadriano imperatore vixerit, nullum quidem exstat documentum, neque tamen quidquam in contrariam partem adfirmari potest. Verisimilius tamen habetur illum Hadriani temporibus fuisse in vivis. Nam Annalium libros certe non ante annum p. Chr. 116. vel 117. edidit, et anno 117. Hadrianus Traiano successit. cf. infr. §. 12.

II. DE SCRIPTIS TACITI.

§. 9. *Vita Agricolae.* Inde e consulatu suo Tacitus se paravit ad componenda opera illa, quis immortale nomen apud posteros adeptus est: et primum tum scripsit vitam Agricolae, soceri. Nam principio eius libri (c. 2. et 3.) tam luculenta insunt documenta Taci-

tum historiae scribendae initium inde cepisse, ut non opus sit longiore huius rei expositione.

§. 10. *Liber de Germania.* Quo tempore liber de Germania prodierit, docet locus c. 37. *Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone coss. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur.* Nam si quaerimus, cur Tacitus, cum haec scriberet, in illa annorum computatione ad alterum Traiani consulatum substiterit, vix aliam eius rei rationem inveniemus quam quod alterum tunc Traianus consulatum gereret. Pertinet igitur illius libri editio ad ann. urb. 851. vel 852.

§. 11. *Historiarum libri.* Compositi sunt eodem Traiano imperante. Documento sunt verba Hist. I, 1. *Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet.* Nam hic epitheton *divi* ad nomen Nervae positum, omissum ad Traiani vocabulum satis arguit haec esse scripta et edita post mortem Nervae et ante obitum Traiani. Historiarum opere complexus est res Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani, Titi et Domitiani (cf. Hist. I, 2. *quattuor principes ferro interempti*) per quattuordecim libros, ut videtur. De quattuordecim libris testis est Hieronymus in commentariis ad Zachariam c. 14. Verba sunt: *Haec omnia plenissime Iosephus, qui Iudaicam scripsit historiam et multo maiora, quam legimus in prophetis, eos sustinuisse commemorat: Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.* Hieronymus enim libros Annalium et Historiarum una serie numeravit. Iam Annalium quum sint sedecim, inde consequitur Historiarum fuisse quat-

tuordecim. Novem penitus perierunt, supersunt quattuor integri et initium libri quinti. At sunt qui numerum quattuordecim librorum rebus usque ad Nervam enarrandis haud suffecisse putent. Quare suspicantur Hieronymum recte quidem dixisse triginta volumina, quibus Tacitus Historias videatur edidisse, falso autem eundem Hieronymum illo numero utrumque opus, Annalium et Historiarum, esse complexum. cf. *Niebuhr, über den Unterschied zwischen Annalen und Historie* in: *Rheinisch. Museum für Philologie* etc. II. Jahrg. 2. Heft, p. 293 sqq. Sed vix credibile est Hieronymum, qui diserte addit *post Augustum usque ad mortem Domitiani*, istum quem imputant errorem commisisse in re litteratis tunc temporis hominibus haud dubie tritissima. Nihil contra dicerem, si scriptor ille verbis proxime laudatis non expressis simpliciter dixisset: *qui vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.* Ceterum e temporis spatio, quod superstites Historiarum libri complectuntur, nihil certi definiri potest de numero perditorum librorum, qui debebat congruere non annis, sed rebus gestis.

§. 12. *Annalium libri.* Hos prodiisse post absolutum Historiarum opus docet locus Ann. XI, 11. *Utriusque principis rationes praetermitto satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui.* Accuratius etiam editionis tempus definiri potest e loco Ann. II, 61. *Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.* Namque ad hunc terminum Traianus imperium promoverat expeditione in Orientem facta an. urb. 867. et 868. (p. Chr. 114. et 115.). Igitur scribi illa nequiverunt ante an. urb. 868.

Ceterum in codicibus MSS. veteribusque editionibus duo opera Annalium et Historiarum ita coniunguntur, ut unum videantur efficere numerenturque Historiarum libri post Annalium eadem serie. At diversum esse utrumque opus diversoque tempore editum satis in-

telligitur ex iis, quae hucusque disputavimus. Immo interna etiam utrorumque librorum indole considerata diversam cognosces rationem artemque. Namque in Historiarum libris, qui supersunt, omnes res ita sunt descriptae atque concinnatae, ut ad unum consilium redeant uniusque argumenti vinculo contineantur. Quare haud inepte totum illud opus unam dicemus historiam. Annalium libri in eo diversi sunt, ut non unum habeant caput argumenti, ad quod omnia referantur, sed potius imaginem temporum exhibeant singulis partibus variam. Historias adsimulares carmini epico: Annales sine artificio res et simpliciore narratione coniungunt. Quare modestiore Annalium nomine ipse Tacitus hos libros nominavit. cf. Ann. III, 65. IV, 32. XIII, 21. Adde Ann. IV, 71. Consentit Iornandes in rebus Goth. I, 2. qui Nostrum dicit Annalium scriptorem. Alterum opus *Historiarum* titulo iam antiquitus insigne fuisse indicat Tertullian. in Apolog. adv. gent. c. 16. ubi leguntur haec: *Somniastis caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in quinta Historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis* etc. cf. Hist. V, 4. Vix igitur dubitari potest hos libros Annalium, illos Historiarum nomine e manu Taciti prodiisse. Quare Rhenanus non satis recte Annalium titulo utrosque libros complexus est, quanquam bene delevit inscriptionem prioribus editoribus receptam: *Actionum diurnalium historiae Augustae* vel *Actorum diurnalium.* Nam auctor ipse libros suos ab *actis diurnis.* diserte distinxit Ann. XIII, 31. Beroaldus Annalium Historiarumque libros simul inscripsit: *Ab excessu divi Augusti historiarum libros.* In codice Corbeiensi, quo usus est, titulum hunc reppererit an excogitaverit ipse, nesciebat Rhenanus: hodie constat codicem illum pro capite nihil aliud habere quam: *P. Cornelii Taciti*, eaque non eadem manu, sed alia recentiore exarata. cf. Ryckius ad Ann. I, 1.

Iuvat addere locum de discrimine *Historiarum* et *Annalium* egregium, qui est apud Cicer. de Orat. II, 12.

Angelus Arcimboldus quaestor pontificius e Dania rediens in monasterio Corbeiensi Vestphaliae repertum detulit ad Leonem X. pontificem Romanum: postea is liber venit Florentiam. Complectitur sex priores Annalium libros ante repertum illum codicem incognitos nec ullo MSto alio inventos. Nam qui liber Ioan. Iocundi Veronensis ab interpretibus memoratur recens descriptus est e codice illo antiquo. Perperam igitur faciunt, qui in commentationibus ad sex priores Annalium libros dicunt in hac vel illa scriptura codices MSStos omnes conspirare. Vid. Ricklefs. ad Ann. I, 10. Antiquissimum codicem perhibent. cf. Taurellus in praefat. ad Pandectas ed. Flor. An. 1553. — Broterius in praefat. ed. Tacit. — Pertzius, *Italienische Reise* p. 45., qui vidit codicem multis locis a recenti manu (fortasse Beroaldi primi editoris) emendatum. Finis est in media plagula, unde fortasse coniicias librum esse descriptum ex alio codice aeque mutilo nec ampliore. — Monument. Paderborn. p. 69. 79. — Montefalcon. bibl. MSS. p. 374. — Ernestius in praefat. ed. Tacit. — Inde libros Annalium, qui insunt, primus edidit Philippus Beroaldus an. 1515. Eundem librum postea excussere Curtius Pichena et Iacobus Gronovius.

Alius codex Florentinus litteris Langobardicis scriptus continet ceteros Annalium libros, qui supersunt, inde ab undecimo et Historiarum quattuor libros integros cum fragmento libri quinti. Subscriptionem habet in calce hanc: *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix Olibrio et Probino coss. in foro Martis controversias declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Attico coss.* Quae subscriptio Pichenam deceperat, ut an. p. Chr. 395. librum scriptum iudicaret. At verba illa oscitanter a librario quodam repetita ex antiquiore codice rectius censuit Ryckius ad Hist. I, 1. Nam scriptura Langobardica posterius aevum arguit, ut saltem ad saeculum septimum vel octavum ille liber referri debeat. Hunc quoque codicem contulerunt Pichena et Iac. Gronovius. Sed ante

Pichenam eiusdem libri collationem instituerat Petrus Victorius reliqueratque margini exemplaris Beroaldini adscriptam, unde nunc primo publici iuris eam facimus. Sed de hac re infra dicetur. Praeterea in eadem bibliotheca Florentina Pichena et Broterius alios duos codices MSStos viderunt, sed recentissimos, quorum alter incipit ab undecimo Annalium libro, finitur exeunte libro secundo Historiarum, alter eosdem Annalium et quinque Historiarum libros complectitur. Pichena ex hisce codicibus uno alterove loco quaedam attulit neque tamen iustam eorum collationem instituit. Nam tum demum in auxilium eos vocavit, cum codex litteris Langob. scriptus defecisset. Exspectant igitur virum doctum, qui evolvat et nobiscum communicet quae praebuerint subsidia.

§. 15. *Codices MSS. Vaticani.* Insunt iidem Annalium Historiarumque libri quattuor codicibus in bibliotheca Vaticana a Broterio repertis, qui inscribuntur: *Cornelii Taciti actorum diurnalium Augustae liber XI.* Numerantur et describuntur sic:

Cod. MS. Vatican. 1863., membranaceus, exaratus saeculo XIV. exeunte aut ineunte XV., similis codici MSto bibliothecae regiae Parisiensis. cf. §. 17.

Cod. MS. Vatican. 1864., membranaceus et eiusdem cum illo aetatis, nec absimilis ei codici, quem Lipsius Farnesianum appellat. Ita testatur Broterius.

Cod. MS. Vatican. 1958., cuius aetas in libri fine expressa est sic: *Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me quantum reperi fideliter ab exemplo transcripsisse, quod inter cetera, de quibus scitur, non est neque pessimum neque mendosissimum.* Τέλος Θεῷ Χάρειν. *Die septimo decimo Octobris ab ortu Salvatoris nostri domini Iesu Christi anno MCCCCXLVIIII Genuae pridie festum divi Lucae Evangelistae.*

Cod. MS. Vatic. 2965, chartaceus et recens. Accuratiorem notitiam Broterius non addidit.

Ex his codicibus Vaticanis Lipsius novit tres priores, ut videtur. M. Vertranius quoque libros quosdam Vaticanos excussit et in notis suis eorum scripturam exhibuit, sed perraro. Gabriel Broterius contulit omnes, sed parum diligenter, quod dolemus: nam inter eos codices, qui supersunt, vix aliis erunt postponendi excepto optimo illo Florentino.

§. 16. *Codd. MSS. Oxonienses.* Broterii opera innotuerunt tres, qui complectuntur Annales sex posteriores et Historias.

Cod. MS. Harleianus, scriptus anno 1452., quod intelligitur e nota librarii loco Hist. III, 34. addita: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLII*, ortus e cod. Genuensi ut MS. Vatic. 1958. et collatus cum cod. MS. Vat. 1863. aliove simili.

Cod. MS. Bodleianus, Genuae descriptus an. 1463., uti patet ex nota in fine addita iisdemque verbis concepta, quae sunt in Vatic. 1958.

Cod. MS. Collegii Iesu, descriptus e cod. Genuensi an. 1458., quod docet nota librarii loco Hist. III, 34. adposita: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLVIII.*

Hos idem in usum vertit Broterius in recognoscendis Taciti libris. Codicem Colleg. Ies. etiam Iac. Gronovius et Bodleianum Abraham Gronovius contulerunt, quorum excerpta inveniuntur in calce edit. Iac. Gronovii. Traiect. Batav. 1721. et in calce ed. I. Fr. Gronov. 1672. An idem sit Bodleianus Gronovii, qui Broterii, nondum liquet mihi: nam sunt quaedam discrepantiae inter utriusque viri collationes. Inscribuntur libri illi Oxonienses: *Cornelii Taciti actorum diurnalium Augustae historiae liber XI.*

§. 17. *Codd. MSS. Parisienses.* Hi sunt: *Cod. MS. regiae bibliothecae Parisiensis* ideoque vulgo dictus *Regius*: chartaceus, scriptus sub finem saeculi XV.,

nec tamen spernendus, quia ab eodem codice profectus videtur, ex quo fluxit editio Spirensis. cf. §. 20. Inscribitur: *C. Cornelii Taciti Historici illustris XXX librorum, quos aedidit, fragmenta incipiunt.* Hoc codice usi sunt Ryckius, Lallemandus, Broterius.

Codex Corbinelli h. e. exemplum editionis Beroaldi, ad cuius oram Iacobus Corbinelli variam scripturam ex aliquo MSto addidit. In plurimis locis consentit cum codice Farnesiano, quem Lipsius laudavit. Quae insunt, idem Broterius publici iuris reddidit.

Codex MS. bibliothecae Institutionis Oratorii Iesu: membranaceus, quem contulit I. H. Dotteville.

§. 18. *Cod. MS. Budensis*, ἀνεπίγραφος, membranaceus, e bibliotheca Matthiae Corvini regis, eiusdem iussu, ut videtur, Florentiae scriptus ideoque Regius a Rhenano dictus. Hunc librum excusserunt Rhenanus olim et nuper Oberlinus, qui accurate eius codicis rationem historiamque descripsit in praefatione ed. Tacit. — Hereditario iure ad Dorsnerum tormentariae rei per Galliam praefectum venit, isque eum librum Oberlino praebuit.

Cod. MS. Agricolae. Nomen habet a vetere possessore Rodolpho Agricola. Dein venit in manus Nicolai Heinsii et mox Th. Ryckii. Ubi nunc sit, nescio.

Cod. MS. Guelferbytanus, membranaceus et nitide scriptus: continet centum et quadraginta duo folia decemplicata: in calce decimi cuiusque folii pro custodibus, qui dicuntur, exstant primordia sequentis paginae. Inscribitur in fronte: *Cornelii Taciti Actorum diurnalium Liber* XI. *Augustae historiae.* Duodecimus Annalium liber in fronte destituitur inscriptione: in eius fine leguntur haec: *Cornelii taciti Actorum diurnalium Augustae historiae Liber XII. explicit. Incipit XIII.* Eadem ratione utuntur sequentes libri. Historiarum libri cum Annalibus una

serie numerantur. Compendiis utitur vulgaribus illis: *ã*, *ẽ*, *ĩ*, *õ*, *ũ* vel *a*, *e*, *i*, *o*, *u* = *am*, *em*, *im*, *om*, *um* vel *an*, *en*, *in*, *on*, *un*. — *ę* = *ae*. — *a*, *e*, *o* etc. = *ar*, *er*, *or* vel *are*, *ere*, *ore* etc. — *q* = *qui*. — *q* = *quam*. — *q* = *quod*. — *qs* = *quis*. *qd* vel *qd* vel *q* = *quid*, *quod*. — *q* = *quidem*. — *p* = *per* et *par*. — *p* = *pro*. — *p* = *prae*. *q3* = *quoque*. — *et* = *etiam*. — *an* = *ante*. — *d* = *de*. — *ñ* = *ne*. — *t* = *tur*. — *ul* = *vel*. — *periñ* = *perinde*. — *aĩo* = *animo*. — *oĩa* = *omnia*, *omina*. — *ipi* = *ipsi*. Ibidem scribitur *quoi* pro *cui*, *quoius* pro *cuius*, *quom* pro *quum* (saepius *quum*), *sęvus* et *sęuitia* pro *saevus* et *saevitia*, *ortus* pro *hortus*, *ceptus* pro *coeptus*, *contio* et *contionari* pro *concio* et *concionari*, *phama* pro *fama*, *questus* pro *quaestus*, *noquam* pro *nunquam*, *no* pro *num*, *coatus* et *accintus* pro *coactus* et *accinctus*, *quur* pro *cur*, *sequutus* constanter pro *secutus*. Saepissime codex ille litteram *n* in praepositione *in* ante *p* mutat in *m*, ut *impace*, *imposterum*. Idem ubique praefert scripturam *mile* pro *mille*. Alia huic libro propria suis locis indicantur.

Adservatur nunc in bibliotheca ducali sub numero 118. Gud.: olim possessorem habuit P. Candidum, qui sua manu in libro scripsit ab se emptum esse Ferrariae an. MCCCCLXI. die lunae XXVIII. Septembr. Huius codicis collationem ediderant Ernestius et Strombeckius: neque tamen inutilis fuit opera, quam iterum posui in eodem libro excutiendo. Nam permultis locis ibi inveni scripturam ab editis libris discrepantem, quam neque Ernestius nec Strombeckius adnotaverat. Quaedam inde apud utrumque falso adnotata deprehendi. Pretium fuit noscere quaecunque ibi continerentur,

quia Guelferbytanus ille eiusdem est familiae cum codicibus Oxoniensibus et plerumque cum his ita conspirat, ut e Guelferbytano possis scripturam Oxoniensium divinare, si quando Broterius eam non prodidit. Multae insunt correctiones a recentiore manu factae, quae plerumque consentiunt cum editione Spirensi: sed nonnunquam ab ea discrepant.

Codex Spinae, qui Heinsio laudatur ad Hist. V. aliquoties, nemini praeterea innotuit.

Cod. MS. Mirandulanus, cuius collationem protulit Pompeius Lampugnanus (Marqu. Freherus) in libro: *Collatio notarum I. Lipsii in C. Tacitum cum MS. Mirandulano. Bergomi* 1602. Lipsius iudicavit hunc codicem MStum aut nullum esse aut nullius pretii. cf. *Iusti Lipsii dispunctio notarum Mirandulani Codicis ad Cornelium Tacitum*, *ed. sec.*, *Antverpiae ex officina Plantiniana.* MDCVII.

Cod. MS. Hispanus Covarruviae Lipsio aliquoties commemoratur, qui habuit collationem eius libri ab Andrea Schotto factam.

Cod. MS. Sambuci eidem Lipsio laudatur, qui vidit Vindobonae. cf. Lips. ad Hist. II, 27.

§. 19. Qui codices MSSti, quanquam plures sunt numero, non tamen ita satisfaciunt, ut idonea auxilia nobis suppeditent: immo plerisque locis vera scriptura uno codice Florentino Langobardico nititur. Nam ceteri libri aut consentiunt cum illo, aut nugas ferunt, ubi dissentiunt, aut denique posterioris sapientiae bonaeque emendationis dona praebent, ubi feliciter inde discrepant. Contra in iis locis, quos codex Flor. habet notabiliter depravatos mutilosque, ceteri omnes hariolantur, nec usquam damna resarciunt. Et Hist. III, 5., ubi cod. Flor. peccat transpositione longioris loci, ne unus quidem inter ceteros libros veram rationem tenuit. cf. ibi not. Quo satis manifestatur ex uno fonte fluxisse omnes. Quare plerique arbitrantur codicem illum Flo-

rentinum esse fontem, unde ceteri codices MSSti omnes fluxerint. Quod licet indubiis argumentis firmari nequeat, satis tamen verisimile est, dum ne putes ex ipso, qui nunc est, Florentino singulos ceterorum descriptos. Pone potius unum aliquod exemplum e Florentino primum exortum, unde dein alii et ex his rursum alii originem traxerint. Nam quia codex Flor. recte videtur referri ad saeculum septimum vel octavum, reliqui autem omnes pertinent ad saeculum decimum quintum, satis longum fuit inter utrosque temporis spatium, quo potuit unum et alterum describi exemplum, quod deinde eos procreavit codices qui supersunt.

Iam nepotes hi sive pronepotes codicis Florentini in duas potissimum discesserunt familias, quarum alteram dixerim Genuensem, alteram Romanam eamque avo propiorem. Ad hanc pertinent codd. MSS. Vaticani 1863. et 1864., Regius Parisiensis, Corbinelli, editio Spirensis. Eiusdem stirpis proles videtur esse codex Agricolae, quanquam degener et maiorum auctoritatem parum curans. Plurimis locis hic liber consentit cum editione Spirensi: quae ubi aperta laborat depravatione, codex Agricolae plerumque indulget emendandi studio. Alterius familiae haec innotuerunt capita: Vatican. 1958., tres Oxonienses (Harl. Bodl. Ies.) et Guelferbytanus. Ex eodem fonte derivatae sunt editiones Puteolani. — Cod. MS. Bud. inter utrosque fluctuat, ut nescias ad quos praecipue pertineat. Reliquorum codicum indoles nimis adhuc occulta mansit, quam ut certi quid de eorum genere definiri possit.

Quae hactenus disputata sunt de codicibus MSStis, spectant ad Taciti Annales et Historias. Nam de iis codicibus, quibus minores Taciti libri continentur, commodius dicemus in quarti voluminis praefatione.

IV. DE LIBRIS IMPRESSIS, QUIBUS TACITI SCRIPTA PROPAGATA SUNT.

§. 20. *Editio Spirensis*, forma maxima, princeps omnium, sine titulo aut loci temporisque nota. Nomen inditum est ab officina, unde prodiit. Namque in calce operis leguntur haec:

Finis Deo laus
Cęsareos mores scribit Cornelius. esto
Iste tibi codex: historię pater est.
Insigni quem laude feret gens postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suę.

Hodie inter viros talium rerum gnaros constat non Ioanni de Spira, sed Vendelino illius fratri, qui Ioanni successit, eam gloriam esse tribuendam librumque Venetiis prodiisse anno p. Chr. 1470. cf. *Ebert*, *Allgem. Bibliogr. Lexicon*, *zweiten Bandes fünfte Lieferung* p. 872. nr. 22184. Ex quo codice MSto Spira sua hauserit, incertum, interque eos codices MSStos, quorum scriptura hucusque innotuit, nullus Spirensi libro plane similis est. Plurimum tamen consentit cum cod. MS. Regio Parisiensi et cum illo quem Broterius dicit Corbinelli, neque vero omnibus in locis. Multa etiam habet communia cum MSS. Vaticann. 1863. et 1864. Saepe propria scriptura utitur haud raro insigni. Quare instar codicis MSti recte habetur. Accedit quod Spira sine ullo emendandi studio in ista editione versatus est. Nam Annalium et Historiarum libri in omnibus plagulis documenta ferunt, quibus patet incuriose illum exscripsisse codicis MSti vestigia. Miscentur loci, qui erant separandi: coniunguntur vocabulorum formae contra omnem latinitatem: orthographiae in multis singularis plane ratio. Nonnulla haud dubie tribuenda sunt operarum culpae et imperitiae legendi veterem scripturam: nihilominus praecipua sua libro manet auctoritas ad confirmandam aliorum codicum scripturam. Conspicuus est multiplici verborum transpositione, qua

ab aliis libris omnibus sit diversus, an eadem ex aliis adnotare neglexerint viri docti, non liquet mihi. Multo emendatior eiusdem codicis contextus est in libro de Germania et in dialogo de oratoribus, et a priore scriptura ita diversus, ut alia prorsus editio esse videatur. Complectitur Annalium libros inde ab undecimo et Historiarum qui supersunt, sine ullo librorum inscriptione aut numero. Post Historias sequitur liber de Germania hac inscriptione: *Cornelii Taciti illustrissimi historici de situ moribus et populis Germaniae libellus aureus.* Ultimo loco exstat dialogus de oratoribus, qui inscribitur: *Cornelii taciti equitis Romani dialogus de oratoribus claris.* Huius editionis exemplum, quo ego utebar, est e bibliotheca ducali Guelferbytana.

§. 21. *Editio Francisci Puteolani.* Haec primum prodiit Mediolani, forma maxima, circa an. p. Chr. 1475. secundum Ebert. l. l. Quare eam dicimus *ed. Put. Mediol.* Vir doctus in Ephemer. lit. Ien. 1830. nr. 18. p. 144. de anno huius editionis discrepat adfirmatque eam post *Panegyricos veteres* demum a Puteolano editos prodiisse. Ipse liber neque anni neque loci nec denique typographi notam habet. Mediolani eam prodiisse vix dubites, quum cetera Puteolani opera ibi sint excusa. Praefixa est salutatio ita inscripta: „*Franciscus Puteolanus Iacobo Antiquario ducali Secretario.* „*Sal.*" Deinde incipiunt libri Annalium inde ab undecimo et Historiarum, qui utrique una serie ab XI. usque ad XXI. numerati inscribuntur: *Cornelii Taciti Actorum Diurnalium Historiae Augustae liber XI* etc. Sequuntur: *Cornelii Taciti illustrissimi Historici de situ moribus et populis Germaniae libellus aureus. — Cornelii Taciti aequitis Romani dialogus an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant. — Iulii Agricolae vita per Cornelium Tacitum eius generum castissime composita.*

Puteolanum in edendis Taciti libris usum esse codicibus MSStis dubitari nequit. Nam e libro Spirensi

propter innumera vitia Annales et Historiae non poterant edi, uti edidit Puteolanus: et ipse in salutatione profitetur: „Cornelii Taciti eqtis ro. historicorum „omnium gravissimi disertissimiq; qcqd incuriosae ue„tustati supfuit .i. fragmenta ex actiōibus diurnalibus „augustae historiae: De moribus et situ germaniae: de „genere eloquētiae nō corruptae: cui opi a qbusdā titu„lus de claris oratoribus inscribitur: Vitam Iulii Agri„colae soceri: multis uigiliis intentissimoq; studio re„cognita adiuuante Berardino Lanterio oīum Medio„lanensium eruditissimo: ut eū parcissime laudem: sub „tuo nomine nostris Impressoribus tradidimus: tum „quia eius eloquentia pfecta meo iudicio et admirabilis „peculiariter ita te ut me delectat: tum ne in tanta li„brorum copia solus ipse supprimeret: Veneti enī im„pressores adeo inculcauerant ac foedauerant, hoc diui„num opus ut nō mō Cornelianae facūdiae maiestas „iqnaret: sed uix sensus ullus cōiectari posset *): Quid „ego effecerī iudicēt docti sed collatis exēplaribus. etc."

Libro Spirensi Puteolani editio plane dissimilis est et orthographica et ipsa scribendi ratione. Nam quum ille scriptura sit propior iis codicibus, quos Romanae familiae diximus, Puteolanus strenue sequitur libros Genuenses. Nonnunquam emendando verborum contextui operam dedisse videtur: sed quae huius generis ipsi sint tribuenda, vix dignosces, quia non constat, e quibus exemplaribus scriptis sua ediderit. Conspirat plurimum cum codice Bodleiano, et pauca sunt in contextu Puteolani, quae non possint monstrari in aliquo codice eiusdem familiae. Haud dubie codices habuit hodie incognitos. — Huius editionis exemplum, quo ego utebar, pertinet ad Bibliothecam Lipsiensem.

Editio Francisci Puteolani Veneta. Prodiit Venetiis an. p. Chr. 1497. Nam in fine libri leguntur haec:

---

*) Increpat editionem Spirensem.

„Cornelii Taciti historię augustę: nec non de situ mo-
„ribus et populis germanię libellus: ac de oratoribus
„dialogus foeliciter expliciūt. Venetiis fideliter im-
„pressi ac diligenter emendati p Philippū pinci sumpti-
„bus nobilis viri dñi Benedicti fontana. Anno dñi
„MCCCCXCVII. die. XXII. Marcii. Imperante sa-
„pietissimo dño Augustino Barbadico prudentissimi ac
„Inuictissimi Senatus Venetiarum duce serenissimo."
Est repetitio libri Mediolanensis neque Puteolani studio facta. Nova subsidia e codd. MSS. huic editioni, ut videtur, non accesserunt, quanquam pluribus locis a libro Mediolanensi cum operarum lapsu tum emendationis causa deflectit. In eo exemplo, quod mihi e bibliotheca duc. Guelferb. suppeditatum est, non exstat *Vita Agricolae*, quae accedit in aliis nova et diversa a priore litterarum, quibus quaterniones numerantur, serie insignis.

Eadem *Puteolani editio* repetita est *per I. Rivium*, Ven., I. Rubeus, XX. Iul. 1512. Quem librum equidem non vidi: consuluere Ryckius et Ernestius sine magno fructu. Sed Walchius in praefat. ed. Agric. p. VII. et VIII. testatur inesse emendationes, quae falso aliis editoribus tribuantur.

§. 22. *Editio Philippi Beroaldi.* Inscribitur: *Publii Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi atque cum reliquis eius operibus editi.* Prodiit Romae an. p. Chr. 1515. Kal. Mart., forma maxima. Operae pretium est noscere, quae Beroaldus in praefatione scripsit ad Lectorem: „Quoniam, inquit, vetus codex,
„unde hunc ipsum describendum atque inuulgandum
„curaui, pluribus mendis scatet, aequum uidetur lecto-
„rem in primo quasi operis limine consilii mei, quo in
„hoc toto negocio sum usus, admonere. Namque er-
„rores qui poterant nulla temeritatis nota emendari,
„consultis primo nonnullis eruditis et acris iudicii uiris
„correxi. At quae loca in se maiorem in corrigendo
„difficultatem habere videbantur, sicut erant reliqui,
„appositis interiori margini stellulis, quae uitiosum co-

„dicem testarentur." Igitur priorem Annalium partem Beroaldus primus evulgavit e cod. MS. unico. In reliquis Annalium et Historiarum libris plerumque secutus est editionem Puteolani: saepissime tamen ex editione Spirensi scripturam emendavit. Neque dubium est eundem Beroaldum inspexisse codicem Flor. litt. Langob. scriptum: habet enim nonnulla, quae neque in Spirensi nec apud Puteolanum, sed in codice illo Flor. inveniuntur. cf. not. ad Ann. XI, 11. sub v. *intentius;* XVI, 8. sub vv. *hunc vel illum* etc. Hist. I, 14. sub v. *crediderunt* et alibi. In eo exemplo, quod mihi suppeditavit bibliotheca regia Monacensis, *Vita Agricolae* non inerat. Aberant etiam e Dialogo de oratoribus quae leguntur inde a verbis: *et pauperem* (c. 8.) usque ad *argumentorum genera* (c. 19.): inveniebantur eo loco quattuor plagulae ad Annalium libros XI. et XII. pertinentes.

§. 23. *Editio Andreae Alciati.* Prodiit Mediolani ex officina Minutiana an. p. Chr. 1517., forma quaternaria. cf. *Ebert.* l. l. p. 873. nr. 22139. et *Bibliographie de France*, 1820. p. 336. — 348. Huius libri exempla quum sint rara, frustra eum quaesivi. Magnus inde fructus exspectari nequit: inest enim repetitio editionis Beroaldinae.

Editio Basileensis ex officina Io. Frobenii, quae prodiit mense Augusto an. p. Chr. 1519., forma maxima, cum titulo: *P. Cornelii Taciti eq. Ro. Historia Augusta actionum diurnalium: additis quinque libris nouiter inventis. Andreae Alciati Mediolanensis in eundem annotationes. De situ, moribus et populis Germaniae libellus: eodem Cor. Tacito autore. Eiusdem dialogus: an sui seculi oratores antiquioribus et quare concedant. Cn. Iulii Agricolae uita, per eundem.* Est repetitio editionis Alciati. Sed ab edit. Beroald. multis locis diversam deprehendi. Libellum de Germania Beatus Rhenanus recognovit beneficio codicis vetustioris (h. e. editionis Norimberg.) — Huius libri exemplum ad me misit doctissimus Hessius gymnasii

Cod. MS. Vatic. 2965, chartaceus et recens. Accuratiorem notitiam Broterius non addidit.

Ex his codicibus Vaticanis Lipsius novit tres priores, ut videtur. M. Vertranius quoque libros quosdam Vaticanos excussit et in notis suis eorum scripturam exhibuit, sed perraro. Gabriel Broterius contulit omnes, sed parum diligenter, quod dolemus: nam inter eos codices, qui supersunt, vix aliis erunt postponendi excepto optimo illo Florentino.

§. 16. *Codd. MSS. Oxonienses.* Broterii opera innotuerunt tres, qui complectuntur Annales sex posteriores et Historias.

Cod. MS. Harleianus, scriptus anno 1452., quod intelligitur e nota librarii loco Hist. III, 34. addita: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLII*, ortus e cod. Genuensi ut MS. Vatic. 1958. et collatus cum cod. MS. Vat. 1863. aliove simili.

Cod. MS. Bodleianus, Genuae descriptus an. 1463., uti patet ex nota in fine addita iisdemque verbis concepta, quae sunt in Vatic. 1958.

Cod. MS. Collegii Iesu, descriptus e cod. Genuensi an. 1458., quod docet nota librarii loco Hist. III, 34. adposita: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLVIII.*

Hos idem in usum vertit Broterius in recognoscendis Taciti libris. Codicem Colleg. Ies. etiam Iac. Gronovius et Bodleianum Abraham Gronovius contulerunt, quorum excerpta inveniuntur in calce edit. Iac. Gronovii. Traiect. Batav. 1721. et in calce ed. I. Fr. Gronov. 1672. An idem sit Bodleianus Gronovii, qui Broterii, nondum liquet mihi: nam sunt quaedam discrepantiae inter utriusque viri collationes. Inscribuntur libri illi Oxonienses: *Cornelii Taciti actorum diurnalium Augustae historiae liber XI.*

§. 17. *Codd. MSS. Parisienses.* Hi sunt: *Cod. MS. regiae bibliothecae Parisiensis* ideoque vulgo dictus *Regius*: chartaceus, scriptus sub finem saeculi XV.,

nec tamen spernendus, quia ab eodem codice profectus videtur, ex quo fluxit editio Spirensis. cf. §. 20. Inscribitur: *C. Cornelii Taciti Historici illustris XXX librorum, quos aedidit, fragmenta incipiunt.* Hoc codice usi sunt Ryckius, Lallemandus, Broterius.

Codex Corbinelli h. e. exemplum editionis Beroaldi, ad cuius oram Iacobus Corbinelli variam scripturam ex aliquo MSto addidit. In plurimis locis consentit cum codice Farnesiano, quem Lipsius laudavit. Quae insunt, idem Broterius publici iuris reddidit.

Codex MS. bibliothecae Institutionis Oratorii Iesu: membranaceus, quem contulit I. H. Dotteville.

§. 18. *Cod. MS. Budensis*, ἀνεπίγραφος, membranaceus, e bibliotheca Matthiae Corvini regis, eiusdem iussu, ut videtur, Florentiae scriptus ideoque Regius a Rhenano dictus. Hunc librum excusserunt Rhenanus olim et nuper Oberlinus, qui accurate eius codicis rationem historiamque descripsit in praefatione ed. Tacit. — Hereditario iure ad Dorsnerum tormentariae rei per Galliam praefectum venit, isque eum librum Oberlino praebuit.

Cod. MS. Agricolae. Nomen habet a vetere possessore Rodolpho Agricola. Dein venit in manus Nicolai Heinsii et mox Th. Ryckii. Ubi nunc sit, nescio.

Cod. MS. Guelferbytanus, membranaceus et nitide scriptus: continet centum et quadraginta duo folia decemplicata: in calce decimi cuiusque folii pro custodibus, qui dicuntur, exstant primordia sequentis paginae. Inscribitur in fronte: *Cornelii Taciti Actorum diurnalium Liber* XI. *Augustae historiae.* Duodecimus Annalium liber in fronte destituitur inscriptione: in eius fine leguntur haec: *Cornelii taciti Actorum diurnalium Augustae historiae Liber XII. explicit. Incipit XIII.* Eadem ratione utuntur sequentes libri. Historiarum libri cum Annalibus una

verba Agr. c. 44. ubi Agricola dicitur *salvis adfinitatibus et amicitiis futura effugisse.* Nam si generum ille exsulem reliquisset, non poterat dici *salvis adfinitatibus* decessisse. Lipsius taedio temporum et cupidine otii Tacitum secessisse censet. Sed quae Noster in Agr. c. 45. queritur, necessitatem potius absentiae arguunt.

Post soceri excessum, qui accidit an. u. 846. (cf. Tac. Agr. c. 44.) mox se Romam rediisse ipse testis est. cf. Agr. c. 45. *Mox nostrae duxere H. in carcerem manus* etc. Helvidii enim accusatio et damnatio cadit in annum 846. vel 847. Domitianus decessit an. 849. Iam *nostrae manus* quidem non unice sunt Taciti, sed senatorum in universum. Verum totus locus ita est verbis conceptus, ut Tacitum rebus illis tristibus praesentem fuisse facile intelligas. Minime igitur dubia est haec res, ut videtur Weikerto in Introductione ad ed. Tac. p. XIX.

Consul cum Nerva fuit an urb. 850. suffectus in locum T. Verginii Rufi, quem mortuum pro rostris laudavit. cf. Plin. epp. II, 1.

§. 8. *De Taciti obitu.* Quem vitae finem Tacitus invenerit, plane incertum est. An sub Hadriano imperatore vixerit, nullum quidem exstat documentum, neque tamen quidquam in contrariam partem adfirmari potest. Verisimilius tamen habetur illum Hadriani temporibus fuisse in vivis. Nam Annalium libros certe non ante annum p. Chr. 116. vel 117. edidit, et anno 117. Hadrianus Traiano successit. cf. infr. §. 12.

II. DE SCRIPTIS TACITI.

§. 9. *Vita Agricolae.* Inde e consulatu suo Tacitus se paravit ad componenda opera illa, quis immortale nomen apud posteros adeptus est: et primum tum scripsit vitam Agricolae, soceri. Nam principio eius libri (c. 2. et 3.) tam luculenta insunt documenta Taci-

tum historiae scribendae initium inde cepisse, ut non opus sit longiore huius rei expositione.

§. 10. *Liber de Germania.* Quo tempore liber de Germania prodierit, docet locus c. 37. *Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone coss. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur.* Nam si quaerimus, cur Tacitus, cum haec scriberet, in illa annorum computatione ad alterum Traiani consulatum substiterit, vix aliam eius rei rationem inveniemus quam quod alterum tunc Traianus consulatum gereret. Pertinet igitur illius libri editio ad ann. urb. 851. vel 852.

§. 11. *Historiarum libri.* Compositi sunt eodem Traiano imperante. Documento sunt verba Hist. I, 1. *Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet.* Nam hic epitheton *divi* ad nomen Nervae positum, omissum ad Traiani vocabulum satis arguit haec esse scripta et edita post mortem Nervae et ante obitum Traiani. Historiarum opere complexus est res Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani, Titi et Domitiani (cf. Hist. I, 2. *quattuor principes ferro interempti*) per quattuordecim libros, ut videtur. De quattuordecim libris testis est Hieronymus in commentariis ad Zachariam c. 14. Verba sunt: *Haec omnia plenissime Iosephus, qui Iudaicam scripsit historiam et multo maiora, quam legimus in prophetis, eos sustinuisse commemorat: Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.* Hieronymus enim libros Annalium et Historiarum una serie numeravit. Iam Annalium quum sint sedecim, inde consequitur Historiarum fuisse quat-

tuordecim. Novem penitus perierunt, supersunt quattuor integri et initium libri quinti. At sunt qui numerum quattuordecim librorum rebus usque ad Nervam enarrandis haud suffecisse putent. Quare suspicantur Hieronymum recte quidem dixisse triginta volumina, quibus Tacitus Historias videatur edidisse, falso autem eundem Hieronymum illo numero utrumque opus, Annalium et Historiarum, esse complexum. cf. *Niebuhr, über den Unterschied zwischen Annalen und Historie* in: *Rheinisch. Museum für Philologie* etc. II. Jahrg. 2. Heft, p. 293 sqq. Sed vix credibile est Hieronymum, qui diserte addit *post Augustum usque ad mortem Domitiani*, istum quem imputant errorem commisisse in re litteratis tunc temporis hominibus haud dubie tritissima. Nihil contra dicerem, si scriptor ille verbis proxime laudatis non expressis simpliciter dixisset: *qui vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.* Ceterum e temporis spatio, quod superstites Historiarum libri complectuntur, nihil certi definiri potest de numero perditorum librorum, qui debebat congruere non annis, sed rebus gestis.

§. 12. *Annalium libri.* Hos prodiisse post absolutum Historiarum opus docet locus Ann. XI, 11. *Utriusque principis rationes praetermitto satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui.* Accuratius etiam editionis tempus definiri potest e loco Ann. II, 61. *Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.* Namque ad hunc terminum Traianus imperium promoverat expeditione in Orientem facta an. urb. 867. et 868. (p. Chr. 114. et 115.). Igitur scribi illa nequiverunt ante an. urb. 868.

Ceterum in codicibus MSS. veteribusque editionibus duo opera Annalium et Historiarum ita coniunguntur, ut unum videantur efficere numerenturque Historiarum libri post Annalium eadem serie. At diversum esse utrumque opus diversoque tempore editum satis in-

telligitur ex iis, quae hucusque disputavimus. Immo interna etiam utrorumque librorum indole considerata diversam cognosces rationem artemque. Namque in Historiarum libris, qui supersunt, omnes res ita sunt descriptae atque concinnatae, ut ad unum consilium redeant uniusque argumenti vinculo contineantur. Quare haud inepte totum illud opus unam dicemus historiam. Annalium libri in eo diversi sunt, ut non unum habeant caput argumenti, ad quod omnia referantur, sed potius imaginem temporum exhibeant singulis partibus variam. Historias adsimulares carmini epico: Annales sine artificio res et simpliciore narratione coniungunt. Quare modestiore Annalium nomine ipse Tacitus hos libros nominavit. cf. Ann. III, 65. IV, 32. XIII, 21. Adde Ann. IV, 71. Consentit Iornandes in rebus Goth. I, 2. qui Nostrum dicit Annalium scriptorem. Alterum opus *Historiarum* titulo iam antiquitus insigne fuisse indicat Tertullian. in Apolog. adv. gent. c. 16. ubi leguntur haec: *Somniastis caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in quinta Historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis* etc. cf. Hist. V, 4. Vix igitur dubitari potest hos libros Annalium, illos Historiarum nomine e manu Taciti prodiisse. Quare Rhenanus non satis recte Annalium titulo utrosque libros complexus est, quanquam bene delevit inscriptionem prioribus editoribus receptam: *Actionum diurnalium historiae Augustae* vel *Actorum diurnalium.* Nam auctor ipse libros suos ab *actis diurnis.* diserte distinxit Ann. XIII, 31. Beroaldus Annalium Historiarumque libros simul inscripsit: *Ab excessu divi Augusti historiarum libros.* In codice Corbeiensi, quo usus est, titulum hunc reppererit an excogitaverit ipse, nesciebat Rhenanus: hodie constat codicem illum pro capite nihil aliud habere quam: *P. Cornelii Taciti,* eaque non eadem manu, sed alia recentiore exarata. cf. Ryckius ad Ann. I, 1.

Iuvat addere locum de discrimine *Historiarum* et *Annalium* egregium, qui est apud Cicer. de Orat. II, 12.

Angelus Arcimboldus quaestor pontificius e Dania rediens in monasterio Corbeiensi Vestphaliae repertum detulit ad Leonem X. pontificem Romanum: postea is liber venit Florentiam. Complectitur sex priores Annalium libros ante repertum illum codicem incognitos nec ullo MSto alio inventos. Nam qui liber Ioan. Iocundi Veronensis ab interpretibus memoratur recens descriptus est e codice illo antiquo. Perperam igitur faciunt, qui in commentationibus ad sex priores Annalium libros dicunt in hac vel illa scriptura codices MSStos omnes conspirare. Vid. Ricklefs. ad Ann. I, 10. Antiquissimum codicem perhibent. cf. Taurellus in praefat. ad Pandectas ed. Flor. An. 1553. — Broterius in praefat. ed. Tacit. — Pertzius, *Italienische Reise* p. 45., qui vidit codicem multis locis a recenti manu (fortasse Beroaldi primi editoris) emendatum. Finis est in media plagula, unde fortasse coniicias librum esse descriptum ex alio codice aeque mutilo nec ampliore. — Monument. Paderborn. p. 69. 79. — Montefalcon. bibl. MSS. p. 374. — Ernestius in praefat. ed. Tacit. — Inde libros Annalium, qui insunt, primus edidit Philippus Beroaldus an. 1515. Eundem librum postea excussere Curtius Pichena et Iacobus Gronovius.

Alius codex Florentinus litteris Langobardicis scriptus continet ceteros Annalium libros, qui supersunt, inde ab undecimo et Historiarum quattuor libros integros cum fragmento libri quinti. Subscriptionem habet in calce hanc: *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix Olibrio et Probino coss. in foro Martis controversias declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Attico coss.* Quae subscriptio Pichenam deceperat, ut an. p. Chr. 395. librum scriptum iudicaret. At verba illa oscitanter a librario quodam repetita ex antiquiore codice rectius censuit Ryckius ad Hist. I, 1. Nam scriptura Langobardica posterius aevum arguit, ut saltem ad saeculum septimum vel octavum ille liber referri debeat. Hunc quoque codicem contulerunt Pichena et Iac. Gronovius. Sed ante

Pichenam eiusdem libri collationem instituerat Petrus Victorius reliqueratque margini exemplaris Beroaldini adscriptam, unde nunc primo publici iuris eam facimus. Sed de hac re infra dicetur. Praeterea in eadem bibliotheca Florentina Pichena et Broterius alios duos codices MSStos viderunt, sed recentissimos, quorum alter incipit ab undecimo Annalium libro, finitur exeunte libro secundo Historiarum, alter eosdem Annalium et quinque Historiarum libros complectitur. Pichena ex hisce codicibus uno alterove loco quaedam attulit neque tamen iustam eorum collationem instituit. Nam tum demum in auxilium eos vocavit, cum codex litteris Langob. scriptus defecisset. Exspectant igitur virum doctum, qui evolvat et nobiscum communicet quae praebuerint subsidia.

§. 15. *Codices MSS. Vaticani.* Insunt iidem Annalium Historiarumque libri quattuor codicibus in bibliotheca Vaticana a Broterio repertis, qui inscribuntur: *Cornelii Taciti actorum diurnalium Augustae liber XI.* Numerantur et describuntur sic:

Cod. MS. Vatican. 1863., membranaceus, exaratus saeculo XIV. exeunte aut ineunte XV., similis codici MSto bibliothecae regiae Parisiensis. cf. §. 17.

Cod. MS. Vatican. 1864., membranaceus et eiusdem cum illo aetatis, nec absimilis ei codici, quem Lipsius Farnesianum appellat. Ita testatur Broterius.

Cod. MS. Vatican. 1958., cuius aetas in libri fine expressa est sic: *Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me quantum reperi fideliter ab exemplo transcripsisse, quod inter cetera, de quibus scitur, non est neque pessimum neque mendosissimum.* Τέλος Θεῷ Χάρειν. *Die septimo decimo Octobris ab ortu Salvatoris nostri domini Iesu Christi anno MCCCCXLVIIII Genuae pridie festum divi Lucae Evangelistae.*

Cod. MS. Vatic. 2965, chartaceus et recens. Accuratiorem notitiam Broterius non addidit.

Ex his codicibus Vaticanis Lipsius novit tres priores, ut videtur. M. Vertranius quoque libros quosdam Vaticanos excussit et in notis suis eorum scripturam exhibuit, sed perraro. Gabriel Broterius contulit omnes, sed parum diligenter, quod dolemus: nam inter eos codices, qui supersunt, vix aliis erunt postponendi excepto optimo illo Florentino.

§. 16. *Codd. MSS. Oxonienses.* Broterii opera innotuerunt tres, qui complectuntur Annales sex posteriores et Historias.

Cod. MS. Harleianus, scriptus anno 1452., quod intelligitur e nota librarii loco Hist. III, 34. addita: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLII*, ortus e cod. Genuensi ut MS. Vatic. 1958. et collatus cum cod. MS. Vat. 1863. aliove simili.

Cod. MS. Bodleianus, Genuae descriptus an. 1463., uti patet ex nota in fine addita iisdemque verbis concepta, quae sunt in Vatic. 1958.

Cod. MS. Collegii Iesu, descriptus e cod. Genuensi an. 1458., quod docet nota librarii loco Hist. III, 34. adposita: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLVIII.*

Hos idem in usum vertit Broterius in recognoscendis Taciti libris. Codicem Colleg. Ies. etiam Iac. Gronovius et Bodleianum Abraham Gronovius contulerunt, quorum excerpta inveniuntur in calce edit. Iac. Gronovii. Traiect. Batav. 1721. et in calce ed. I. Fr. Gronov. 1672. An idem sit Bodleianus Gronovii, qui Broterii, nondum liquet mihi: nam sunt quaedam discrepantiae inter utriusque viri collationes. Inscribuntur libri illi Oxonienses: *Cornelii Taciti actorum diurnalium Augustae historiae liber XI.*

§. 17. *Codd. MSS. Parisienses.* Hi sunt: *Cod. MS. regiae bibliothecae Parisiensis* ideoque vulgo dictus *Regius*: chartaceus, scriptus sub finem saeculi XV.,

nec tamen spernendus, quia ab eodem codice profectus videtur, ex quo fluxit editio Spirensis. cf. §. 20. Inscribitur: *C. Cornelii Taciti Historici illustris XXX librorum, quos aedidit, fragmenta incipiunt.* Hoc codice usi sunt Ryckius, Lallemandus, Broterius.

Codex Corbinelli h. e. exemplum editionis Beroaldi, ad cuius oram Iacobus Corbinelli variam scripturam ex aliquo MSto addidit. In plurimis locis consentit cum codice Farnesiano, quem Lipsius laudavit. Quae insunt, idem Broterius publici iuris reddidit.

Codex MS. bibliothecae Institutionis Oratorii Iesu: membranaceus, quem contulit I. H. Dotteville.

§. 18. *Cod. MS. Budensis*, ἀνεπίγραφος, membranaceus, e bibliotheca Matthiae Corvini regis, eiusdem iussu, ut videtur, Florentiae scriptus ideoque Regius a Rhenano dictus. Hunc librum excusserunt Rhenanus olim et nuper Oberlinus, qui accurate eius codicis rationem historiamque descripsit in praefatione ed. Tacit. — Hereditario iure ad Dorsnerum tormentariae rei per Galliam praefectum venit, isque eum librum Oberlino praebuit.

Cod. MS. Agricolae. Nomen habet a vetere possessore Rodolpho Agricola. Dein venit in manus Nicolai Heinsii et mox Th. Ryckii. Ubi nunc sit, nescio.

Cod. MS. Guelferbytanus, membranaceus et nitide scriptus: continet centum et quadraginta duo folia decemplicata: in calce decimi cuiusque folii pro custodibus, qui dicuntur, exstant primordia sequentis paginae. Inscribitur in fronte: *Cornelii Taciti Actorum diurnalium Liber* XI. *Augustae historiae.* Duodecimus Annalium liber in fronte destituitur inscriptione: in eius fine leguntur haec: *Cornelii taciti Actorum diurnalium Augustae historiae Liber XII. explicit. Incipit XIII.* Eadem ratione utuntur sequentes libri. Historiarum libri cum Annalibus una

serie numerantur. Compendiis utitur vulgaribus illis: *ã*, *ẽ*, *ĩ*, *õ*, *ũ* vel *å*, *e̊*, *i̊*, *o̊*, *ů* = *am*, *em*, *im*, *om*, *um* vel *an*, *en*, *in*, *on*, *un*. — *ę* = *ae*. — *a͛*, *e͛*, *o͛* etc. = *ar*, *er*, *or* vel *are*, *ere*, *ore* etc. — *ꝗ* = *qui*. — *ꝗ* = *quam*. — *ꝙ* = *quod*. — *ꝗs* = *quis*. *ꝗ* vel *qđ* vel *ꝗ* = *quid*, *quod*. — *ꝗ* = *quidem*. — *ꝑ* = *per* et *par*. — *ꝓ* = *pro*. — *p̄* = *prae*. *q̊ꝫ* = *quoque*. — *ēt* = *etiam*. — *añ* = *ante*. — *đ* = *de*. — *ñ* = *ne*. — *t᷑* = *tur*. — *ul* = *vel*. — *periñ* = *perinde*. — *aĩo* = *animo*. — *oĩa* = *omnia*, *omina*. — *ip̄i* = *ipsi*. Ibidem scribitur *quoi* pro *cui*, *quoius* pro *cuius*, *quom* pro *quum* (saepius *quum*), *scęvus* et *scęuitia* pro *saevus* et *saevitia*, *ortus* pro *hortus*, *ceptus* pro *coeptus*, *contio* et *contionari* pro *concio* et *concionari*, *phama* pro *fama*, *questus* pro *quaestus*, *no̊quam* pro *nunquam*, *no̊* pro *num*, *coatus* et *accintus* pro *coactus* et *accinctus*, *quur* pro *cur*, *sequutus* constanter pro *secutus*. Saepissime codex ille litteram *n* in praepositione *in* ante *p* mutat in *m*, ut *impace*, *imposterum*. Idem ubique praefert scripturam *mile* pro *mille*. Alia huic libro propria suis locis indicantur.

Adservatur nunc in bibliotheca ducali sub numero 118. Gud.: olim possessorem habuit P. Candidum, qui sua manu in libro scripsit ab se emptum esse Ferrariae an. MCCCCLXI. die lunae XXVIII. Septembr. Huius codicis collationem ediderant Ernestius et Strombeckius: neque tamen inutilis fuit opera, quam iterum posui in eodem libro excutiendo. Nam permultis locis ibi inveni scripturam ab editis libris discrepantem, quam neque Ernestius nec Strombeckius adnotaverat. Quaedam inde apud utrumque falso adnotata deprehendi. Pretium fuit noscere quaecunque ibi continerentur,

quia Guelferbytanus ille eiusdem est familiae cum codicibus Oxoniensibus et plerumque cum his ita conspirat, ut e Guelferbytano possis scripturam Oxoniensium divinare, si quando Broterius eam non prodidit. Multae insunt correctiones a recentiore manu factae, quae plerumque consentiunt cum editione Spirensi: sed nonnunquam ab ea discrepant.

Codex Spinae, qui Heinsio laudatur ad Hist. V. aliquoties, nemini praeterea innotuit.

Cod. MS. Mirandulanus, cuius collationem protulit Pompeius Lampugnanus (Marqu. Freherus) in libro: *Collatio notarum I. Lipsii in C. Tacitum cum MS. Mirandulano. Bergomi* 1602. Lipsius iudicavit hunc codicem MStum aut nullum esse aut nullius pretii. cf. *Iusti Lipsii dispunctio notarum Mirandulani Codicis ad Cornelium Tacitum, ed. sec., Antverpiae ex officina Plantiniana.* MDCVII.

Cod. MS. Hispanus Covarruviae Lipsio aliquoties commemoratur, qui habuit collationem eius libri ab Andrea Schotto factam.

Cod. MS. Sambuci eidem Lipsio laudatur, qui vidit Vindobonae. cf. Lips. ad Hist. II, 27.

§. 19. Qui codices MSSti, quanquam plures sunt numero, non tamen ita satisfaciunt, ut idonea auxilia nobis suppeditent: immo plerisque locis vera scriptura uno codice Florentino Langobardico nititur. Nam ceteri libri aut consentiunt cum illo, aut nugas ferunt, ubi dissentiunt, aut denique posterioris sapientiae bonaeque emendationis dona praebent, ubi feliciter inde discrepant. Contra in iis locis, quos codex Flor. habet notabiliter depravatos mutilosque, ceteri omnes hariolantur, nec usquam damna resarciunt. Et Hist. III, 5., ubi cod. Flor. peccat transpositione longioris loci, ne unus quidem inter ceteros libros veram rationem tenuit. cf. ibi not. Quo satis manifestatur ex uno fonte fluxisse omnes. Quare plerique arbitrantur codicem illum Flo-

rentinum esse fontem, unde ceteri codices MSSti omnes fluxerint. Quod licet indubiis argumentis firmari nequeat, satis tamen verisimile est, dum ne putes ex ipso, qui nunc est, Florentino singulos ceterorum descriptos. Pone potius unum aliquod exemplum e Florentino primum exortum, unde dein alii et ex his rursum alii originem traxerint. Nam quia codex Flor. recte videtur referri ad saeculum septimum vel octavum, reliqui autem omnes pertinent ad saeculum decimum quintum, satis longum fuit inter utrosque temporis spatium, quo potuit unum et alterum describi exemplum, quod deinde eos procreavit codices qui supersunt.

Iam nepotes hi sive pronepotes codicis Florentini in duas potissimum discesserunt familias, quarum alteram dixerim Genuensem, alteram Romanam eamque avo propiorem. Ad hanc pertinent codd. MSS. Vaticani 1863. et 1864., Regius Parisiensis, Corbinelli, editio Spirensis. Eiusdem stirpis proles videtur esse codex Agricolae, quanquam degener et maiorum auctoritatem parum curans. Plurimis locis hic liber consentit cum editione Spirensi: quae ubi aperta laborat depravatione, codex Agricolae plerumque indulget emendandi studio. Alterius familiae haec innotuerunt capita: Vatican. 1958., tres Oxonienses (Harl. Bodl. Ies.) et Guelferbytanus. Ex eodem fonte derivatae sunt editiones Puteolani. — Cod. MS. Bud. inter utrosque fluctuat, ut nescias ad quos praecipue pertineat. Reliquorum codicum indoles nimis adhuc occulta mansit, quam ut certi quid de eorum genere definiri possit.

Quae hactenus disputata sunt de codicibus MSStis, spectant ad Taciti Annales et Historias. Nam de iis codicibus, quibus minores Taciti libri continentur, commodius dicemus in quarti voluminis praefatione.

IV. DE LIBRIS IMPRESSIS, QUIBUS TACITI SCRIPTA PROPAGATA SUNT.

§. 20. *Editio Spirensis*, forma maxima, princeps omnium, sine titulo aut loci temporisque nota. Nomen inditum est ab officina, unde prodiit. Namque in calce operis leguntur haec:

Finis Deo laus
Cęsareos mores scribit Cornelius. esto
Iste tibi codex: historię pater est.
Insigni quem laude feret gens postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suę.

Hodie inter viros talium rerum gnaros constat non Ioanni de Spira, sed Vendelino illius fratri, qui Ioanni successit, eam gloriam esse tribuendam librumque Venetiis prodiisse anno p. Chr. 1470. cf. *Ebert*, *Allgem. Bibliogr. Lexicon*, *zweiten Bandes fünfte Lieferung* p. 872. nr. 22134. Ex quo codice MSto Spira sua hauserit, incertum, interque eos codices MSStos, quorum scriptura hucusque innotuit, nullus Spirensi libro plane similis est. Plurimum tamen consentit cum cod. MS. Regio Parisiensi et cum illo quem Broterius dicit Corbinelli, neque vero omnibus in locis. Multa etiam habet communia cum MSS. Vaticann. 1863. et 1864. Saepe propria scriptura utitur haud raro insigni. Quare instar codicis MSti recte habetur. Accedit quod Spira sine ullo emendandi studio in ista editione versatus est. Nam Annalium et Historiarum libri in omnibus plagulis documenta ferunt, quibus patet incuriose illum exscripsisse codicis MSti vestigia. Miscentur loci, qui erant separandi: coniunguntur vocabulorum formae contra omnem latinitatem: orthographiae in multis singularis plane ratio. Nonnulla haud dubie tribuenda sunt operarum culpae et imperitiae legendi veterem scripturam: nihilominus praecipua sua libro manet auctoritas ad confirmandam aliorum codicum scripturam. Conspicuus est multiplici verborum transpositione, qua

„Cornelii Taciti historię augustę: nec non de situ mo„ribus et populis germanię libellus: ac de' oratoribus „dialogus foeliciter expliciũt. Venetiis fideliter Im„pressi ac dilligenter emendati p Philippũ pinci sumpti„bus nobilis viri dñi Benedicti fontana. Anno dñi „MCCCCXCVII. die. XXII. Marcii. Imperante sa„pietissimo dño Augustino Barbadico prudentissimi ac „Inuictissimi Senatus Venetiarum duce serenissimo." Est repetitio libri Mediolanensis neque Puteolani studio facta. Nova subsidia e codd. MSS. huic editioni, ut videtur, non accesserunt, quanquam pluribus locis a libro Mediolanensi cum operarum lapsu tum emendationis causa deflectit. In eo exemplo, quod mihi e bibliotheca duc. Guelferb. suppeditatum est, non exstat *Vita Agricolae*, quae accedit in aliis nova et diversa a priore litterarum, quibus quaterniones numerantur, serie insignis.

Eadem *Puteolani editio* repetita est *per I. Rivium*, Ven., I. Rubeus, XX. Iul. 1512. Quem librum equidem non vidi: consuluere Ryckius et Ernestius sine magno fructu. Sed Walchius in praefat. ed. Agric. p. VII. et VIII. testatur inesse emendationes, quae falso aliis editoribus tribuantur.

§. 22. *Editio Philippi Beroaldi.* Inscribitur: *Publii Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi atque cum reliquis eius operibus editi.* Prodiit Romae an. p. Chr. 1515. Kal. Mart., forma maxima. Operae pretium est noscere, quae Beroaldus in praefatione scripsit ad Lectorem: „Quoniam, inquit, vetus codex, „unde hunc ipsum describendum atque inuulgandum „curaui, pluribus mendis scatet, aequum uidetur lecto„rem in primo quasi operis limine consilii mei, quo in „hoc toto negocio sum usus, admonere. Namque er„rores qui poterant nulla temeritatis nota emendari, „consultis primo nonnullis eruditis et acris iudicii uiris „correxi. At quae loca in se maiorem in corrigendo „difficultatem habere videbantur, sicut erant reliqui, „appositis interiori margini stellulis, quae uitiosum co-

„dicem testarentur." Igitur priorem Annalium partem Beroaldus primus evulgavit e cod. MS. unico. In reliquis Annalium et Historiarum libris plerumque secutus est editionem Puteolani: saepissime tamen ex editione Spirensi scripturam emendavit. Neque dubium est eundem Beroaldum inspexisse codicem Flor. litt. Langob. scriptum: habet enim nonnulla, quae neque in Spirensi nec apud Puteolanum, sed in codice illo Flor. inveniuntur. cf. not. ad Ann. XI, 11. sub v. *intentius*; XVI, 3. sub vv. *hunc vel illum* etc. Hist. I, 14. sub v. *crediderunt* et alibi. In eo exemplo, quod mihi suppeditavit bibliotheca regia Monacensis, *Vita Agricolae* non inerat. Aberant etiam e Dialogo de oratoribus quae leguntur inde a verbis: *et pauperem* (c. 6.) usque ad *argumentorum genera* (c. 19.): inveniebantur eo loco quattuor plagulae ad Annalium libros XI. et XII. pertinentes.

§. 23. *Editio Andreae Alciati.* Prodiit Mediolani ex officina Minutiana an. p. Chr. 1517., forma quaternaria. cf. *Ebert.* l. l. p. 873. nr. 22139. et *Bibliographie de France*, 1820. p. 336. — 348. Huius libri exempla quum sint rara, frustra eum quaesivi. Magnus inde fructus exspectari nequit: inest enim repetitio editionis Beroaldinae.

Editio Basileensis ex officina Io. Frobenii, quae prodiit mense Augusto an. p. Chr. 1519., forma maxima, cum titulo: *P. Cornelii Taciti eq. Ro. Historia Augusta actionum diurnalium: additis quinque libris nouiter inventis. Andreae Alciati Mediolanensis in eundem annotationes. De situ, moribus et populis Germaniae libellus: eodem Cor. Tacito autore. Eiusdem dialogus: an sui seculi oratores antiquioribus et quare concedant. Cn. Iulii Agricolae uita, per eundem.* Est repetitio editionis Alciati. Sed ab edit. Beroald. multis locis diversam deprehendi. Libellum de Germania Beatus Rhenanus recognovit beneficio codicis vetustioris (h. e. editionis Norimberg.) — Huius libri exemplum ad me misit doctissimus Hessius gymnasii

Helmstadiensis moderator. In commentariis scripturam eius insignem feci nomine Alciati Ernestium secutus.

Editio Iuntina, quae prodiit Florentiae ex officina Iuntina, 22. Maii 1527., forma octonaria, repetit Beroaldinam, nisi quod Ant. Francinus cum typographica tum alia quaedam vitia correxit. Extrema Dialogi pars decem versus complexa ibi deest. Criticum usum huius libri nullum esse Ernestius expertus docuit. Mihi non fuit ad manus.

§. 24. *Editio Beati Rhenani*, quae prodiit Basileae ex officina Frobeniana an. p. Chr. 1533., forma maxima, hoc titulo: *P. Cornelii Taciti equitis Romani Annalium ab excessu Augusti sicut ipse vocat, sive Historiae Augustae, qui vulgo receptus titulus est, libri sedecim qui supersunt, partim haud oscitanter perlecti, partim nempe posteriores ad exemplar manu scriptum recogniti magna fide nec minore iudicio per Beatum Rhenanum. Nihil hic fingi docebunt castigationes suis quaeque libris additae. Libellus de Germanorum populis, Dialogus de oratoribus, denique Vita Iulii Agricolae, non solum emaculatius prodeunt, sed et explicatius adiunctis in hanc rem scholiis. Super haec omnia accesserunt in initio operis Thesaurus constructionum locutionumque et vocum Tacito solennium citatis etiam ex Livio plerumque testimoniis, ac in calce rerum memorabilium index copiosissimus. Nec desunt aliorum in hunc autorem ante additae annotationes praefationesque sive Beroaldi seu Alciati.*" Rhenanus in hac editione usus est textu, quem dicunt, Alciati, eumque recognovit, emendavit cum ex ingenio, tum e codice MS. Budensi, quem diligenter excussit. Egregium haud dubie Tacito operam praestitit innumeraque vitia sustulit, quae ad eum diem in edd. circumferebantur: nimiam tamen fidem habuit codici Budensi melioribus libris destitutus, et haud raro invexit, quae postea rursus erant tollenda. Huius editionis exemplum inter meos libros est.

Eadem officina eandem editionem repetiit an. 1544. et tum pauca quaedam a priore editione aliena inlata sunt, nec satis feliciter, ut suis locis videbimus.

Editio Aldina, Prodiit Venetiis an. 1534. forma octonaria maiore, et hoc titulo: *Cornelius Tacitus exacta cura recognitus et emendatus. Copiosus index rerum, locorum et personarum, de quibus in his libris agitur. Varia lectio in calce operis impressa.* — Quo variae lectionis nomine ille dicit Rhenani castigationes et Alciati adnotationes in fine additas. Aldus repetivit Rhenani editionem. Quibusdam in locis emendationes a Rhenano propositas neque tamen ab illo receptas adoptavit: in re orthographica immutavit quaedam. Ceterum parum inde auxilii in rem criticam redundat.

Editio Gryphiana, quae prodiit Lugduni an. 1543. octonis, repetit contextum Rhenani. Accessere Ferretti Notae. cf. Ernestius in praefatione.

Editio Micylli, quae prodiit an. 1557. octonis, et hoc titulo: *P. Cornelii Taciti eq. Rom. Annalium sive Historiae Augustae libri XVI. Opera Iacobi Micylli emendatiores facti. Eiusdem libellus de moribus et populis Germanorum. Item Vita Iulii Agricolae, oratoris, et Dialogus de claris oratoribus, Una cum indice. Anno* 1557. (sine loci nota).

Micyllus plerumque sequitur editionem Rhenani: nonnunquam emendat e sententia Beroaldi aut Rhenani aut Ferretti. Variam scripturam adnotat in margine.

§. 25. *Editio Iusti Lipsii.* Primum prodiit Antverpiae ex officina Christophori Plantini an. 1574. octonis, et hoc titulo: *P. Cornelii Taciti Historiarum et Annalium libri, qui exstant, Iusti Lipsii studio emendati et illustrati: Ad Imp. Maximilianum II. Aug. P. F. Eiusdem Taciti liber de moribus Germanorum. Iulii Agricolae vita. Incerti scriptoris dialogus de oratoribus sui temporis. Ad C. V. Ioannem Sambucum* (hoc enim ordine tunc Lipsius Taciti

libros collocavit). Post Dialogi finem sequuntur *Notae, quibus lectionum varietas et emendationum ratio explicatur*, praecedente ad lectorem monitione, in qua inter alia Lipsius scribit: „Usus sum Romae tribus codd. „MSS. — Bibliothecae Farnesianae primus fuit, „quem beneficio C. V. et humanissimi Fulvii Ursini „sum adeptus: duo alii prompti ex illo thesauro Musa„rum, Vaticano. Sed alteri ex his duobus neque aetas „neque bonitas eadem fuit: alter ex interiore et arcana „bibliotheca, admirabile dictu est, quas notas boni et „sinceri codicis saepe praetulerit. Eius argumentum, „quod pleraque in eo more antiquo descripta *Anquiro*, „*Cludo*, *Escendo* et alia quae opportune memorabo. „His tribus accessit editio Veneta vetus, anni ∞.CCCC. „XCIIII." De anno Lipsius falsus est. Postea Andreas Schottus ex Hispaniis excerpta quaedam sive notulas misit e codice scripto Antonii Covarruviae, quibus tamen Lipsius raro usus est, quia codex ille non videbatur optimae rei. Habuit etiam per Franciscum Modium excerpta e codice Agricolae, nec non editionem Spirensem.

Lipsii editio saepissime repetita est cum ipso vivo tum post eius mortem (cf. Oberlin. in praefatione et Ebert. l. l. p. 874.) et animadversiones eius cum excursibus in plerosque libros transierunt. Cum notis et emendationibus Hug. Grotii editio Lipsii impressa est Lugd. Batav. 1640. forma 12., in offic. Elzevir. Amstelod. 1649. addita sunt H. Savilii studia in Tacitum. Mihi ad manus fuere prima illa anno 1574. impressa: tum quae prodiit Lugd. Bat. ex officina Plantiniana, apud Franciscum Raphelengium an. 1598. octonis: deinde quae excusa est Antverpiae in offic. Plantin. 1607. forma maxima: porro quae exiit Lugd. Bat. 1619. octonis: denique quae repetita est Antverpiae in officina Plantin. 1627. forma maxima.

Eadem aetate praecipuam Tacito operam dedit M. Antonius Muretus, qui scripsit *Varias lectiones* (Lugd.

Bat. 1586.), et Mureti ingenium multum profuit Lipsio in emendandis Taciti libris.

§. 26. *Editio Curtii Pichenae.* Prodiit Francofurti apud Claudium Marnium et haeredes Ioannis Aubrii an. 1607. 4. hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera quae exstant iuxta veterrimos Manuscriptos emendata, notis auctioribus illustrata per Curtium Pichenam sereniss. Magni Ducis Etruriae a secretis.* — Notas Pichena iam prius seorsim ediderat primum Florentiae, tum Hannoverae an. 1604. 8. Profuit Tacito eo potissimum, quod e MSS. Florentinis veriorem scripturam multis locis restituit et subtili ingenio aestimavit. Sed magis etiam profuisset, si accuratius scripturam Florentinam adnotasset. Nam saepe, licet scriptura tunc vulgata a codd. Flor. aberraret, variam scripturam prodere neglexit, quia in verbis vulgatis ipse non offendebat. Ceterum Pichena utebatur etiam ed. Veneta de an. 1497. Ipsius editio repetita est Genevae apud Petrum de la Rouiere 1609. 8.

§. 27. *Editio Iani Gruteri.* Prodiit Francofurti e collegio Paltheniano sumptibus Ionae Rhodii an. 1607. 8. Gruterus in hac editione primus instituit eam librorum singulorum in capita divisionem, qua hodie utimur, addiditque indicem rerum et vocabulorum pleniorem. Posteriore libri parte continentur: Andr. Alciati annotationes: Beati Rhenani castigationes: Aemylii Ferretti I. C. annotatiunculae: M. Vertranii Mauri I. C. notae (Vertranius e duobus MSS. Vaticc. auxilia habuit): Fulvii Ursini notae: Marcelli Donati dilucidationes: Francisci Modii novantiquae lectiones ad Tacitum (epist. XV. Iano Lernutio et epistola XCIX. Iusto Lipsio): Iosiae Merceri ad Cornelium Tacitum aliquot notae: Curtii Pichenae notae: Christophori Coleri ad C. Cornelii Taciti scripta spicilegium: Iani Gruteri Schediasma. — Gruterus plerumque sequitur textum, quem dicunt, Lipsii: nonnulla emendavit e Pichenae senten-

tia, neque tamen omnes, quas hic suppeditaverat, emendationes recepit.

§. 28. *Editio Matthiae Berneggeri.* Prodiit Argentorati an. 1638. 8. Repetit editionem Pichenae: pauca mutavit e sententia Ioannis Freinshemii, qui ipse hanc a Berneggero socero paratam editionem emisit, dedicavit et locupletavit addita expositione locorum Cornelianorum intactorum interpretibus aut secus acceptorum. Liber insignis est locis parallelis in margine perutiliter adiectis et indice in Tacitum confecto industria et labore Melchioris Freinshemii. — Repetita est haec editio Argentorati 1664. 8.

Anno 1643. prioribus Taciti editionibus accessit: *C. Cornelius Tacitus et in eum M. Z. Boxhornii observationes.* Amstelodam. ex off. Iansson. 12. Perraro accidit Boxhornio, ut sani quid adferret. Edit. nov. auct. Amst., Iansson, 1653.

§. 29. *Editio I. Fr. Gronovii.* Prodiit Amstelodami apud Danielem Elsevirium 1672. 8. Voll. II., hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera quae exstant, integris I. Lipsii, Rhenani, Ursini, Mureti, Pichenae, Merceri, Gruteri, Acidalii, Grotii, Freinshemii, et selectis aliorum* (ut Salinerii) *commentariis illustrata. I. Fr. Gronovius recensuit et suas notas passim adiecit. Accedunt Iacobi Gronovii excerpta ex variis lectionibus MS. Oxoniensis.* — Io. Fred. Gronovius quum ante emissionem huius libri fato concessisset, in vicem eius successere Iacobus et Laurentius Theodoricus Gronovii filii. — Eadem editio repetita est Amstelod. 1685.

§. 30. *Editio Theodori Ryckii.* Prodiit Lugd. Bat. apud Ioannem Hackium an. 1687. 12., hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera quae exstant ex recensione et cum animadversionibus Theodori Ryckii.* — Animadversiones Ryckii peculiari titulo instructae ferunt annum 1686. Bonam operam Tacito Ryckium praestitisse inter viros doctos satis constat. Egregie meruit de explicandis rebus antiquis, multa vitia sustulit auctoritate

codicum Florr., quorum collationem habuit ab Iacobo Gronovio factam et suppeditatam. Nonnunquam nimis indulsit codici MS. Agricolae, quem possidebat. Aderant etiam variae scripturae e cod. Regio Parisiensi a Melch. Thevenotio praebitae, editio Beroaldi, Rivii Veneta et Puteolani Veneta. — Repetita est Londin. 1760. cum eiusdem Ryckii Seiano Tomis IV.

§. 31. *Editio Iacobi Gronovii.* Prodiit Traiecti Batavorum apud Iacobum a Poolsum et Ioannem Visch. an. 1720. 4. Voll. II., hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera quae exstant, integris Beati Rhenani, Fulvii Ursini, M. Antonii Mureti, Iosiae Merceri, Iusti Lipsii, Valentis Acidalii, Curtii Pichenae, Iani Gruteri, Hugonis Grotii, Ioannis Freinshemii, Io. Fred. Gronovii, et selectis aliorum commentariis illustrata. Ex recensione et cum notis Iacobi Gronovii.* — Bene hic editor de Tacito meruit accuratius facta codicum Florentt. collatione. Quae ex suo ingenio ad emendandum et explicandum contextum attulit, quanquam non omnino spernenda, plurimam partem claudicant et ingratis ambagibus, quis proferuntur, displicent. Insolenter invehitur in Ryckium, cuius tamen merita navatam ab Iacobo operam fortasse superant. — Dedicavit hanc editionem, novissimum Iacobi Gronovii opus, Abrahamus Gronovius Iacobi filius.

§. 32. *Editio Ioan. Aug. Ernestii.* Primum prodiit Lipsiae an. 1752. 8. et iterum 1772., hoc titulo; *C. Cornelii Taciti Opera, notas integras Iust. Lipsii, I. Fr. Gronovii; Nic. Heinsii et suas addidit I. A. Ernestius.* — Egregiam omnino ille operam scriptori navavit. Priorum interpretum sententias opinionesque recte plerumque diiudicavit, accuratiorem veterum librorum rationem habuit, quorundam, ut edd. Spir. Put. et MS. Guelf., collationem instituit, quanquam non satis diligentem. Idem vero opinionibus quibusdam latinitatem spectantibus ita ducebatur, ut multa temere damnaverit, quae erant sana, nec semel Tacitei stili osorem prodiderit.

Editio Ioann. Nicolai Lallemandi. Prodiit Parisiis an. 1760. T. I — III. 12. Secutus est recensionem Ernestii novaque auxilia attulit e cod. Reg. Parisiensi.

§. 33. *Editio Gabrielis Broterii.* Prodiit Parisiis ex officina Ludovici Francisci Delatour. an. 1771. form. 4., quattuor voll., hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera recognovit, emendavit, supplementis explevit, notis, dissertationibus, tabulis geographicis illustravit Gabriel Brotier.* — Eam rationem instituit, ut textui, quem dicunt, animadversiones subiungeret ad interpretationem potissimum spectantes. Critica pars continetur Notis et Emendationibus, quae singulis voluminibus adnexae reperiuntur. In his suppeditatur varia scriptura non solum quae ad Broterii aetatem per priores editores innotuerat, sed etiam quam ipse repperit in codd. Vaticanis, Oxoniensibus, Reg. (Paris.), Corbinelli et edd. vett. Sed in excutiendis MSS. Vaticc. minus diligenter versatus est quam debuit. Omnino a Broterio criticam molem potius congestam quam digestam dixeris: acumen ingenii in ipso desideraveris. Iudicat plerumque e sententia Ernestii.

Editio I. H. Dottevillii. Tertium prodiit Parisiis an. 1792. Contulit denuo codicem Regium Paris. et alium Institut. Orat. Ies. cf. §. 17.

Editio Ferleti. Prodiit Paris. 1801. 8., hoc titulo: *Observations littéraires, critiques, politiques, militaires, géographiques etc. sur les Histoires de Tacite, avec le texte latin corrigé, par Edme Ferlet.*

Editio Bipontina. Primum prodiit an. 1779 — 80. form. 8. Voll. IV. e recensione G. Ch. Crollii: iterum impressa est an. 1792. auctior et emendatior cura F. Ch. Exteri. — Qui editores quam sint emendandi studio inconsulte grassati in Taciti libros, doctiores viri satis aestimarunt. Nec tamen sine omni fructu Taciti libros versaverunt.

§. 34. *Editio Oberlini.* Hic editionem Ernestii denuo curavit imprimendam eamque auxit suis animadversionibus, an. 1801. 8. Voll. II. — Oberlinus accu-

ratius contulit codicem MS. Bud. nec pauca eius auctoritate et e sententia Bipontinorum immutavit multo damno dignitatis atque veritatis, quanquam sua merita viro denegari nequeunt. Primus Annalium liber et secundi libri capita viginti quattuor e manu F. A. Wolfii prodierunt.

Editio Ge. Alex. Rupertii. Prodiit Gottingae an. 1804., hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera. Volumen I. Taciti Annales ad optimorum exemplarium fidem recensiti atque prooemio, argumentis et indice rerum instructi.* Accedit: *Eiusdem commentarii perpetui in classicos Romanorum scriptores volumen VI. in C. Cornelii Taciti opera.* etc. — Reliquos Taciti libros ab illa manu edendos adhuc exspectamus.

Editio Ioan. Car. Weikerti. Prodiit Lipsiae an. 1813. tribus voluminibus, et hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera, Mit Einleitungen, Zeit- und Geschlechtstafeln und erklärenden Anmerkungen für studierende Jünglinge und alle Freunde der alten Literatur, die nicht eigentliche Philologen sind.*

Editio Dureau de Lamalle. Oeuvres de Tacite avec la traduction françoise. Paris, Michaud. 1808. V Voll. in 8. — 1817. VI Voll. in 8. (Primum prodierat 1790. III Voll.)

Editio Ios. Naudeti. Prodiit Parisiis cura Nicolai Eligii Lemaire an. 1820. quinque voluminibus, et hoc titulo: *Caius Cornelius Tacitus qualem omni parte illustratum postremo publicavit Ier. Iac. Oberlin, cui postumas eiusdem annotationes et selecta variorum additamenta subiunxit Ios. Naudet ex regia inscriptionum et litterarum academia in instituto Gallico.* — Repetiit ille Oberlini editionem, perraro adiectis adnotatiunculis novis. Volumine quarto post Dialogum de oratoribus addidit *Supplementum Dialogi* auctore Brotier: Io. Henr. Aug. Schulzii excursus ad Dialogum: Excursus M. A. Mureti, Iusti Lipsii et variorum ad opera C. Corn. Taciti. — Quinto volumine continentur: appendix Chronologica auctore Broterio,

et eiusdem C. Cornelii Taciti Politica. Exempla imitationis e tragoediis variorum poetarum Gallorum collecta. — Indices nominum et rerum et latinitatis sexto volumine addidit.

Editio Imman. Bekkeri. Prodiit Berolini a. 1825. hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera ex recensione Ernestiana recognovit Immanuel Bekkerus. In usum scholarum.*

Editio G. H. Lünemanni. Prodiit Hannoverae an. 1825. hoc titulo: *C. Cornelii Taciti Opera. Ad optimarum editionum fidem scholarum in usum curavit G. H. Lünemann.*

Editio Theophili Kiesslingii. Prodiit Lipsiae an. 1829. hoc titulo: *C. Cornelii Taciti Annales. Recognovit, annotationem criticam adiecit Theophilus Kiesslingius.* Sero haec editio ad meum usum adlata est et postquam meae commentationes iam erant paratae. Quare non potui nisi brevibus verbis Kiesslingii iudicia adferre.

De editionibus minorum Taciti librorum quae seorsim prodierunt, dicetur in praefatione voluminis quarti.

V. DE HUIUS EDITIONIS CONSILIO ET RATIONE.

§. 35. Satis constat inter viros doctos Taciti libros qui supersunt priorum editorum atque interpretum studiis id nondum esse nactos, ut in genuinam scripturam restituti et in veram verborum sententiam explicati utique videantur. Quantum in hac re supersit operae navandae testantur certamina nostratium hac aetate ad illud opus concurrentium. Inter quos et ego pridem pro exigua facultate et viribus studebam aliquid conferre, quo praestantissima illa antiquitatis monimenta a sordibus temporum purgarentur. Iam primum Observationum mearum specimen quum anno 1819. edidissem, fuerunt docti viri, qui et publice et privato adloquio

aut scripto hortarentur, ut ederem quae plura eiusdem generis in scriniis meis laterent. Conquirebam schedulas meas: at tunc intellexi maiora esse audenda, si, quae aliquo modo usui forent, parare vellem. Videram in Taciti Annalibus et Historiis multos locos, ubi nil certi constaret de scriptura praestantissimi codicis Florentini. Simul compereram in bibliotheca regia Monacensi haberi exemplum editionis Beroaldinae, quod quondam fuit Petri Victorii, in eoque libro inveniri collationem codicis illius Florentini a manu Victorii scriptam. Intercedente Illustrissimo Iacobsio, quem civitas Gothana inter decora sua numerat, impetravi, ut in usum meum is liber concederetur. Iam primum accipe, quid rei sit in illo codice.

In fine Historiarum a Victorii manu scripta leguntur haec:

„Recognovi cum vetusto Exemplari literis Longobardis scri-
„pto ne ea quidem (Reisigius noster haec legebat: ne talia
„quidem) in conlatione omittens quae corrupta aliquo pacto
„videbantur ne locus coniecturae emendaturo deesset. Est
„autem codex e Divi Marci Bibliotheca. Florentiae MDXLII.
„Idibus Ian.

P. Victorius." *)

Inde ab undecimo libro Annalium Victorius scripturam Florentinam ab editione Beroaldi diversam ad-

*) Petrus Victorius Florentinus, patre Iacobo nobilissimo loco natus anno MCCCCLXXXXIX, iuvenis arti medicae ex patris voluntate operam daturus Pisas commigravit, unde reversus acerrimo studio in veterum scriptorum lectionem incubuit. Generis nobilitate, eruditionis fama et ducum Mediceorum benevolentia cum maxime adiutus omnes etiam summos in patria honores capessivit et honorificentissimos ad exteros legationes obivit. Utilissimum vero est ratus et docendo (functus enim est primum philosophiae moralis, deinde eloquentiae professione) et scribendo de Graecis et Romanis litteris bene mereri. Quod quam feliciter ei successerit, ne de Graecis dicam, Ciceronis, Varronis aliorumque eius manu emendata scripta locupletissimos habemus testes atque optimo iure eum „tot librorum sospitatorem atque Aesculapium" praedicare potuit M. Gesnerus in Praef. ad Script. R. R. p. XX. „sagacissimum antiquitatis investigatorem" Carolus Reisigius Coniect. I. p. 54. Luculentissimum vero eruditionis atque acuminis documentum reliquit Variarum Lectionum libros XXV an. 1553. et XIII novos libros 1569. Florentiae

posuit plerumque in margine: breviores varietates, et si qua una alterave littera mutanda, in ipso contextu significavit. Quae deerant in cod. Flor., notata sunt lineolis vel punctis suppositis. Reperiuntur etiam animadversiones ex ingenio Victorii profectae, quas ille a collatione libri Florentini distinxit praeposito *c'* (h. e. *corrige*). Plerisque in locis Victorium cum Pichena et Iacobo Gronovio de scriptura Florentina consentientem inveni: sunt vero haud pauca, quae ab illis neglecta aut diversa prodidit. Quae qualia et quanta sint, in adnotatione mea leguntur. Quam enim diligentissime fieri potuit, Victorii notas expressi ne minimis quidem omissis. Sunt denique loci, in quibus ille scripturam Beroaldinam intactam reliquit, quanquam Pichena aut Iac. Gronovius in codice Flor. alia se vidisse testantur. Quaeritur, cui eorum plus fidei sit habendum. Ego mihi iudicium de hac re non adrogabo. Id tantum velim consideres, difficultate legendi litteras Langobardicas et compendia illi codici propria satis excusari nonnullum virorum de eius scriptura dissensum. Ut ut sit, diligentiorem certe Victorii collationem multa arguunt. Quare haud exigua puto auxilia, quae iam a manu Victorii ad stabiliendum Annalium Historiarumque contextum offeruntur.

Ceterum meminisse te velim, Victorio esse inspectum unum illum codicem litteris Langobardicis scri-

---

editos, saepius postea repetitos. Diligentiam eius veteres libros scriptos conferendi et inde textum vulgatum quem vocant emendandi, raram religionem et fidem hac re comprobatam uno quasi ore summis laudibus ornarunt viri, quos in arte critica factitanda fere principes iactamus, I. Scaliger (in Scaligeranis prioribus p. 147., posterioribus p. 251.), L. Torrentius (ad Suet. Claud. c. 43.), I. G. Graevius in Praef. ad Cic. Epist., Ioan. Aug. Ernestius aliique, quos enumerare longum est. Diem obiit supremum a. d. VI. Id. Decembr. MDLXXXV. annos natus octoginta sex. Uberiora si quis velit cognoscere, adeat:

(Ant. Benivieni, *Vita di Piero Vettori, l'antico, Gentilhuomo Fiorentino.* Fiorenza 1583. Elogium P. V. in: *Eius et Ioan. Caselii epistolis* (Frcfti 1697.) p. 137 — 142. L. Salviati: *orazione delle Lodi di Piero Vettori* in: *Raccolta di Prose Fiorentine.* Vol. III. p. 81 — 142. A. M. Bandini: *de vita et scriptis P. V.* Florent. 1759.)

ptum, qui complectitur libros Annalium posteriores et Historiarum, neque vero codicem Corbeiae repertum, cui insunt priores Annalium libri. Doctissimus Rothius, in cuius manibus est collatio Victorii, in his quoque solet provocare ad Victorii auctoritatem. Deceperunt virum Victorii adnotationes ex ingenio ibi additae, quas minime celavi.

§. 36. Collationem codicis MS. Guelferbytani instituí accuratissimam. Porro videram multa subsidia e codd. MSS. adlata in editionibus Broterii aliorumque latere neglecta fere recentioribus editoribus, nec ullam exstare editionem, quae omnem quae innotuit varietatem scripturae complectatur et cum talium rerum studiosis communicet. Quare concinnanda et in certum ordinem redigenda duxi quaecunque e codd. MSS. innotuerint a vulgata scriptura diversa aut ad confirmandam eandem idonea. Excussi igitur omnes quantum fieri potuit libros, quibus codicum MSStorum collationes insunt, ut uno conspectu exhiberem, quae hucusque e multis libris erant conquirenda. Qua in parte si nonnulla me fugerint, veniam peto propter molem huius laboris. Potissima certe congessi.

§. 37. Editiones veteres iam pridem Ernestius, Broterius et Oberlinus feliciter in usum criticum converterant, sed neque diligenter satis neque eo quo par erat ordine: multa etiam falsa inde attulerant. Cui rei ut melius consuleretur, curatius examinavi editiones Spirensem, Puteolani Mediolanensem et Venetam, Beroaldi, Alciati (Basil. 1519.), Rhenani, Aldi aliorumque, ut iam constet, quae sit cuiusque scripturae origo atque auctoritas, quae debeantur veterum codicum traditioni aut recentiorum editorum coniecturae. Omnino id egi, ut accuratam textus, quem dicunt, historiam in hac editione exponerem. Nimia fortasse quibusdam videbitur opera in hac re posita: nam editionis Spirensis aliorumque librorum nugas quascunque adnotavi. Sed quia ed. Spir. aliaeque veteres sunt instar codi-

cum MStorum, haud absurdum esse putavi sub omnium oculos ponere, quae ibi quocunque loco reperiantur. Id satis scio multa in hac scripturae variantis farragine adferri, unde parum auxilii Tacito veniat. At tamen utilissima sunt, ut cognoscas varias multiplicesque errandi vias, quas qui bene noverit, feliciore successu rem criticam tractabit: utilissima etiam eo nomine, quod lectori suppeditant accuratiorem veterum librorum notitiam, qua instructus rectius iudicabit de singulorum librorum fide atque auctoritate. Nam qui multis vitiis scatent et conspicuae oscitantiae vestigia ferunt, caute audies, ubi a ceteris codicibus discrepant.

§. 38. Inter quod omnia scrutandi studium non potuit non fieri, ut plurimos deprenderem locos, quibus vetus scriptura male neglecta a recentioribus editoribus restituenda esset atque abigenda nimis sedula quorundam emendatio, non ob chartaceam vel membranaceam veteris scripturae auctoritatem, sed ob internam praestantiam veritatemque. Inter alia huius generis exempla vide locum An. 1, 65., ubi restitui *vinctae legiones* e codice MSto. Beroaldus tacite edidit *victae* et in codice MSto hodie invenitur *vinctae*, nota censoria litterae *n* addita a recentiore manu: quae manus haud absurde creditur ipsius fuisse Beroaldi. cf. supra §. 14. et §. 22. At multo aptius illo loco Arminius dicit *vinctas legiones* quam *victas*. Nam *vinctae* dicuntur quae quasi sunt in vinculis neque possunt aufugere. Quod non additur *quasi*, *velut* vel simile quid, ut alibi, causa est in adfectu loquentis. *Victae* tunc legiones nondum erant: poterant tamen *victae* ab Arminio praesumi, quare scripturam *victae* minime ineptam dixerim. Sed maneat vetusto libro sua auctoritas, quae hic sine omni causa violabatur. Aliis in locis, quos in veteribus libris aperte corruptos viri docti feliciter emendasse videbantur, minime aspernatus sum dona a subtilibus interpretum ingeniis oblata. Nonnunquam receptam scripturam quanquam dubiae fidei reliqui intactam, quia

non satis fidebam libris alia suadentibus vel quia res erat parvi momenti. Saepius suspiciones de his illisve locis motae rectiore tantum verborum explicatione aut membrorum distinctione poterant tolli.

Adnotationis enim modum usurpavi, ut brevitatis studio iudicium leviorum rerum relinquerem doctum penes lectorem et locis difficilioribus et vexatis tantum uberiore uterer disputatione. Multa quae pertinent ad latinitatis legem et elocutionem Taciti reservantur indici vocabulorum, qui quinto huius editionis volumine exhibebitur. Indicem rerum, quae in commentariis tractantur, in calce quarti voluminis posui, ut lectoribus praeberetur conspectus molis criticae in hac editione congestae. Ceterum id satis intellexi uno hoc cursu non potuisse omnia absolvi, quae in Taciti libris essent retractanda. Supersunt alii libri veteres inspiciendi, supersunt loci etiam nunc accuratiore indagatione perlustrandi. Quare et in posterum dabo operam, ut, quae Taciti amatoribus placeant, in lucem proferam, si modo talibus officiis idoneus videbor.

§. 89. In re orthographica recentissimi editores in diversissimas discesserunt partes. Alii id agunt, ut quam diligentissime revocent etymologicam verborum formam retineantque genuinas praepositionum verbis praefixarum litteras, ut *adsimulare*, *adsumere*, *adscire*, *adsum*, *adfui* et talia quaecunque. Alii malunt abigere formas illas ut duriores atque adoptare mollius scribendi genus, quo ultima praepositionis littera adsimuletur principio verbi. Quare scribunt *assimulare*, *assumere*, *ascire*, *assum*, *affui* etc. Hi auctores habent codices MStos recentioris aetatis et Puteolanum et editores illum secutos. Illi maiore auctoritate codicum Florentinorum nituntur. Nam et cod. Flor. Corbeiae repertus et cod. Flor. litt. Lang. scriptus eam scribendi rationem retinent. Unde factum est, ut Beroaldus et sequentium editorum quidam in prioribus Annalium libris ad fidem codicis Florentini primum editis aliam prorsus orthographiam sequerentur quam

in posterioribus Annalium et Historiarum libris, quia horum contextum hauriebant ex editione Puteolani. Ne putes Florentinorum codicum scripturam grammaticis librariisque posterioris aevi deberi, cavent monimenta aeri saxove tempore florentis latinitatis incisa, inter quae adfero e Monimento Ancyrano *conlega*, *adsignavi*: e monimento Lugdunensi, in quo legitur oratio Claudii in senatu habita, *adprobare*: e monimento apud *Piranesi Antich. Rom. T. I. tab. IX. et X. adquisito*: e monimento apud Gruter. p. 300. nr. 1. *adlectus*. Et habet sane haec scribendi ratio gravitatem quandam Tacito aptissimam. Sed vide, ne nimium indulgeas huic studio etymologiae et adferas formas nemini inter veteres auditas, ut *adspernari*, *adpellare*, *adcusare*, *adcipere* et alia quaedam eius generis, quae neque in monimentis aeneis lapideisve neque e codd. MSS. Florentinis prodita inveni: ubique potius vidi *aspernari*, *appellare*, *accusare*, *accipere*. Quare ita in ista re versatus sum, ut ex hoc genere retinerem formas auctoritate codicum Florentinorum et inscriptionum constanter commendatas, depellerem duriores et inauditas. Ita medium aliquod inter duas partes scribendi genus exstitit, quo vitatur id quod offensioni est ab utraque parte. Neque tamen omnia admisi, quae e cod. Flor. a Victorio prodita sunt, quia videram aliis locis aliam esse formam: studebam enim constantiae, quanquam ne antiquos quidem anxie eiusmodi constantiam observasse intellexi e Monimento Ancyrano, ubi legitur *conlega* et mox *collegium*. Verum quia haec res inter nostrates accuratiore indagatione digna esse coepit, eiusmodi etiam scripturae varietatem in commentario plerumque adnotavi.

§. 40. Interpungendi modum institui eum, ut in Taciti contextu triplici nota contentus essem, puncto (.), colo (:) et commate (,). Nam quod recentiores editores addunt semicolon (;) in Taciti libris inutile esse cognovi, quippe qui a longiorum periodorum artificio abhorrens et concisis sententiis gaudens vel sine inter-

punctione legi posset. Pessimam illam commatum multitudinem a quibusdam invectam abegi ut molestam atque ineptam. Nam sunt qui interpungendi studio tantopere indulserint, ut ea quoque commatis separarent, quae artissime erant coniungenda, eaque mala sedulitate genuinam latinorum verborum structuram aspernantes ingens taedium lectori crearent. Editiones Spirensis, Puteolani et Beroaldi punctum (.) tantum et colon (:) usurpant. Postea additum est comma (,), quo etiam codex MS. Guelferbytanus utitur. Et hoc signum certe utilissimum est, si recte ponitur.

§. 41. Non omisi in usum vertere studia eorum, qui Taciti libros sermone Germanico nuper expresserunt. Ad manus mihi fuerunt:

Tacitus, übersetzt von D. Carl Friedrich Bahrdt, Halle bey Ioh. Iac. Gebauer 1781.

Werke von Caius Cornelius Tacitus, Deutsch, mit Abhandlungen und Anmerkungen von Carl Ludwig von Woltmann. Berlin 1811. sqq.

Des Caius Cornelius Tacitus sämmtliche übriggebliebene Werke, übersetzt durch Friedrich Karl von Strombeck. Braunschweig 1816.

Des C. Cornelius Tacitus sämmtliche Werke, übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Dr. Friedrich Reinhard Ricklefs. Oldenburg 1825. sqq.

Werke des Caius Cornelius Tacitus, übersetzt von Carl Freyherrn von Hacke. Frankfurt a/M. 1825. sqq.

Des Caius Cornelius Tacitus Geschichtbücher, übersetzt von Heinrich Gutmann. Mit philolog. und histor. Anmerkungen. Zürich 1824.

Des Caius Cornelius Tacitus auf uns gekommene Werke, verdeutscht, nebst einer durchgängigen Texteskritik und den nöthigen Sacherklärungen, von Georg Christian Herrmann. Giessen 1827.

De aliis eius generis codicibus, quibus in recensendis minoribus Taciti libris usus sum, suo loco dicetur.

§. 42. Restat, ut quam maximas gratias agam viris praestantissimis atque amicissimis, qui rogati vel sponte librorum subsidio rem meam adiuvarunt.

Si quid opera mea profuerit egregio scriptori, huius meriti laudem lubenter communicabo cum iis, quorum facilitate in suppeditandis auxiliis factum est, ut fontes adirem rariores et omnia, quae usui forent, compararem. Praecipua cum laude memoranda sunt officia mihi praestita a viris humanissimis, quorum sumptibus haec Taciti editio parata est. Ea enim diligentia, prudentia et integro studio res Taciti nostri curarunt illi, ut non possim non grato animo impertiri ipsis gloriam, quam hoc nomine meruerunt.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Rei Romanae status ante Augustum. 2. Eius artes et via ad imperium. 3. Varii ab Augusto destinati successores. 4. Status rerum et affectus civium sub Augusto. Iudicia de successoribus. 5. Morbus Augusti, et mors celata. Accitus ad successionem Tiberius. 6. Caedes Postumi Agrippae. 7. Roma prona in servitutem. Iuratum in verba novi principis. Eius callida tergiversatio. 8. Augusti testamentum et honores eximii in funere. 9. De Augusto iudicia in utramque partem. 10. Iudicia sequiora. 11. Tiberius imperium subdole renuit, urgente senatu. Rationarium imperii. 12. Asinio iratus Tiberius, 13. mox Aruntio, Haterio et Scauro. 14. Senatus adulatio in Liviam, a Tiberio temperata. 15. Ratio comitiorum. Ludi Augustales. 16. Seditio Pannonicarum legionum, VIII. IX. XV. Concitor Percennius. 17. Huius seditiosae conciones. 18. Furit miles, quem moderari conatur Blaesus. 19. Legatio ad principem. 20. Recrudescit seditio. 21. Blaesus frustra obnititur, 22. Vibuleni fallaci facinore paene oppressus. 23. Tribuni mil. pulsi. Lucillius caesus. 24. Drusus seditioni sedandae missus a Tiberio. 25. Drusus litteras Tiberii recitat. 26. Militum postulata differt. Clamor. 27. Hinc tumultus acrior. Lentuli periculum. 28. Lunae defectio seditiosos terret, nec deest occasioni Drusus. 29. Miles ponit ferociam. 30. Capita tumultus caesa. Legiones hibernis suis redditae. 31. Gravior oritur seditio legionum octo Germanicarum. 32. Saevitia in centuriones. Chaereae facinus. 33. Germanicus Caesar ad legiones e Gallia properat: 34. quas ad fidem cohortatur. 35. Eae querelas promunt: pars imperium offerunt acriter abnuenti. 36. Remedia quaesita. 37. Oblata missio et pecunia: sic paulum oppressa seditio. 38. Vexillarii turbant: quos fortiter coercet Mennius. 39. Denuo legg. I. et XX. turbant. Caesari vim, Planco mortem intentant. 40. Germanicus, filio et uxore dimissis, 41. militi poenitentiam iniicit, 42. 43. tum eum facunda oratione alloquitur. 44. Mutati poenas in se ultro poscunt: noxios ipsi puniunt. Centuriones novi suffecti. 45. In turbidos adhuc vis paratur. 46. Trepidae urbis rumores. 47. Tiberius iter simulat. 48. Germanici minae. 49. Miles suos turbatores ipse caedit. 50. Errorem expiaturi in hostem eunt. Marsi oppressi. 51. Tanfanae templum dirutum. Insidiae in re-

ditu irritae. 52. Tiberius maligne laudat Germanicum. 53. Iuliae mors et mores. Gracchus caesus. 54. Sodales Augustales instituuntur. Histrioniae turbae.

55. Proximo anno in Cattos excursus. Arminius. Segestes. 56. Catti improviso oppressi. Mattium incensum. 57. Segestem obsessum liberat Germanicus. Uxor Arminii capta. 58. Segestis oratio. Segestes cum suis benigne habitus. 59. Arminius in eum et Romanos invehitur. 60. Cherusci aliique populi rebellant. Bructeri fusi. 61. Monimenta cladis Varianae. 62. Reliquiae illius cladis tumulatae, improbante Tiberio. 63. Pugna cum Arminio. 64. Caecinam loco iniquo aggreditur Arminius intrepidum. 65. Milites consternati. Caecinae somnium infaustum. Caesi paene Romani. 66. Panicus terror ut repressus. 67. Consilium Caecinae de recessu. 68. Felix eruptio. Germanorum clades. 69. Agrippinae viriles curae Tiberium offendunt. 70. Legiones aestu maris cum periculo revectae. 71. Segimerus in deditionem acceptus. Exercitus damna suppleta. 72. Tiberii ficta modestia. Lex maiestatis revocata, 73. et in minimis quibusdam exercita. Delationum pestis ingruit. 74. Marcellus maiestatis postulatus. In eum ira Tiberii incautior. 75. Tiberii liberalitas. 76. Tiberis inundatio. Achaia et Macedonia levatae. Drusi munus. 77. Theatri licentia coercita. 78. Templum Augusti. Centesima. 79. An aquae Tiberi subducendae. 80. Tiberius cur praesides raro mutarit. 81. Comitiorum confusa ratio.

Haec fere biennio gesta,
SEX. POMPEIO ET SEX. APPULEIO, COSS.
NERONE CLAUDIO DRUSO CAESARE ET
C. NORBANO, COSS.

Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem et consulatum L. Brutus instituit. dictaturae ad tempus sumebantur: neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu va-

COMMENTARIUS.

CAP. 1. *ad tempus*. H. e. dictaturam non fuisse imperium ordinarium aut annuum, ut regnum et consulatus, sed extra ordinem et tantum in tempus, quod dictatorem posceret, datum. Sic Suet. Iul. c. 39. *stadium ad tempus exstructum* est stadium non stativum, sed in usum illorum dierum factum, ut postea abrumperetur. Eodem sensu ibid. c. 10. dicuntur *porticus ad tempus exstructae*. Prudent. Cathemer. Hym. 1, 25. *somnus ad tempus datus est forma mortis perpetis*. Tac. de Orat. c. 32. *sufficit, ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur*. Graeci sic adhibent πρὸς καιρόν. Dio 56, 39. μικράν τινα ἰσχὺν καὶ ταύτην πρὸς καιρὸν ἔχοντες. Arrian. exped. Alex. 7, 7. de rivis apud Euphratem: αἱ μὲν ἀέναοι — τὰς δὲ καὶ πρὸς καιρὸν ποιοῦνται.

ultra biennium. Lipsius accipit, quasi auctor scripserit: *haud multo ultra biennium*, quoniam sane ultra biennium decemviri potentiam tenuere. Cum Lipsio facit Freinshemius. Vertranius locum corrigi iubet in *ultra triennium*. At re vera *potestas decemviralis* non ultra biennium duravit. cf. Liv. 3, 38. *Idus Maiae venere. Nullis subrogatis magistratibus privati pro decemviris — prodeunt*. Igi-

luit. non Cinnae, non Sullae longa dominatio, et Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Caiique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum

tur *potestas* (ἐξουσία) decemviralis post biennium desiit; anno tertio privatorum vis rem publicam oppressit rerumque illi potiti sunt sine potestate. Iam P. Scriverii sententia supersedebimus, qua censebat utramque controversam vocem esse relegandam.

Sullae. Hanc scripturam praeferunt edd. Beroald. Rhenan. aliaeque vett. in libris Annalium sex prioribus, duce MSto unico. Inde a libro undecimo edd. Put. Beroald. Rhen. scribunt *Sylla*, ed. Spir. plerumque *Silla*. Sed MS. Flor. lit. Langob. scr. ubique fere habet *Sulla*. cf. not. ad 11, 22.

nomine principis. Quomodo id nominis nactus sit, vide apud Dion. 53, 1. Quae sit eius nominis vis, docemur apud eundem Dion. 67, 8. *Πρόκριτός τε τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο* (Tiberius), *καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν, ὅτι δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι.*

veteris populi Romani. Vertranius coniecit traiectas esse notas *p. r.* atque restituendas sic: *r. p.*, ut significent *rei publicae*. Nam populum Romanum tum adhuc superstitem eundemque nequivisse Tacito dici veterem. At codicem MS. integro verbo habere *populi Romani* testatur Pichena, defenditque vulgatam exemplo An. 11, 24. ubi est: *priori populo*. Satisfecit Ernestio, neque vero Wolfio. Satis tamen plerisque hodie persuasum est, argutiorem esse Vertranii opinionem. Nam si *prior populus* recte dicitur, non dubium est, eundem dici posse *veterem*, quoniam *vetus* significat id, quod prius fuit. Hinc promiscue utrumque vocabulum adhibetur. cf. Tacit. Agr. c. 33. *Ergo egressi ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos* etc. Et *populus Romanus* in tali formula non est genus hominum Romanorum, sed Romani, qui veterem civitatem constituebant. Is populus desiit ingruente Caesarum dominatione. *Vetus populus* Graecis est *ὁ ποτὲ δῆμος*.

deterrerentur. Lipsius malebat *detererentur* secundum Hist. 2, 76. Adsentit Wopkensius et Herrmann Iustus in dissert. *de fide Taciti*. 1827. p. 13. Pichena, Ioh. Fr. Gronovius, Freinshemius et Wolfius recte praeferunt vulgatam lectionem. Nam adulatio gliscens non ita valet in detrimentum quam in terrorem ingeniorum, quoniam decora ingenia ad adulationem se demittere nolunt, sine adulatione scribere periculosum est. Nostrum suorum temporum felicitas, ubi sentire, quae vellet, et quae sentiret, dicere liceret, ad scribendum excitabat. cf. Hist. 1, 1. Ita contraria temporum ratio ingenia deterrebat. De difficultate scribendae imperatorum historiae cf. Dio 53, 19. Plin. epp. 3, 5.

Neronis. cf. Ioseph. Antiq. 20, 8. *πολλοὶ γὰρ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν· ὧν οἱ μὲν διὰ χάριν εὖ πεπονθότες ὑπ' αὐτοῦ τῆς ἀληθείας ἠμέλησαν, οἱ δὲ διὰ μῖσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν*

falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi, pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

II. Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine consulem se ferens et ad tuendam plebem tribuni-

οὕτως ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν, ὡς ἀξίους αὐτοὺς εἶναι καταγνώσεως.

falsae. Wolfius coniecit *falso* s. *false*, quia *res falsae compositae* ipsi non placebant. Neque tamen ea dicendi formula latinitati repugnat. *Res falsae compositae* significat, *res, uti compositae sunt, falsae sunt;* idque sibi vult auctor. Eadem est verborum ratio infr. c. 34. *quae pulcherrima fecisset;* 3, 5. *quae honora et magnifica fecisset;* 15, 51. *quae vera non probabantur.* Quod ille monet, *fallere res gestas* s. *historiam* prorsus nihili esse, etiam *fallere nomina* nihili est, et tamen Noster Hist. 1, 37. *falsis nominibus severitatem pro saevitia, parcimoniam pro avaritia* — appellari dicit. Tritissimum enim est, id vocabulum et activam et passivam significationem habere.

cetera. Edd. vett. hic et alibi *caetera.* Sed cf. Ramshorn. Gr. §. 15. p. 15.

sine ira . . . . habeo. Quia nec beneficio, neque iniuria principes illi Tacito cogniti. cf. Hist. 1, 1.

Cap. 2. *Bruto et Cassio caesis.* Uterque semet ipse interemit. cf. Flor. 4, 6. Eutrop. 7, 3. Dio 47, 46.

publica arma. Arma, Waffenmacht; publica h. e. quae sunt senatus populique Romani; opponuntur armis privatis. Nam triumviri vi et potentia res gerebant sine publica auctoritate legitima; privato consilio et privata impensa arma comparavere. Vid. Monument. Ancyran. ab initio.

oppressus. H. e. ut 3, 41. victus, deletus ut hostis, non interfectus. Sueton. Oct. c. 16. Dio 49, 9 et 10. Appian. 5, 119. Zonaras 10, 25. Victus in Asiam fugit ibique a Titio, Antonii legato, interfectus est. Appian. 5. 144. Liv. epit. 131. Dio 49, 18. Flor. 4, 8. Plin. 7, 52. 9, 16.

exutoque Lepido. Spoliavit eum exercitu. Sueton. Oct. c. 16. Liv. epit. 129. Velleius 2, 80. Appian. 5, 126. Dio 49, 12.

interfecto Antonio. Ad mortem adegit (Suet. Oct. c. 17.) per fraudem Cleopatrae (Dio 51, 8 sqq.), ut se ipse interficeret (Liv. epit. 133. Eutrop. 7, 7. Vellei. 2, 87.).

triumviri nomine. De quo nomine videndi Sueton. Oct. c. 27. Liv. epit. 120. 132. Appian. 4, 2. Dio 46, 55. et 48, 54.

consulem se ferens. Sueton. Oct. c. 26. Dio 51, 21.

ad tuendam plebem trib. i. c. Suet. Oct. c. 27. Dio 51, 19. *ad tuendam plebem.* Liv. 3, 55. Dio l. l. καὶ τὸν Καίσαρα τήν τε ἐξουσίαν τὴν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔχειν καὶ τοῖς ἐπιβοωμένοις αὐτὸν καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου καὶ ἔξω μέχρὶ ὀγδόου ἡμισταδίου ἀμύνειν. Plebis nempe tutela praetextus, sed vim in ea potestate spectabat. cf. infr. 3, 56. Dio 53, 17.

tribunicio. Edd. vett. *tribunitio* et c. 3. *tribunitiae*, eamque scripturam sequitur Monumentum An-

cio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio

cyranum. Sed cf. Ramshorn. Gr. §. 15. p. 17.

militem donis. Victor de Caes. c. 1. *illectis per dona militibus.* Suet. Oct. c. 25 et 49. Dio 51, 17. Polyaen. 8, 24. 5.

populum annona. Suet. Oct. c. 18 et 41. Dio 53, 2. καὶ τῷ πλήθει τετραπλάσιον τὸν σῖτον ἔνειμε. Id. 55, 26. et Monum. Ancyr. tabul. 3. a laeva. Huc etiam congiaria pertinent. Suet. Oct. c. 11. Dio 51, 21. 53, 28. 55, 10.

otii. Accipe de pace per orbem Romanum constituta. Sic Liv. 3, 65. *otium domi ac foris.* Tac. Germ. c. 37. *inde otium* etc. An. 1, 19. *profecto iuvene modicum otium.* Augustus Ianum Quirinum ter clusit. Suet. Oct. c. 22.

paulatim. Sic edd. vett. et Monum. Ancyran. Ryckius induxit *paullatim.* Res levissimi momenti est.

munia senatus, magistr., leg. Quare Augustus apud Dion. 53, 9. rem publicam redditurus ad senatum dicit: ἀποδίδωμι ὑμῖν καὶ τὰ ὅπλα καὶ τὰ ἔθνη, τάς τε προσόδους καὶ τοὺς νόμους. *Cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps* iterum legitur infr. 11, 5.

cum ferocissimi. Dio 56, 44. τῶν μὲν γὰρ ἐκ τῆς δημοκρατίας ἀνδρῶν καὶ οἱ πλείους καὶ οἱ δυνατώτεροι ἀπωλώλεσαν.

per acies. Plurimi ad Philippos. Eutrop. 7, 3. *infinitam nobilitatem victam interfecerunt.* Dio 47, 49. Zonar. 10, 21. De Augusti saevitia in captivos vid. Suet. Oct. c. 13. Etiam Perusia capta (Suet. Oct. c. 15) et post pugnam Actiacam (Dio 51, 2) multi periere.

proscriptione. In qua plurimi equites Romani, centum triginta senatorum nomina fuerunt. Liv. epit. 120. Plutarch. in Antonio c. 20. Appian. 4, 5. qui 20000 equites scribit. Orosius 6, 18. senatores 132., Florus 4, 5, 4 numerum CXI habet. Crudelitatem proscriptionis cognosce apud Dion. 47, 3 sq. et Suet. Oct. c. 27.

opibus et honoribus extollerentur. Sic c. 3. *extulit pontificatu* etc. Sallust. Iug. c. 49. *uti quemque pecunia aut honore extulerat.*

ac novis. Cod. MS. test. Iac. Gronovio *at novis*, quod illi placet.

tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. Dio 56, 44. καὶ βελτίω καὶ ἀδεέστερα αὐτὰ ὧν ἤκουον ὁρῶντες ὄντα. De figurae ἓν διὰ δυοῖν specie, quae sit in hoc loco, cf. *Roth* in *C. Cornel. Taciti Synon. et per figur.* ἓν δ. δ. *dict.* 1826. p. 57. Simile exemplum est infr. 4, 3. *ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectaret*; 3, 13. *vetera et inania.*

neque provinciae i. r. st. abnuebant. Nam Aug. nisus est omni modo, ne quem novi status poeniteret. Suet. Oct. c. 29. De provinciarum sorte, quae erat sub Augusto cf. id. c. 47 et 48. Hinc etiam provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt. Suet. Oct. c. 59. Dio 51, 20.

ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

III. Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum sororis filium, admodum adulescentem, pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello gene-

ob certamina potentium. Nam inde a Mario et Sulla magnae miseriae ex bellis civilibus in provincias redundaverant.

avaritiam . . . turbabantur. Commentatorem huius loci habeto Ciceronem in Verrem. *Avaritiam magistratuum* etiam Sallust. Iug. c. 43. f. memorat. Noster 4, 6.

Cap. 3. *subsidia dominationi.* Festus *subsidium* explicat, *quod postpositum est ad subveniendum laborantibus.* Hinc infr. 2, 55. *triremes, quarum subsidio discrimini eximeretur.* Iam *subsidia dominationi* Noster dicit eos, qui succedere Augusto possent in imperio ideoque pro eiusdem dominatione niti deberent. Nam *non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum* esse, cognoscimus e Tac. Hist. 4, 52. ' Dio 55, 13. de Augusto post adoptionem Tiberii et Germanici: κἀκ τούτων ἐπιθαρσήσας ὡς καὶ διαδόχους καὶ βοηθοὺς ἔχων etc. Dativi e substantivo pendentis exempla habes infr. c. 22. *plures seditioni duces.* c. 24. *rector iuveni.* 2, 64. *causas bello.* c. 52. *per quos exercitui regressus.* An. 2, 33. *modum argento*; ibid. c. 60. *dona templis.* Intelligas verbum substantivum.

adulescentem. Sic cod. MS. sex priores Ann. libros continens, et inde vett. edd. et nuper Bekkerus, qui tamen mox eam scripturam omisit deditque in aliis locis *adolesc.* In scripturam *adul.* consentit MS. Flor. lit. Lang. scr.

ignobilem loco. Cf. Senec. controvers. 2, 12. extr. *Vipsanius Agrippa fuerat. Vipsanii nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat et M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator, qui diceret M. Agrippam et quod medium est. Volebat Vipsanium intelligi.* Velleius 2, 96. eam ignobilitatem dicit *novitatem*, leniori vocabulo per adulationem usus.

bonum militia. Nic. Heinsius in animadvers. emendat *militiae*, quod Ernestio et Rupertio satis placet. Graecismis enim delectari Tacitum dicunt. At Graecorum est ἀγαθὸς τὰ πολεμικά, non τῶν πολεμικῶν. Xenoph. Cyrop. 1, 5, 9. Aelian. var. hist. 7, 14. Hic autem *bonus* est διαφέρων, praestans, quod Graecis ponitur cum dativo vel cum praeposit. ἐν. Eum dativum Latini exprimunt ablativo. Livius 4, 2. *sic pace bonos, sic bello fieri.* Ibid. c. 3. *vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus.* Sallust. Iug. c. 13. *bello meliores.* Ibid. c. 49. Tacit. Germ. c. 32. f. Ceterum *militiae* in hac serie tum demum cum Heinsio Noster scripsisset, si voluisset dicere *bonum socium militiae et victoriae.*

geminatis consulatibus. Intellige continuatos consulatus annorum p. u. c. 726 et 727. Prius iam consul fuerat an. 717. Consulatus per plures annos continuati honor nonnisi principibus contigit. Et Augustus τὸν Ἀγρίππαν ἐς ὑπερβολὴν ἐτίμα. Dio 53, 1.

defuncto Marcello generum sumpsit. ' Iuliam primum Marcello, Octaviae sororis suae filio, tantum quod pueritiam egresso, deinde, ut is obiit, M. Agrippae nuptum dedit, exorata sorore, ut sibi ge-

rum sumpsit: Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua. nam genitos Agrippa Caium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, nec dum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinare consules specie recusantis flagrantissime cupiverat.

nero cederet. Nam tunc Agrippa alteram Marcellarum habebat et ex ea liberos. Sueton. Oct. c. 63. Plutarch. in Anton. c. 87. Dio 53, 1. 27. 30. 54, 6. Marcellum a. u. 731. mortuum Dio narrat 53, 30. eiusque viduam Iuliam datam Agrippae an. 733. lib. 54, 6. suadente Maecenate, cuius haec verba adfert: τηλικοῦτον αὐτὸν πεποίηκας, ὥςτε ἢ γαμβρόν σου γενέσθαι, ἢ φονευθῆναι. Marcelli mortem Liviae imputatam memorat Dio 53, 33.

imperatoriis nominibus auxit. i. e. tribuit, ut prisco more imperatores a legionibus salutarentur, de qua re vide Nostrum infr. 3, 74. Rarus is honor sub imperatoribus et ipsis ipsorumque filiis fere solis concessus. Nam post victoriam Actiacam Augustus omnes per arma Romana reportatas victorias ad se ut solum imperatorem referebat. cf. Dio 57, 21 et 25. Noster infr. 2, 18. Tiberium imperatorio nomine auctum vide apud Dion. 55, 28. 56, 17. Vellei. 2, 96. 97. 121. 125. Suet. Tib. c. 9. 17. 20.

etiam tum. Cod. MS. et vett. edd. *etiam dum.* At *dum*, quod negationibus iungitur, non esse huius loci bene vidit Wolfius correxitque. cf. infr. c. 49. *truces etiam tum animos*; c. 50. *stratis etiam tum per cubilia*; 15, 64. *cum etiam tum praedives et praepotens* etc. Saepius *dum* et *tum* in codd. MSS. confundi infra videbimus. Rupertius tamen Wolfii emendatione neglecta retinuit *etiam dum.*

genitos Agr. C. ac L. in f. C. ind. Adoptavit domi per assem et libram emptos a patre. Suet. Oct. c. 64. Dio 54, 18. Vell. 2, 96.

destinare. Sic cod. MS. et vett. edd. Ryckio tamen auctore, cui suffragantur Ernestius, Broterius et Wolfius, hodie edunt *destinari.* Rationes emendandi adferunt tales: 1) quod praecessit *appellari,* 2) quod non ipse Augustus destinavit, sed senatus populusque Romanus in eius honorem, 3) quod Aug. non cupiverat destinare, quasi res secuta non esset, sed vere destinati sunt. At primum Tacitus non ita anxie studet similitudini formarum, ut post *appellari* non posuerit *destinare.* cf. Hist. 4, 28. *vastari . . . et . . . transire iubet.* An. 6, 44. *quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur.* cf. not. ad An. 13, 7. Dein in monumento Ancyrano Augustus haud dubie fatetur, senatum populumque Romanum illos consules destinavisse. Sed quis nescit tum potissima arbitrio principis facta (cf. infr. c. 15.)? quis nescit, neminem tum potuisse consulem destinare praeter principis voluntatem? Hinc Dio 55, 22. de Augusto: τὸν δὲ δὴ Κορνήλιον καὶ ὕπατον ἀπέδειξε. Suet. Oct. c. 40. *comitiis tribuniciis, si deessent candidati senatores, ex equitibus Rom. creavit.* Ibid. c. 37. *censores — creavit.* Sic et Caium et Lucium destinare consules cupiverat h. e. cupiverat, ut Caius et Lucius a senatu populoque Rom. destinandi sibi commendarentur. Per speciem igitur a senatu populoque designati esse videbantur, irridentibus tamen sapientioribus, quippe haud ignaris, id fieri ex principis voluntate. Denique e forma *destinare* minime consequitur, rem secutam non esse. Quodsi inesset, eadem plane ratione utitur forma *destinari.* Im-

Ut Agrippa vita concessit, L. Caesarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem exstincto Nero solus e privignis erat: illuc cuncta vergere. filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea,

mo id potissimum hic agitur, specie recusantis illud Augustum flagrantissime cupivisse. De re cf. Dio 55, 9. Suet. Oct. c. 64. et monum. Ancyr. cuius verba sunt: *Caium et Lucium Caesares honoris mei causa senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentis consules designavit ut eum magistratum inirent post quinquennium et ex eo die quo deducti sunt in forum ut interessent consiliis publicis decrevit senatus. Equites autem Romani universi principem iuventutis utr(um)que (eo)rum par(mis) (e)t hastis argenteis donatum appellaverunt.*

ut Agrippa vita concessit. An. u. 742. ante Chr. 12. Dio 54, 28 sqq. Plin. H. N. 7, 8.

L. Caesarem . . . . . abstulit. Suet. Oct. c. 65. Caius ad bellum Armenicum missus erat ab Augusto. cf. Dio 55, 11. Zonaras p. 539. Vell. 2, 101. *remeantem et vulnere invalidum.* cf. Zonar. l. l. *ἀπελθὼν δὲ εἰς τὴν Συρίαν καὶ μηδὲν μέγα κατορθωκώς, ἐτρώθη. Ἄδδων γάρ τις τὰ Ἀρτάγειρα κατέχων ὑπηγάγετο παρὰ τὸ τεῖχος τὸν Γάϊον, ὥς τι φράσων ἀπόῤῥητον καὶ αὐτὸν ἔτρωσεν. ὁ δὲ Γάϊος ἐνόσησεν ἐκ τοῦ τραύματος . . . ὥςτε τὸν Αὔγουστον . . . ἐπιτρέψαι αὐτῷ, ἐς τὴν Ἰταλίαν ἐλθόντα πράττειν ὃ βούλοιτο. ὁ δὲ ἐς Λυκίαν ἐν ὁλκάδι παρέπλευσεν, ἔνθα δὴ καὶ μετήλλαξεν.* Lucius Massiliae decessit. cf. Suet. l. l. Zonar. l. l. *ὁ δὲ Λούκιος ἀδελφὸς αὐτοῦ προαπέσβη ἐξαίφνης νόσῳ ἀποθανών.* cf. et. Flor. 4, 12, 43. *novercae Liviae dolus.* Zonar. l. l. *ἥ τε οὖν Λιβία ἐπὶ τῷ θανάτῳ τούτων ὑπωπτεύθη, κ. τ. λ.* Ad totum locum cf. et. Senec. Consol. ad Polyb. c. 34.

exstincto. Edd. Beroald. Rhen. et sqq. *extincto.* Hodiernam scripturam induxere recentiores editores inde ab Ernestio. De Drusi morte cf. Dio 55, 1 sq.

illuc cuncta vergere. Suet. Tib. c. 15. *Nihil ex eo tempore praetermissum est ad maiestatem eius augendam.*

filius. Suet. Oct. c. 65. Tib. c. 15. Dio 55, 13. Zonar. p. 540. Vell. 2, 103.

collega imperii. Sueton. Tib. c. 21. Vell. 2, 121.

consors tribun. pot. Suet. Tib. c. 9. extr. c. 16. init. Octav. c. 27. extr. Primum an. u. 748. in quinquennium, Dio 55, 9. iterum an. 757 in decem annos, Dio 55, 13. etiam an. 766. denuo, Dio 56, 28. Ante Tiberium Agrippa consors tribun. pot. Augusto fuerat. cf. 3, 56.

omnisque. Accus. plur. per *is* frequentissimus est in sex prioribus Ann. libris; mox in edd. rarescit. Diversos enim codices MSS. auctores habuere, qui primum edidere Taciti libros. Lünemannus in edit. sua ubique adoptavit terminationem *es* constantiae causa. Ego malui antiquam formam servare et restituere, ubi aliqua veterum librorum auctoritate fieri potuit.

ostentatur. Bene Wolfius ad h. l. „Modo huic, modo illi exercitui impositus imperator, tanquam non ambiguus successor." cf. Suet.

matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulam Planasiam proiiceret, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. At hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique per adoptionem a Tiberio iussit, quanquam esset in domo Tiberii filius iuvenis: sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. Domi res tranquillae: eadem magistratuum vocabula: iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati. quotusquisque reliquus, qui rem publicam vidisset?

Tib. c. 9. 16. 18. De verbo *ostentare* absolute sic posito cf. infr. 3, 9. *ut ... se militibus ostentavisset.* Steuber in Seebod. bibl. crit. 1826. nr. 9. p. 969. Tiberium intelligit per omnis exercitus ostentatum ut adsumptum filium, collegam imperii, consortem trib. potestatis; quam rationem minime patiuntur verba sequentia: *non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu.* Scilicet antea obscuris matris artibus ut adsumptus filius, collega imperii, et consors trib. potestatis per omnis exercitus ostentatus est!

palam hortatu. Hist. 3, 24. *laude et hortatu.*

nepotem unicum. Ex Agrippa et Iulia. Suet. Oct. c. 64. Frater Caii et Lucii, simul cum Tiberio adoptatus ab Augusto. Suet. Oct. c. 65. Tib. c. 15. *Unicus* fuit nepos post Caii et Lucii obitum.

Postumum. Ed. Rhen. *Posthumum*, an invito cod. MS., non satis constat; Beroald. dedit nunc *Postumum*, nunc *Posthumum.*

in insulam Planasiam proiic. Dio 55, 32. ἐς Πλανασίαν τὴν πρὸς Κύρνῳ νῆσον ἐνεβλήθη.

rudem sane .... compertum. Suet. Oct. c. 65. Dio 55, 32. Vell. 2, 112.

Germanicum ... imposuit. Suet. Cal. c. 1. Vell. 2, 123. Dio 55, 31. 56, 25.

adscirique p. a. a T. iussit. cf. Dio 55, 13. Suet. Tib. c. 15. et Cal. c. 1.

quanquam ... iuvenis. Similiter Dio l. l. καίτοι καὶ αὐτῷ υἱὸν ἔχοντι. Suet. Tib. c. 52. Drusus nomine, ex Agrippina Agrippae filia.

munimentis. Ex emendatione Lipsii; prius legebatur *monumentis*, sensu idoneo nullo. cf. Hist. 4, 52. *firma imperii munimenta.*

Quintilio. Sic MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. et nummus apud Occonem. cf. Ryck. ad h. l. et not. ad c. 65. Edd. inde a Lips. prima omnes habent *Quinctilio*, quae scriptura etiam lapidum auctoritate nititur.

eadem magistratuum vocabula. At munia in se traxerat princeps. cf. sup. c. 2.

iuniores ... vidisset. Dio 56, 44.

IV. Igitur verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis aspectare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur, aderatque finis et spes novae: pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere: pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem: Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia, multaque indicia saevitiae, quanquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice: congestos iuveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exsulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum. Accedere matrem

Cap. 4. *omnes.* Ex emendat. Wolfii, quam praeivit Muretus recentioresque omnes recepere. Prius vulgabatur *omnis.* cf. c. 40. *Eo in metu arguere Germanicum omnes, etc.*

postquam ... fatigabatur. Locus a viris doctis olim tentatus et pro mutilo habitus; hodie de eius sanitate nemo dubitat. Scilicet *et* post *aegro* significat *etiam*, *insuper.* Virgula, quam Wolfius delevit ante *aegro*, abest etiam a vett. edd., invenitur in edd. Lips. Pich. Berneggeri et Broterii.

vetere atque insita Cl. f. superbia. Suet. Tib. c. 2. *Praeterea notissimum est, Claudios omnes — optimates assertoresque unicos dignitatis ac potentiae patriciorum semper fuisse, atque adversus plebem adeo violentos et contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit; nonnulli in altercatione et iurgio tribunos plebis pulsaverint.*

exsulem egerit. Sic edd. vett. et recentiores, nisi quod Muretus legerit *exsul.* Dubitabat et Wolfius de lectione, quia secedentis specie, non exsulis, Rhodi vixit Tiberius; malebat *egerit*, deleta voce *exsulis.* At verba *specie secessus* haud dubie poscunt oppositum aliquid. Vulgus hic loquitur, ex cuius opinione Tiberius tum exsilium secessus nomine texit. Iam *exsulem agere*, ut *principem, consulem agere* et similia, non est *speciem seu personam exsulis induere et gerere*, ut videtur Wolfio (*den Verwiesenen spielen*); sed exsulis partibus fungi, h. e. re vera exsulem esse, licet alia species induatur. Ricklefs bene vertit: *in den Jahren, worin er unter dem Schein der Zurückgezogenheit zu Rhodus den Verbannten gemacht.* Quodsi cod. MS. praeferret *exsul*, minime id impugnandum esset. Tum *egerit* acciperes, uti est infr. 3, 48. *Rhodi agentem.* De re cf. Dio 55, 9. Suet. Tib. c. 10. Vell. 2, 99. Tac. An. 1, 53.

aliquid quam. h. e. aliud quid quam. Cf. Ernestius et Wolfius ad h. l. Sic Germ. c. 31. *Nulli*

muliebri impotentia: serviendum feminae duobusque insuper adulescentibus, qui rem publicam interim premant quandoque distrahant.

V. Haec atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti: et quidam scelus uxoris suspectabant. quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis consciis et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo fore ut iuvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae: gnarum id Caesari: neque multo post exstincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. Utcunque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur: neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud

domus aut ager aut aliqua cura, etc.

interim h. e. τέως, primum quidem, nunc per aliquod tempus. cf. Wolf. ad h. l.

Cap. 5. *gravescere.* Sic et infr. 6, 46. De re vid. Dio 56, 29.

valetudo. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *valitudo*, hic et alibi. Sed cf. not. ad 14, 51.

scelus uxoris. Dio 56, 30. Aurelius Victor etiam tangit rem. *Scelus* κατ' ἐξοχὴν de tali facinore dicitur. cf. infr. 4, 10. 6, 33.

electis consciis sc. inter ministros, *et comite uno*, ex amicis. Dio l. l. πρὸς τὸν Ἀγρίππαν κρύφα ἐς τὴν νῆσον διέπλευσε.

lacrimas. Sic ed. Beroald. eandemque scripturam cod. Flor. Longobard. lit. scriptus ubique fere praefert. Rhen. ed. *lachrymas;* postea plurimi edidere *lacrymas;* recentiores reduxere *lacrimas.*

redderetur. Dio l. l. καὶ ἐδόκει καὶ πᾶσι πάντα καταλλαγήσασθαι.

quod Maximum etc. cf. Plutarch. περὶ ἀδολεσχίας p. 508. Plin. 7, 45.

Marciae. Edd. vett. *Martiae;* sic et edd. Lips. Pich. Bernegg. et Ryck. *Marciae* ed. Gronoviorum, et recentiores. Recte; nam Graeci id nomen scribunt Μαρκία.

gnarum id Caesari. Cod. MS. et vett. edd. *C. Navum id C.* Emendavit Lipsius secundum An. 6, 46. 1, 51.

exstincto. cf. not. ad c. 3.

causa. Sic vett. edd. et Monum. Ancyr. Recentiores editores fluctuant inter *caussa* et *causa.*

vixdum ingressus Illyr. Sueton. Tib. c. 21. Octav. c. 97.

litteris. ed. Beroald. in sex prioribus Ann. libris ut e MS. *literis.* In libris seqq. *litteris.* Eadem inconstantia et alii utuntur.

neque... reppererit. Suet. Oct. c. 98. *revocatum ex itinere Tiberium diu secreto sermone detinuit.* cf. id. in Tib. c. 21. Consentit Vell. 2, 123. Dio 56, 31. εἰσὶ γάρ τινες οἳ καὶ παραγενέσθαι τὸν Τιβέριον τῇ νόσῳ αὐτοῦ καὶ ἐπισκέψεις τινὰς παρ' αὐτοῦ λαβεῖν ἔφασαν. *Reppererit* ed. Beroald. et nuper Bekkerus. *repererit* edd. Rhenan. sqq.

apud urbem Nolam. Tiberium

urbem Nolam an exanimem reppererit. acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia: laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis, quae tempus monebat, simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

VI. Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes: quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit. Nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae adposito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. Multa sine dubio saeva-

in Illyricum euntem Beneventum usque prosecutus in redeundo aggravata valetudine Nolae succubuit. Suet. Oct. c. 98. Vell. 2, 123. Dio 56, 29. 46. At Eutropius 7, 8. *Obiit — in oppido Campaniae Atella.*

acribus . . . sepserat Livia. Dio 56, 31. Heins. volebat *arctioribus* pro *acribus.* Frustra cf. infr. 2, 43. *acerrimo ministerio.*

Cap. 6. *Primum facinus* etc. Dio 57, 3. Suet. Tib. c. 22.

inermumque. Superest haec forma infr. c. 51. Hist. 3, 6 et 77. Alibi *inermis* An. 6, 31. 15, 67. 16, 9. Hist. 1, 6. 11. 40. 79. 2, 81. 83. 88. 3, 73. An. 1, 46. etiam est *inermia.* Librariorum operae, an ipsi Tacito haec varietas scribendi sit tribuenda, vix dignosces.

centurio. Consentit Dio l. l. Suetonius habet tribunum. Lipsius dissensum ita tollit, ut a centurione occisum accipiat, at iussu tribuni. Satis quidem probabile; nam mox etiam apud Nostrum mentio iniicitur tribuni custodiae adpositi. At deinde Tacitus scribit: *nuntianti centurioni;* Sueton. vero: *renuntianti tribuno.* In talibus rebus non semel diversi sunt scriptores. Sic Tac. Hist. 4, 81. *alius manum aeger* apud Suet. Vesp. c. 7. est *alius debili crure;* Tac. Hist. 4, 82. *Basilides* e primoribus Aegyptiorum Suetonio l. l. est Basilides libertus; Tac. An. 6, 20. Tiberius Graecis verbis adlocutus esse Galbam tunc consulem dicitur; Suet. in Galb. c. 4. refert Augustum puero adhuc Galbae illa verba dixisse.

aegre. Wolf. recte accepit de labore caedis, obnitente praevalido homine et, quantum nudis manibus poterat, ictus reddente. Cernitur in hoc homo *robore corporis stolide ferox*, qualem dixit Agrippam c. 3. Similis locus exstat An. 16, 9. Broterius ad misericordiam centurionis vocabulum *aegre* referebat.

adposito. Sic edd. Ber. et Rhen. per sex priores Ann. libros: 2, 7. 31. 68. 3, 38. 4, 54. 60. Sequentes editores hic *apposito*, alibi *adpos.* dedere. Vide nos in praefatione.

adficere. Sic edd. Beroald. et Rhen. sqq. Nescio, quo iure et consilio recentiores editores eam formam hinc expulerint, ut scriberent *afficere*, quum alibi reddant *adficere.*

quandoque. Sic MS. teste Iac. Gronovio. Beroaldus ediderat *quandocunque* (cf. inf. 4, 38), et sic habent edd. sqq. usque ad Iac. Gronovium et Ernestium, qui restituere MSti lectionem, observato, bonae latinitatis esse *quandoque* pro *quandocunque.* Sic Liv. 1, 31. *Mansit certe solemne, ut, quandoque*

que Augustus de moribus adulescentis questus, ut exsilium eius senatus consulto sanciretur, perfecerat: ceterum in nullius unquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat. propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse. Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset: neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit. Quod postquam Sallustius Crispus particeps secretorum (is ad tribunum miserat codicillos) comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso ficta seu vera promeret, monuit Liviam, ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur.

VII. At Romae ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne laeti excessu

idem prodigium nuntiaretur, feriae per novem dies agerentur. Idem 1, 24. *cuiusque* dicit pro *cuiuscunque*, 25, 29. *quisque* pro *quicunque*. cf. et. not. ad Hist. 1, 80.

senatus consulto. Sc. *ut eodem loci in perpetuum contineretur*. Suet. Oct. c. 65.

nuntianti centurioni etc. Suet. l. l. *Renuntianti tribuno factum esse, quod imperasset* etc.

Sallustius Crispus. cf. infr. 3, 30. Senec. de clem. 1, 10. Plin. 34, 2. Horat. Od. 2, 2.

reus subderetur. Eadem locutio infr. c. 39.

periculoso. Bene monuerat Wolf. ad h. l. *periculoso* esse ablativum: Weikertus rursum tirones in errorem abducit, ut pro adverbio habeant. cf. 3, 60. *libero*.

conditionem. Sic vett. et recentiores edd. praeter Bekkeri, quae habet: *condicionem*. Sed idem c. 56. *conditionibus*. cf. Ramshorn. Gr. §. 15. p. 17. b).

reddatur. Cod. MS. et inde edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. prima *reddantur*. Mox vitio agnito omnes edidere *reddatur*. Pro *imperandi* Creverus (in libello: *Probe einer neuen Uebersetz. des Tac. Lemgo* 1824.) vult *obtemperandi*. Habeat sibi. cf. Seebodii bibl. crit. 1827. nr. 10. p. 1082 sqq.

Cap. 7. Priorem huius cap. partem explicuit Georg. Philipp. Schuppius in progr. Hanoviae. 1818.

inlustrior. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. Etiam cod. Flor. lit. Langob. scriptus eandem scripturam suis locis praefert. cf. not. ad An. 11, 13. Recentiorum editorum quidam maluere *illustrior*.

vultuque composito. Plin. epp. 3, 16. *composito vultu redibat*.

principis, neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium,
57 questus, adulationem miscebant. Sex. Pompeius et Sex. Appuleius coss. primi in verba Tiberii Caesaris iura-

tristiores. Cod. MS. et edd. Beroald. Rhen. aliaeque vett. *tristior.* Sed quia num. sing. in *tristior* ineptus esse videbatur, Beroald. iam corrigendum existimaverat *tristiores*, idque recepere Lips. sqq. editores unanimi consensu, nisi quod Rhenano praeeunte Iac. Gronovius sumpserit defendendam MSti lectionem eamque restituerit, adprobante Cortio ad Sallust. Cat. c. 10., reprobantibus Wopkensio et Wolfio. Fortassis tamen Tacitus voluit dicere, vultum illos composuisse, ne laeti excessu principis vultum essent, unumquemque autem simul operam dedisse, ne ceteris tristior primordio, ut vertas: *damit sie nicht heiter bei dem Hingang des Fürsten, oder einer trüber beim Antritt.* Facilior haud dubie est recepta scriptura.

adulationem. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. *adulatione.* At videre viri docti, inconcinnam esse hanc lectionem. Nam quia *lacrimis* opponitur *gaudium*, *questus* non debebant esse sine opposito. Hinc Muretus coniecerat: *lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.* Ernestius malebat: *lacrimis gaudium, questus adulatione m.* Non patitur Taciti usus loquendi. Nam Hist. 3, 74. non scribit: *minas adulationibus* vel *minis adulationes*, sed *minas adulationesque miscet.* An. 3, 67. *invidiam et preces miscuerat.* Hist. 2, 70. *falsa, vera aut maiora vero miscebant.* Plin. Panegyr. 19, 3. *imperatorem commilitonemque miscueras.* Aliud est Hist. 4, 49. *gaudio clamoribusque cuncta miscebant.* Hist. 3, 72. *cuncta sanguine, ferro, flammisque miscent:* ubi *miscere* significat *confundere, turbare.* Melius Lipsius: *lacrimas, gaudium, questus, adulationes m.* cf. Hist. 3, 74. Optime Heinsius: *adulationem.* Nam primum littera *m* facillime potuit absorberi a verbo sequenti innumeraque sunt exempla eiusdem vitii; deinde *adulationem* in num. sing. aptius respondet vocabulo *gaudium;* denique hic sermo debebat esse de *adulatione* in universum, non de *adulationibus* h. e. adulationis formulis. Iam *questus* accipe eos, quis ereptum civitati Augustum lamentarentur; adulationem vero, qua extollerent spem civitatis in Tiberio positam. Sic omnia bene cohaerent atque invicem sibi respondent. Consentiunt mecum de Heinsii emendatione recipienda Wolfius et Herrmannus in notis ad h. l. Bekkerus maluit Lipsii *adulationes;* Lünemannus vulgatam *adulatione*, quae tamen manca est semperque erit, quamcunque interpretationem ineas. Nam *lacrimae* uti habent *gaudium*, ita *questus* poscunt vocabulum, cui opponantur.

Appuleius. Edd. vett. *Apuleius.* Sed cf. Ramshorn. Gr. §. 15. p. 18.

in verba Tiberii Caesaris iuravere. In alicuius verba iurare vox est neque propria gladiatorum, uti Muretus, neque militum, ut censet I. Fr. Gronovius; immo solemnis est de quovis iuramento, quod fit in praeeuntis verba, vel quo quis obstringitur alicui. cf. Ovid. Art. am. 1, 687. Flor. 3, 16. Frequentissima sane est formula de militibus duci iurantibus se in fide mansuros. cf. Liv. 22, 38. 2, 45. et alibi. Vell. 2, 20. Hinc etiam valet de iure iurando, quo inde ab Iulii Caesaris imperio cuncti pro salute unius se obstringerent. cf. Suet. Iul. c. 84. Appian. B. C. 2, 124. 145. Dio 53, 20. Iam vero Tiberius quomodo potuit ius iurandum illud admittere et tamen ambiguus videri imperandi? Potuit per potestatem tribuniciam, qua erat praeditus. Nam tribuni plebis antiquitus erant sacrosancti vetere iure iurando plebis. cf. Liv.

vere, apudque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae: mox senatus milesque et populus. nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tanquam vetere re publica et ambiguus imperandi. ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. Verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum: neque abscedere a corpore: idque unum ex pu-

2, 33. 3, 55. Dionys. Hal. 6, 89. Iure igitur tribunicio id sacramentum accepit Tiberius, ne cum Ernestio putes in verba Tiberii esse iuratum ut imperatoris. Illud etiam intelligitur e seqq. verbis: *ne edictum quidem — nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit.* Innuitur enim hisce verbis, alia etiam nonnisi tribuniciae potestatis iure fecisse. Diversum plane est ius iurandum in acta principis, de quo cf. infr. c. 72. Ceterum non inest verbis, ipsum Tiberium ius iurandum praeivisse, quod minime putaverim.

Seius Strabo. cf. infr. 4, 1. Dio 57, 19.

C. Turranius. cf. An. 11, 31. An *Turranius* vel *Turannius* apud Senec. de brevit. vit. c. 20. cum nostro idem sit, dubitat Lipsius, quoniam Seneca procurationem tribuit, non praefecturam. At *procurationis* vocabulo posterioris saltem a evi scriptores utuntur ad significandam quamcunque administrationem. cf. Suet. Iul. c. 79. *procuratione urbis amicis permissa.* Nihilominus satis dubia est illa quaestio; nam plures Turranios tum Romae fuisse, quis neget? Est etiam *Turranius* aliquis apud Ovid. ex Ponto 4, 16, 29.

praetoriarum coh. praefectus. Quam praefecturam suadente Maecenate ab Augusto creatam docet Dio 52, 24. 55, 10. Duos autem instituit praefectos. Unus iuravit ut superior et alterius simul vicem suscipiens.

hic annonae. Dio 52, 24. 54, 1. 17. Tac. An. 11, 31. Hist. 4, 68.

tribuniciae potestatis praescriptione. Erat enim tribunis plebis ius convocandi senatum. cf. Gellius 14, 8. Dionys. Hal. 10, 31. Dio 41, 15. 60, 16. Sueton. Tib. c. 23.

neque abscedere a corpore. Fusius de hoc loco egerunt quam opus erat in tanta claritate. Tiberius edictum, quo patres in curiam vocabat, aut ex oppido Nolae aut e via Romam misit, neque ipse in urbe adfuit, cum poneretur. Hoc satis patet e Dion. 56, 31. qui scribit, corpus Augusti noctu urbi illatum et postridie senatum esse habitum. Per plures autem dies Augusti corpus in itinere fuisse auctor est Sueton. Oct. c. 100. Iam verba edicti fuere: *neque abscedere a corpore* sc. Augusti defuncti: praecipuum caritatis et honoris documentum. Sic An. 3, 5. *neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse.* Hinc Dio l. l. καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Τιβερίῳ ἄδεια ἐδόθη (in senatu), ὅτι τοῦ νεκροῦ, οὐκ ἐξὸν δή, ἥψατο, καὶ συμπαρέπεμψεν αὐτόν. Ceterum ad verbum *abscedere*, ut ante ad *consulturum* et mox ad *usurpare*, intellige *se*, quod graeco more sexcenties a Nostro omittitur. cf. infr. c. 8. *usurum*; c. 35. *moriturum*; 4, 52. *intelligere*; 14, 48. *nihil audivisse*; 15, 17. *non habere mandata.* Iam pergitur: *idque unum* sc. quod senatum convocet de honoribus parentis consulendum. *Publicum id*

blicis muneribus usurpare. Sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat: excubiae, arma, cetera aulae: miles in forum, miles in curiam comitabatur. litteras ad exercitus tanquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur. Causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet. Dabat et famae, ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. Postea cognitum est ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem. nam verba, vultus in crimen detorquens recondebat.

munus dicit, quoniam haud dubie senatum convocare publicum est munus neque privati. *permodestum* (h. e. procul ab omni imperii adrogantia) illud edictum non poterat non videri: prodit enim animum morte parentis ita adflictum et ab imperandi cupiditate remotum, ut publica munera plane omissurus videatur, ni senatus de honoribus parentis consulendus esset. — Inter veteres interpretes disceptabatur de *corpore*, quod Maurus et Freinshemius intelligebant de rei publicae vel senatus corpore, quasi Tiberius diceret unum se senatorum esse. Ernestius: „ego vero sic intelligo: neque se discessurum ab hac una re, de funere Augusti; hoc unum, nempe *consulere senatum de ea re*, se de publicis muneribus usurpare." Lipsius verum viderat de *corpore;* verba *idque unum* falso referebat ad τὸ *neque abscedere a c.* Freinshemius vocem de publicis muneribus rectius intelligebat de hoc ipso edicto, quod praeponebatur. Optime de loco meritus est Wolfius. Schuppius verba coniungit ita: *de honoribus parentis consulturum neque abscedere a corpore, idque* etc. ut sententia sit: se, ut de patris honoribus referat vel ut consulat, quales patri honores sint habendi, non abscedere a corpore, i. e. se illud in urbem inferendum comitari, etc. De usu copularum *neque — et* provocat ad Broederi gramm. mai. §. 654. Sed *se non abscedere a corpore* haud dubie plus dicit atque aliud, quam si simpliciter scripsisset, se corpus in urbem comitari, et propterea consequentia membrorum, quam ille fingit, absurda videtur esse.

signum praetoriis cohortibus etc. Ad totum hunc locum cf. Dio 57, 2 sqq. De signo praetoriis cohortibus dato cf. Suet. Cal. c. 58. de excubiis An. 13, 18. Hist. 2, 44. 4, 11. 58. An. 12, 69.

litteras ad exercitus. Dio l. l.

causa praecipua ex formidine. Dio 57, 3. Suet. Tib. c. 25.

tot legiones. cf. supr. c. 3.

exspectare. Edd. vett. *expectare.*

dabat et famae. Dio l. l.

per uxorium ambitum. Respicit ad matris artes c. 3.

inductam dubitationem. I. Fr. Gronovius coniecit: *indutam*, ut infr. 6, 42. 15, 69. Liv. 1, 56. Senec. de benef. 2, 2. Vulgatam defendit Ernestius et *inductam* accipit pro *adhibitam.* Cic. pro Cloel. c. 11. *oratio inducta.* Wolf. cum

VIII. Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti: cuius testamentum inlatum per Virgines Vestae Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustae adsumebatur: in spem secundam nepotes pronepotesque: tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros. Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi CCCCXXXV, praetoriarum cohortium militibus singula nummum millia, legionariis aut cohortibus civium Romanorum CCC nummos viritim dedit. Tum consulta-

Ryckio *induci* ab opere tectorio translatum accipit et pro exemplo adhibet Persii *tectoria linguae*. Sat. 5, 25. Videtur tamen magis huc facere ille verbi usus, quo usurpatur de operis ludicris. Suet. Nero. c. 11. *Inducta est Afranii togata, quae incendium inscribitur.* Cic. de orat. 3, 53. *Personarum ficta inductio*, ut significet: *auf die Schaubühne bringen, darstellen.* Plin. epp. 6, 29. *quia plurimum referret, bonum an malum* (sc. exemplum) *induceretur.* cf. interpretes ad Plin. epp. 1, 8, 12. ibique in primis *Cortius.* Tacit. 4, 70. *vincla et laqueus inducantur.*

Cap. 8. *primo senatus die.* De hoc cf. Dio 56, 31 sqq. Suet. Tib. c. 23.

de supremis. An. 16, 16. *in traditione supremorum.* 3, 49. 1, 61. Hist. 4, 45.

testamentum. De quo vid. Dio 56, 32. Suet. Oct. 101. Tib. c. 23.

per virgines Vestae. His de more testamenta, foedera atque talia tradebantur. cf. Suet. Iul. c. 83. Dio 48, 12. 37. Appian. B. C. 5, 73. Mox pro *Augustae* I. Gronov. in cod. MS. adfirmat a pr. m. fuisse *Augustu*, unde conicit Augustum.

heredes. Ed. Beroald. et recentiores omnes. Sic et monum. Ancyr. *haeredes* ed. Rhenan. et Ald.

iactantia gloriaque. Roth p. 32. ἓν διὰ δυοῖν hic esse dicit, ut intelligatur *iactantia gloriae* h. e. adpetitio gloriae. Sed *adpetitionis* notio vocabulo *iactantiae* minime inest. Maluerim synonyma hic inveniri vel intelligi iactantiam gloriosam. Ceterum *gloriam* Tacito dici pro gloriae cupidine docet locus c. 43. *quos iam pudor et gloria intrat.*

populo et plebi CCCCXXXV. Suet. Oct. c. 101. *Legavit populo Romano CCCC, tribubus XXXV sestertium.* Dio l. l. τῷ τε δήμῳ χιλίας μυριάδας. Quod plebi, adnotare omisit. Populo legata in aerarium solvebantur, ut essent pecunia publica (cf. infr. 4, 15.); plebi s. tribubus viritim sua distribuebantur. cf. Suet. Iul. c. 83. ibique interpretes.

praetoriarum cohortium militibus singula nummum millia. Suet. l. l. *praetorianis militibus singula millia nummorum.* Consentit Dio l. l.

legionariis aut cohortibus c. R. Sic cod. MS. teste Iac. Gronovio. Beroaldus ediderat: *legionariis autem cohortibus c. R.*, quae manarunt etiam in seqq. edd. Freinshemius tamen intelligens falsi emendabat: *legionariis autem et cohortibus c. R.* Recepit Ryckius. Ernestius expuncta copula Freinshemii: *legionariis autem, cohortibus c. R.* Broterius particula *autem* mutata in *atque: legionariis atque cohortibus c. R.* Wolfius denique, suadente I. Fr. Gronovio, dedit: *legionariis CCC, cohortibus*

tum de honoribus, ex quis maxime insignes visi, hi: ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius: ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere. addebat Messalla Valerius renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii: interrogatusque a Tiberio, num se

civium Romanorum CCCCC nummos v. d. Sic Tacitum conciliat Suetonio, qui refert: *cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecenos nummos*, et Dioni, qui cum Suetonio consentit. Wolfii emendationem recentiores editores admisere omnes. *Cohortes civium Romanorum* intelligunt easdem, quas Suet. habet *urbanas* (Dio ἀστικούς). At quis unquam *cohortes urbanas* dixit *cohortes civium Romanorum*, ut distinguerentur ab aliarum cohortium genere? Immo *cohortes civium Roman.*, si qua est vocabulorum vis, non possunt intelligi nisi cohortes e civibus Rom. compositae, ut distinguantur a cohortibus auxiliariis vel sociorum; *urbanae* autem sunt cohortes (et ipsae civium Rom.) custodiae urbis adpositae sub imperio praefecti urbis atque diversae a praetoriis. cf. Tac. Hist. 1, 74. et 3, 64. Quae cum ita sint, miror Wolfii et sequentium editorum sedulitatem, qua vanam emendationem in textu posuere, atque cod. MSti verba audacter loco vindico. Particula *aut* eam habet vim genuinam, ut distinguat res singulas vel species, quae pertinent ad idem rerum genus. Cf. infr. c. 64. *Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat.* Quadraginta Caecina stipendia habebat (id genus est); haec autem erant partim *stipendia parendi*, partim *imperitandi* (eae sunt species). An. 2, 47. *quantum aerario aut fisco pendebant.* Quae pendebantur, sunt genus; pendebantur autem et aerario et fisco: hinc distinguuntur, quae pendebant aerario aut fisco. Similia sunt infr. c. 16. *ob iustitium aut gaudium*; c. 55. *insignem utrumque perfidia in nos aut fide*; 15, 47. *quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit*; Hist. 4, 71. *montibus aut Mosella amne septum.* Haud inepte igitur grammatici prisci observarunt, particulam *aut* habere vim copulativam, cf. Roth in lib. supr. laud. p. 13.; perperam vero putant eam poni pro *et* s. *que.* Immo semper copulat distinguendo. Ceterum vim copulativam latiori sensu omnes habent particulae, quae coniunctionum nomine vocantur. Iam ad locum ut redeamus, Augustus trecenos nummos dedit et legionariis (h. e. militibus per legiones compositis atque habitis) et cohortibus civium Rom. (h. e. militibus e numero civium Rom. delectis et per cohortes, non per legiones dispositis); dedit igitur legionariis aut cohortibus civium Rom. h. e. sive essent legionarii, sive cohortes sc. civium Rom. neque auxiliarium. Distinguuntur autem cohortes a legionariis, quia in multis locis imperii Romani, ubi validi exercitus e legionibus totis compositi non habebantur, minores militum numeri, una vel plures cohortes, agebant. cf. infr. 3, 41. *Andecavos Acilius Aviola legatus excita cohorte, quae Lugduni praesidium agitabat, coercuit. Turonii legionario milite — oppressi* etc. ubi cohors legionario militi opponitur. An. 3, 20. *Tacfarinas — haud procul Pagida flumine cohortem Romanam circumsedit.* An. 13, 8. *additis cohortibus alisque, quae apud Cappadociam hiemabant.* Alia exempla vide apud Freinshemium ad h. l. Iam satis credibile est, Augustum, quum trecenos nummos legaret legionariis singulis, non omisisse cohortes civium Romanorum, eadem disciplina eodemque iure usas; sed

mandante eam sententiam prompsisset? sponte dixisse respondit, neque in iis, quae ad rem publicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. Remisit Caesar adroganti moderatione, popu-

viritim dedisse 300 nummos legionariis aut cohortibus civium Romanorum. Sed quid cohortibus urbanis? Id Noster tacet; quod tamen silentium non magis miraberis, quam quod Dio omisit XXXV sestertium tribubus legata. Nullo modo autem haec idonea erit causa, ut Taciti textum ad alium scriptorem refingas. Ceterum ne novissimam loci emendationem omittamus, Herrmannus in notis proponit: *legionariis aut cohortibus civium Romanorum trecenos quingenosve* (nummos) *viritim dedit.* *cohortes* accipit pro genere, ut legionariae aut civium Rom. sint species. Sed haec jam satis.

visi. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. et sqq. omnes *visi*: *ut porta* etc. Sed locum vitio laborare bene vidit Wopkensius. Nam praeter nexum idoneum adponuntur, quae sequuntur post *visi*. Particulam *ut* referri ad *visi* vetant nomina censentium cum verbo *censuere*; ut verbum *visi* cum Wolfio explices: „visi sunt hi, qui statim ponuntur", atque sequentia ita per se constent, contortum est, nec unquam Tacitum tam dissoluto dicendi genere usum deprehendes. Iam Wopk. vel expungendum *visi* vel duplex *ut* nominibus censentium praefigendum censebat. Sed ista quidem vis est. Leviori remedio locus sanari potest, sc. verbo *visi* mutato in *iussi*, et pleniori distinctione posita ante *ut*. Verbum *iubere* plane sic adhiberi de iis, quae apud senatum decernuntur, non est, quod moneam, docetque locus Hist. 4, 40. *Patres utrumque iussere.* Innumera autem sunt in vett. MSS. exempla eius confusionis, qua syllabae *vi* et *iu* permutantur, ut in *ius* et *vis* Hist. 3, 50. 4, 39. 4, 69 et alibi. Sic et Hist. 3, 39. ed. Spir. *iussa* habet pro *visa*; 4, 41. *Iubius* pro *Vibius*; An. 14, 26. pro *iussae* in MS. Guelf. est *visae*. Cf. etiam Drakenb. ad Sil. 13, 372. Haec nuper a me proposita nolui in oblivionem dari, quanquam nunc censeo, scripturam vulgatam retineri posse, dum *visi* (sc. sunt) accipias pro *placuere*. Sic *obtineri oppidum visum* infr. 12, 16. Kiesslingius coniicit: *ex quibus qui.*

ut porta triumph. etc. quod factum refert Dio 56, 42.

Messalla. Sic edd. Beroald. Oberl. Bekker. Lünemann. cf. Senec. de brev. vit. c. 13. — Rhenan. et seqq. editores dederant *Messala*. cf. Ramshorn. Gr. §. 15. p. 18.

renovandum p. a. s. etc. Bene Wolf. monuit, per egressionem haec addita a Messalla; nec sacramentum in nomen aliud esse quam in verba, c. 7.

species. Ed. Beroald. *speties*, quae scriptura saepissime obvia est in vett. edd.

corpus ad r. . . ferendum. Factum refert Sueton. Oct. c. 100. Dio l. l.

Remisit. Operam et oleum perdidere interpretes, ut verbo *remisit* permittendi significationem elicerent, quae tamen ab hoc quidem loco aliena est; genuina potius hic sua vi id verbum utitur, ut sit rem e summo gradu in minorem vertere, imminuere, laxare. cf. Caes. B. G. 1, 44. *si stipendium remittatur* h. e. imminuatur. Sueton. Iul. c. 38. *annuam habitationem usque ad bina millia nummum — remisit.* Nimirum Tacit. hic plane idem dicit, quod Suet. Oct. c. 100.

lumque edicto monuit, ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. Die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis improspere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret.

IX. Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus: quod idem dies accepti quondam

de adhibito honoribus modo, et Dio 56, 47. *Ἐπὶ μὲν οὖν τῷ Αὐγούστῳ τοσαῦτα, λόγῳ μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καὶ ὑπὸ τῆς Λιουΐας, ἐνομίσθη. ἄλλων γὰρ ἄλλα ἐσηγουμένων ἔδοξε σφίσι, βιβλία παρ' αὐτῶν τὸν Τιβέριον λαβόντα ἐκλέξασθαι ὅσα ἐβούλετο.* *Remisit* igitur Caesar non quod proxime praecedit, *corpus ad rogum humeris senatorum ferendum*, sed omnino cumulum honorum Augusto decretorum, h. e. modum adhibuit honoribus, imminuit, quaedam non admisit ut nimia. Et quidem *adroganti moderatione* h. e. moderationem adhibuit, sed non modestam, immo, ut erat ille abstruso ingenio neque adulatione laetus, ita remisit, ut potius aspernari nimia studia videretur. Sic infr. c. 14. eadem adroganti moderatione dixit: *moderandos feminarum honores eademque se temperantia usurum in iis, quae sibi tribuerentur.* De verbo *remittere* cf. et. An. 11, 3. *remittere beneficium*; 1, 10. *privata odia publicis utilitatibus remittere*; Hist. 3, 5. *remissum id munus*; 4, 11. *nomen remittere*.

ne ut quondam etc. Dio 57, 2. 44, 50. Sueton. Iul. c. 84. Appian. 148. Plutarch. in Caes. c. 68.

sede destinata. Nam ibi mausoleum Augusti. Nota exquisitam vocem *sede*.

velut praesidio stetere. Sc. ut caverent, ne quis contra Tiberii edictum quid moliretur.

inridentibus. Nam vel sine praesidio nemo illud funus turbasset nimio studio. Scripturam *inridentibus* praeferunt vett. edd. et recentt. praeter Naudeti et Lünemanni, qui dant *irridentibus*.

libertatis improspere repetitae. MS. Edd. Ber. Rhen. Ald. *libertatis improspera repetita* (MS. *inprospera*), quae revocabat Iac. Gronovius, improbante Wopkensio. Quis sit auctor emendati textus, non invenio; fortasse Lipsius, qui ita edidit a. 1574. sqq.

pulcherrimum. Sic edd. Berold. Rhen. sqq. Ryck. Broter. aliaeque. Nonnulli edidere *pulcerrimum*.

Cap. 9. *idem dies.* Vitae supremus fuit decimus quartus Calend. Septembr. cf. Sueton. Oct. c. 100. Dio 56, 30. *καὶ ὁ μὲν οὕτω τῇ ἐννεακαιδεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου, ἐν ᾗ ποτε τὸ πρῶτον ὑπάτευσε, μετήλλαξε.* A primo Augusti consulatu igitur illi statuere initium imperii. Alii numerant a pugna Actiaca pugnata an. urb. 723. IV. Non. Sept. Suet. Oct. c. 8. Dio 56, 30. 51, 1. Alii a sexto Augusti consu-

imperii princeps et vitae supremus: quod Nolae in domo et cubiculo, in quo pater eius Octavius, vitam finivisset. numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat: continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas: nomen imperatoris semel atque viciens partum, aliaque honorum multiplicata aut nova. At apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua

latu et accepto Augusti nomine, an. urb. 727. mense Ianuario.

quod Nolae etc. Suet. Oct. c. 100. De patris obitu Suet. Oct. c. 4. Vell. 2, 59. Cic. Phil. 3, 6.

quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat. cf. Suet. Oct. c. 26. Statius Silv. 4, 1, 31. *ter Latio deciesque tulit labentibus annis Augustus fasces.* Valerius Corvus a. u. 453. post Titi Manlii obitum suffectus sextum egit consulatum (Liv. 7, 26 et 10, 11.), quum praecedenti anno functus esset quinto. Plin. 7, 48. C. Marium septies consulem fuisse, notissimum est. Ceterum *Corvum* habent cod. MS. ed. Beroald. Vindicarunt loco eam scripturam Iac. Gronov. Allemand. Wolf. postquam Rhenan. et sqq. editores dederant *Corvinum.* Utrumque scribendi genus olim usum obtinuisse videtur.

continuata per 37 ann. trib. p. Numero rotundo pro: 36 *annos et duos fere menses*, sc. inde ab an. u. 731. V Kal. Iul. usque ad mortem. cf. Dio 53, 32. Suet. Oct. c. 27.

nomen imperatoris semel atque viciens partum. Distingue cum Dion. 52, 41. *τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο. λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισίν, (ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥςτε καὶ ἐν εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν) ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥςπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι, καὶ τοῖς παισὶ καὶ τοῖς ἐκγόνοις ἐψήφιστο.* cf. id. 55, 6. Scilicet ex suis et ducum legatorumque suorum victoriis totiens dictus est imperator. Dio 51, 25.

aliaque honorum multiplicata aut nova. v. c. morum legumque regimen perpetuum, Suet. Oct. c. 27. Dio 54, 10 et 30.

vita eius. Ed. Beroald. *vitae eius*, vitio operarum puto.

necessitudine. „id est necessitate." Lips. Differre tamen utrumque vocabulum veteres grammatici recte observarunt, nec adeo risu ludoque digna ea res, uti videtur Gellio 13, 3. *Necessitas* est vis premens et cogens; *necessitudo* autem vinculum ex necessitate oriundum, sive ea conditio, in qua quis versatur ob necessitatem. Hinc *necessitudo rei publicae* non est ipsa res, quae rem publicam premeret, cogeret, sed conditio, qua res publica utebatur inter necessitatem. Sic infr. 4, 20. *necessitudo legis* est vinculum, quo tenebantur ob legem. 12, 9. *super priorem necessitudinem*; 12, 30. *necessitudinem pugnae attulere*; 12, 46. *cetera necessitudinum nomina*; 15, 36. *in privatis necessitudinibus.* Contra An. 1, 11. *necessitates* sunt res, quae necessitudinem imponunt. Sic c. 19. *necessitate expressa*; c. 30. *imminentem necessitatem sponte praevenit*; c. 35. *si qua alia ex necessitate aut adversus otium castr. quaeruntur*; c. 58. *necessitate adductam*; c. 66. *necessitatis monet.* Nemo prudens in omnibus hisce locis *necessitudi-*

nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes. multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam: mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium: legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: ius apud cives, modestiam apud socios: urbem ipsam magnifico ornatu: pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset.

X. Dicebatur contra, pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta: ceterum cupidine

nis vocabulum substitui posse censebit. Ceterum de illa necessitudine rei publ. cf. Suet. Iul. c. 86. *non tam sua, quam rei publ. interesse, uti salvus esset: se iam pridem potentiae gloriaeque abunde adeptum: rem publicam, si quid sibi eveniret, neque quietam fore, et aliquanto deteriore conditione civilia bella subituram.* Adde Dio 56, 44.

dum interfectores. MS. et edd. Ber. Rhen. *multa Antonio tunc interfectores patris ulcisceretur.* Ed. Ald. *tunc, dum interf.* etc. Mendum iam Beroaldus suspicatus est; particulam *ut* vel *quo* deesse arbitrabatur. Rhen. pro *tunc* volebat poni *ut.* Ita edd. Lips. et Gruter. Muretus et Pichena pro *tunc* maluere *dum.* Iac. Gronov. *multa A. tunc, int. p. ut ulcisceretur.* Praetulere editores Pichenae emendationem. Sic infr. c. 22. *dum . . . sepeliant*, et 6, 45. *nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.* Vocabulum *tunc* otiosum, et vulgari vitio permutantur litterae *t* et *d.* Sic cap. 3. *etiam dum* pro *etiam tum* olim legebatur. Ceterum de re cf. Suet. Oct. c. 10.

quam ut ab uno regeretur. Edd. Beroald. Rhen. Ald. omittunt *ut*, an auctoritate MSti, nescio. Sequentes editores correxere locum. cf. infr. c. 64. *non aliud repperit, quam ut hostem silvis coerceret.*

non regno tamen. Secundum Maecenatis consilium, Dio 52, 38. Nil in Iulio tantopere displicuit quam regii nominis adfectatio. Suet. Iul. c. 79. Vell. 2. 56.

neque dictatura. Ut Sulla et dein Iulius Caesar. Suet. Oct. c. 52. Vell. 2, 89. Dio 54, 1. Errat Florus 4, 12, 66.

septum. Sc. Augusti opera. Suet. Oct. c. 21.

urbem ipsam m. o. Suaserat et id Maecenas. Dio 52, 38. Suet. Oct. c. 29. Dio 55, 8.

Cap. 10. *pietatem . . . sumpta.* Sic homines interpretaturos esse praedixerat Agrippa. Dio 52, 2. δόξομεν, ἤτοι τῆς τε εὐπραγίας ἡττῆσθαι καὶ ὑπὸ τῶν κατωρθωμένων ἐκπεφρονηκέναι· ἢ καὶ πάλαι αὐτῆς ἐφιέμενοι, τόν τε πατέρα καὶ τὴν ἐς αὐτὸν εὐσέβειαν ἐσκῆφθαι καὶ τὸν δῆμον τήν τε γερουσίαν προβεβλῆσθαι· οὐχ ἵνα αὐτοὺς τῶν ἐπιβουλευσάντων σφίσιν ἀπαλλάξωμεν, ἀλλ' ἵνα ἑαυτοῖς δουλωσώμεθα.

dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adulescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium: mox ubi decreto patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat, utriusque copias occupavisse: extortum invito senatu consulatum, armaque, quae in Antonium acceperit, contra rem publicam versa: proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas. Sane Cassii et Brutorum exi-

largitionem. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. prima. Deinde inrepsit *largitiones.* Wolfius illud reposuit. Ad rem cf. Suet. Oct. c. 10. Vell. 2, 61. Appian. B. C. 3, 40. Dio 45, 7.

paratum ab . . *pr. exerc.* cf. Monum. Ancyr. ab init. *Annos undeviginti natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavi* etc. Suet. Oct. c. 8.

corruptas consulis legiones. Antonii. cf. Cic. Philipp. 4, 2. Appian. B. C. 3, 43. 45. 93.

simulatam P. gr. p. Suet. Oct. c. 10 et 12. *ad optimates se contulit.* Plutarch. in Ant. c. 16.

mox ubi etc. Suet. l. l. et c. 11.

abstulerat. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. prima. Deinde editores maluerant *abstulerant.* Veterem script. reposuit Wolfius. cf. An. 2, 71. *Si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat.* An. 4, 49. *quos vulnera, quos sitis peremerat.* cf. not. ad Hist. 2, 78. 3, 38. An. 1, 56.

utriusque copias occupavisse. Suet. Oct. c. 11. *ut solus victor tres exercitus occuparet.*

extortum invito senatu consulatum. Suet. Oct. c. 26. Eutrop. 7, 1. Vell. 2, 65. Liv. epit. 119. Dio 46, 32 sqq. Appian. B. C. 3, 48 sqq. Muretus corrigebat *senatui.* Wolfius dicit apud Ciceronem id praeferendum. Minime vero. Nam senatui non potuit extorquere consulatum, qui non erat in senatus manibus, sed senatus populique Romani. Hinc *extortum* absolute dictum accipe, ut apud Eutropium: *extorsit, ut sibi vicesimo anno consulatus daretur.* *Invito senatu* est ablativus absolutus. Ceterum saepius apud Tacitum quartae declinationis forma *u* ponitur pro *ui*. cf. not. ad 6, 23. 12, 5. 62.

acceperit. Muretus malebat *acceperat.* Sed paulo ante fuit: *invaserit*, eodem plane usu. *Acceperat* alium loco induit colorem et alienum. Exhibet enim eam rem, quod in Antonium accepit arma, ut per se constantem, nec pendentem e sententia dicentium. Sic infr. 4, 10. *ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse.* Iam vero id ipsum illi arguunt, quod in Ant. arma accepit, contra rem p. vertit. Hinc e persona loquentium haec erant referenda: *quae in A. acceperit.*

qui fecere. Sic cod. MS. et vett. edd. sqq. Sed quum Mureto innotuisset in antiquis (nescio quibus) esse *caepere*, venit ipsi suspicio de mendo, et loco Suet. Oct. c. 13 deceptus censuit legendum esse *cepere*, quam emendationem potissimum Wolfius cum eximia fiducia commendavit et in textu posuit. Adsensus sequentium editorum non defuit. Nimirum Suet. l. l. de Octaviano refert: *neque veteranorum neque possessorum*

tus paternis inimicitiis datos, quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompeium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos: post

gratiam tenuit, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus. Eodem spectare Taciti verba existimant illi. Sed quaero, num divisiones agrorum per se displicuerint veteranis? Immo, satis his placebant; querebantur vero ex nimia cupiditate. Multum igitur abest, ut e veteranorum querelis vituperium Augusti repeti possit, ut potius in eius laudem illae valeant. Altera quaestio est, num verba: *ne . . . laudatas*, ad divisiones agrorum tantum pertineant, an etiam referenda sint ad proscriptionem civium? Illud si statuis, Tacitus satis nude posuit: *proscriptionem civium*, inter hasce sententias ad unam omnes pleniori quadam enuntiatione expositas. Omnia potius suadent, ut praedicata: *ne . . . laudatas*, ad proscriptionem civium simul referas. Tum vero ineptum evadit verbum *cepere*. Quae cum ita sint, redeundum erit ad cod. MS. verba: *qui fecere*. Qui fecere proscriptionem civium et divisiones agrorum, sunt triumviri et qui plurimum apud illos potuere, spectatque hic locus ad varias dissensiones super proscriptione civium et divisione agrorum in triumvirorum partibus exortas. Nam de illa refert Suet. Oct. c. 27. *restitit quidem* (Octav.) *aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum saepe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magno opere contendit, ne cui parceretur. — Quum peracta proscriptione M. Lepidus in senatu excusasset praeterita, et spem clementiae in posterum fecisset, quoniam satis poenarum exactum esset; hunc e diverso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera.* De divisione agrorum Dio 48, 6. Ἦν δὲ ἐν τῇ κληρουχίᾳ ἀμφοτέροις ἡ πλείστη τῆς δυνάμεως ἐλπὶς, καὶ διὰ τοῦθ' ὑπὲρ αὐτῆς πρῶτόν ἀρξάμενοι διεφέροντο. Mox: ὡς γοῦν παρὰ τὴν δόξαν αὐτῶν πολλὴ ταραχὴ ἐγίγνετο, καὶ τὸ πρᾶγμα ἐς πόλεμον προήγετο — μετεβάλλοντο ἥ τε Φουλουΐα καὶ ὁ ὕπατος, πλείω δύναμιν ἐν τοῖς ἑτέροις τοῖς ἀδικουμένοις σχήσειν ἐλπίσαντες· καὶ τῶν μὲν ληψομένων τοὺς ἀγροὺς ἠμέλησαν, πρὸς δὲ ἐκείνους, ἅτε καὶ πλείονας ὄντας, καὶ ὀργὴν δικαίαν ὑπὲρ ὧν ἀπεστεροῦντο ποιουμένους, ἐτράποντο κ. τ. λ. Et in fine capitis: καὶ γὰρ καὶ τῷ Μάρκῳ ταῦτα συνδοκεῖν ἐνόμιζον. Haec videntur sufficere, ut appareat, quomodo dicere potuerint *proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas.* De formula *qui fecere* cf. Sallust. Catil. c. 8.

privata . . . . remittere. Plin. epp. 7, 18. *Sed oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas anteferre.* Cic. p. red. in sen. c. 8. de provinc. consular. c. 18. Liv. 9, 38. Uncos, quis haec in prioribus edd. inde a Lips. prima circumdabantur, bene sustulit Bekkerus. Absunt etiam ab edd. Ber. Rhen. Ald. Non enim praeter structuram loci verba adponuntur.

sed . . . sed. De anaphora cf. Ramshorn. gram. lat. p. 707. Not. Nemo Tacito amantior est huius figurae. cf. supr. c. 1. *non Cinnae, non Sullae*; infr. c. 38. *sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem*; c. 59. *arma in Caesarem poscens, arma in Segestem*; eod. c. extr. *ne — ne —*; c. 62. *ut — ut —*; c. 22. *cum oculis, cum lacrimis.* Nostrum locum Rhenan. volebat corrigi: *Sed P. . . et Lepid.*

Pompeium imagine pacis. Dio 48, 36. Vell. 2, 77. Sueton. Oct. c. 16.

Antonium Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum subdolae adfinitatis poenas morte exsolvisse. Pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iulos. Nec domesticis abstinebatur. Abducta Neroni uxor, et consulti per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet; Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus: postremo Livia, gravis in rem publicam mater, gravius domui Caesarum

Lepidum specie amic. Suet. l. l. Dio 49, 12. Vell. 2, 80.

Tarentino. Dio 48, 54. Appian. B. C. 5, 93 sq.

Brundisinoque. Dio 48, 28. 33. Appian. B. C. 5, 57—64.

nuptiis sororis inlectum. Dio 48, 31.

Lollianas. Vell. 2, 97. Dio 54, 20. Suet. Oct. c. 23. An. urb. 738.

Varianasque. Flor. 4, 12, 30 sq. Vell. 2, 117 sq. Dio 56, 18 sq. Tacit. infr. c. 55 sq. A. u. 763.

Varrones. Suet. Oct. c. 19. 56. Tib. c. 8. Vell. 2, 91. Dio 54, 3. An. urb. 732.

Egnatios. Vell. 2, 91. 93. Senec. de Clem. c. 9. de brevit. vit. c. 5. Dio 53, 24.

Iulos. Dio 55, 10. Plin. 7, 45. Vell. 2, 100. Horat. Od. 4, 2. Suet. Claud. c. 11, De minoris fratris nece cf. Suet. Oct. c. 17. Ceterum cod. MS. et edd. vett. cum Dione habent *Iulios.* At Horat. Suet. et Vell. *Iulum* vocant; quare et Tacito eandem scripturam vindicavere interpretes hic et infr. 3, 18., improbante Iac. Gronovio, cum quo ego consentio. Nam *Iulum* pro *Iulium* videtur ornamentum poeticum esse, petitum ex antiquitate. cf. Liv. 1, 3.

abducta Neroni uxor. cf. infr. 5, 1. Suet. Oct. c. 62. et Claud. c. 1. Dio 48, 43. 44. Vell. 2, 94.

consulti per ludibrium pontif. Dio 48, 43. 44. ἀπεκρίναντο· ὅτι εἰ μὲν ἐν ἀμφιβόλῳ τὸ κύημα ἦν, ἀναβληθῆναι τὸν γάμον ἐχρῆν· ὁμολογουμένου δὲ αὐτοῦ, οὐδὲν κωλύει ἤδη αὐτὸν γενέσθαι. Prudent. in Symmach. 1, 260 sqq.

Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus. Cod. MS. *nuberetque* (sive *quae*) *Tedii et Vedii Pollionis luxus.* Edd. Beroald. Rhen. Ald. *nuberet: quae Tedii et Vedii P. etc.* In not. Beroald. coniecit: *qui Tedii;* P. Victorius in suo exemplari *quae* correxerat in *Q.* i. e. *Quinti*, quod hodie vulgatur, auctore Wolfio. Rhenanus in castigatt. *Q. Vedii Pollionis.* Plurimae medii aevi edd. habent: *qui Tedii* vel *qui Atedii* (Cic. ad Att. 12, 4 et 24.) *et Vedii P. l.* Freinshemius ex An. 12, 60. *Matium* volebat substitui. Consentit Ryckius. cf. Plin. 12, 2. Broterius, qui edidit: *Q. Tedii et V. P. l.*, in notis coniecit: *Q. Haterii et V. P. l.* cf. Plin. 7, 53. Bipont. *nuptaeque taedia.* Wolf. huc trahit *Q. Pedium.* cf. Suet. Iul. c. 83. Alii alia. Sed nihil certi inveniri potuit. De Vedio Pollione eiusque luxu satis constat. cf. Dio 54, 23. Plin. 9, 23. Senec. de ira 3, 40. Tertullian. de Pallio c. 5. Sed alterum virum, qui huic aequetur, frustra quaesivere. *Q. Tedium* nemo veterum scriptorum novit, et alia nomina semper dubia erunt. Wolfius unum exemplum luxuriae satisfacere non potuisse malae linguae vulgi censet. Cuius tamen opinionis rationem non perspicio. Fortassis Noster scripsit: *Quin etiam Vedii Pollionis luxus.*

gravis in rem p. mater, gravius dom. C. n. Sic cod. MS. et inde edd. Beroald. et Rhenan. Sed quum *gravius* offenderet interpre-

noverca. nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum: sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. Etenim Augustus, paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quanquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret.

tes, mutaverunt aut in *gravis*, ut suadente Beroaldo Ald. sqq. Iac. Gronovius, Wolfius sqq. aut in *gravior*, ut Pichena, quem secuti sunt Lips. Bernegg. sqq. At Taciti stilum non satis novere, qui hic aliquid emendandum esse censerent. *Gravius* est adverbium, significat *graviori modo*, *gravioribus sceleribus* Liviam domui Caesarum fuisse novercam. Plane sic Noster utitur adverbiis. cf. infr. 4, 47. *Quidam audentius apertis in collibus visebantur*, h. e. audentiori modo usi. An. 15, 45. *Aurum, quod — omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat*. *Prospere* h. e. prospero in statu, respondet alteri voci: *in metu*. Germ. c. 5. *interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur*. Quod autem alterum membrum priori dissimile evadit, eximie Tacito convenit, quem variandae structurae studiosum esse sexcenties monuere interpretes. Sic infr. 4, 46. *montium editis inculti atque eo ferocius agitabant*. Gradationem a loco alienam esse censebant, quibus placebat *gravis*. Scilicet in suam rem disputabant. Nam perdere privignos et grassari veneno, ferro, haud dubie gravius est, quam civitati principem obtrudere filium et impotentia materna in filium principem uti.

nihil deorum ... vellet. Vulgo hunc locum ita accipiunt, ut sermo esse videatur de templis et statuis Augusto positis per provincias. Suet. Oct. c. 52. Dio 51, 20. Perperam. Nam si hoc voluisset Tacitus, scripsisset *voluerit*, non *vellet*. Immo cogitandum est hic de templo et coelestibus religionibus, quae decernebantur Augusto mortuo, cf. c. 11. Dio 56, 46. Suet. Oct. c. 100. Solent enim sic, quae per adulationem peccantur, imputari idolo. Quoad vixit, in urbe Augustus pertinacissime abstinuit divino honore. cf. Suet. Oct. c. 52. Iam vero de divino honore per urbem Augusto dato sermonem esse facile intelligis e verbis: *per flamines et sacerdotes*. Minime igitur hic locus dicit contra Suetonium aut Dionem, quod putabant viri docti. cf. Reimar. ad Dion. 51, 20.

effigie numinum, h. e. imagine ad modum numinum effecta.

caritate. Sic ed. Beroald. et recentiores omnes; *charitate* edd. Rhenan. Ald.

sed quoniam .... quaesivisse. Suet. Tib. c. 21. Dio 56, 45.

de habitu cultuque. *Habitus* est modus habendi ipsum corpus eiusque partes, quem habitum in Tiberio Suet. c. 68. describit sic: *Incedebat cervice rigida et obstipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quae omnia ingrata atque adrogantiae plena et animadvertit Augustus in*

XI. Ceterum sepultura more perfecta templum et coelestes religiones decernuntur. Versae inde ad Tiberium preces. et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia: solam divi Augusti mentem tantae molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis quam

eo et excusare tentavit saepe apud senatum ac populum, professus naturae vitia esse, non animi. *Cultus* spectat ad vestitum et reliquum ornatum. cf. Suet. Iul. c. 45. *Etiam cultu notabilem ferunt. Usum enim lato clavo* etc. Ante descripserat Iulii Caesaris *habitum*. Quare non satis recte Roth p. 7. *habitum cultumque* synonyma esse dixit. Immo utriusque vocabuli sensus diversus est; coniunguntur autem saepissime, ut significent omnem corporis curam, speciemque externam. cf. infr. 2, 59. Similiter *dicta factaque* coniungi solent ad denotandam omnem alicuius se gerendi rationem, nec propterea dicta factaque sunt synonyma. cf. not. ad An. 2, 53. Ceterum Heinsio suadente Ernestius et Broterius edidere: *de habitu vultuque*, uti est An. 16, 22. Hist. 1, 17. 2, 52 et alibi. At inde non consequitur, eandem esse huius loci rationem. Rectius igitur Bipont. et Wolf. omnesque recentiores reddidere *cultuque.*

Cap. 11. *templum et coelestes religiones.* Dio 56, 46. Falso et haec Roth. l. l. synonyma esse dixit. Immo *templum* esse potest sine *coelestibus religionibus*, quod nemo nescit. Diversum igitur est templum decernere, et coelestes religiones. Utrumque Augusto decretum est.

et ille. Wolf. volebat: *At ille;* dedit Ricklefs in versione. Frustra et male. Nam *at* fortius incipit, quam huic loco convenit; *et* plane sic adhibetur, ut inchoet id, quod ab altera parte evenit. cf. 2, 28. *et vocantur patres* 15, 27. *Et venientes.* 2, 50. *et Appuleiam.* 4, 16. *et filius* etc.

sua modestia. *Modestia* ea est animi ratio, qua quis vires aut facultates suas credit minores; opp. *adrogantia.* Tum et ipsa mediocritas virium illo vocabulo innuitur. cf. Hist. 3, 70. *Vitellius — culpam in militem conferens, cuius nimio ardori imparem esse modestiam suam.* Nil igitur dubitandum est de hoc vocabuli usu, nec confugiendum ad contortam quorundam rationem, qui explicant: *pro sua modestia* sc. solita, quam simulare solebat. Dio 57, 2. καὶ τὸ μὲν πρῶτον καὶ πᾶσαν αὐτὴν (ἀρχὴν) διά τε τὴν ἡλικίαν (ἓξ γὰρ καὶ πεντήκοντα ἔτη ἐγεγόνει) καὶ δι' ἀμβλυωπίαν (πλεῖστον γὰρ τοῦ σκότους βλέπων, ἐλάχιστα τῆς ἡμέρας ἑώρα) ἐξίστασθαι ἔλεγεν.

plures facilius etc. Dio l. l.

exsecuturos. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *executuros.*

dignitatis. Vertunt *Würde*, quod longum est a vero. Immo *dignitas orationis*, ut Suet. Claud. c. 30. *dignitas formae*, et Plin. Panegyr. c. 4, 7. *dignitas oris* significat pulchram speciem, quae inest. Pulchritudinis enim alterum genus est dignitas secundum Cicer. de Off. 1, 36.

fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrimas, vota effundi, ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit. Opes publicae continebantur: quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. quae cuncta sua manu perscripserat Augustus, addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam.

XII. Inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius se, ut non toti rei publicae parem, ita, qaecunque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. Tum Asinius Gallus, „Interrogo," inquit, „Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis." Perculsus improvisa interrogatione pau-

Tiberioque . . . . implicabantur. Fusius eadem refert Dio 57, 1.

intelligere. Ed. Beroald. *intellegere*, quae scriptura frequentatur in vett. libris.

ad effigiem Augusti. In curia positam. cf. infr. 2, 37. *modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens.*

libellum. Suet. Oct. c. 101. *breviarium totius imperii.* Dio 56, 33.

recitari. Per Drusum. Dio l. l.

quantum civium . . . in armis. Recenset Dio 55, 23.

necessitates. Nos *Lasten.* Liv. 23, 48. *indicandas populo publicas necessitates.*

largitiones. Potissimum cogitandum de praemiis emeritorum, quae ante destinabantur. cf. Dio 54, 25. 55, 23.

sua manu. Suet. Oct. c. 101.

coercendi intra terminos imperii. cf. supr. c. 9. *mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium*, ultra quos terminos ne augerent imperium suadet Augustus.

metu. Id apud Dion. 56, 33. ipse profitetur.

CAP. 12. *quam partem rei p.* cf. Dio 57, 2.

perculsus. Ernestii mutationem: *percussus*, bene refutavit Wolfius. Nam licet sint, qui discrimen inter *perculsus* et *percussus* statuant nullum, ut Baumgarten-Crusius ad Suet. Tib. c. 11., codices MSSti etiam mire confundant utrumque vocabulum (cf. Heynius et Heinsius ad Virgil. Georg. 2, 476. Aen. 1, 513. 6, 475. 8, 121. 9, 197. potissimum Burmann. ad Ovid. metam. 4, 138.); id tamen comparatis inter se utriusque generis locis satis patet, *perculsum* rectius dici eum, cui re quadam stupor iniectus est, ut nesciat, quid statuendum, dicendum, faciendum sit, ἐκπλαγείς, ἐμβρόντητος; *percussum* vero, qui aliqua

lum reticuit: dein collecto animo respondit, nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. Rursum Gallus (etenim vultu offensionem coniectaverat) non idcirco interrogatum ait, ut divideret, quae separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum. addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quaeque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram eius lenivit, pridem invisus, tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.

XIII. Post quae L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit, quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed divitem,

re ita est tactus, debilitatus, vulneratus, ut viribus et animo deficiat obnoxiumque se sentiat, βληθείς. Est translatio a vulnere corporis ad animum. Explicuerim *perculsus betroffen*, *percussus getroffen*. Lubenter tamen concedo multis locis promiscuum esse utriusque vocabuli usum. cf. not. ad c. 28. 6, 44. Hist. 3, 36. Suet. Tib. c. 11. *Perculsus igitur inopinata re.* Liv. 2, 14. *Aricinos res inopinata perculerat.*

rursum. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Restituit Wolfius. Prius vulgabatur *rursus*, auribus ingratum. Ex hac enim lege nunc *rursus*, nunc *rursum* ponendum est, uti *adversus* et *adversum.*

vultu. sc. Tiberii.

sed ut sua. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. *sed et sua*, ut *et* significet *etiam*. Scilicet ceteri satis iam confessi erant, unum esse etc. cf. Rhenan. in castigatt. Vulgatam habent edd. inde a Lips. prima omnes, dubito, an recte.

addidit laudem de Augusto. Muretus corrigebat: *addidit de laudibus Augusti.* Wolfius, observato, liberiorem particulae *de* esse usum in optimis auctoribus latinitatis, tolerat vulgatam, coniicit tamen, mendum ex male repetita syllaba *dē* exortum atque legendum *laudem Augusti.* Iam quod attinet liberiorem usum particulae *de*, nemo unquam Romanus scripsit *laudem de aliquo*; est tamen sanus hic locus. Namque *de* pendet e verbo *addidit.* cf. infr. 2, 22. *de se nihil addit*; 3, 17. *de Plancina nihil addidit.* cf. not. ad Agr. c. 25.

Tiberiumque .... admonuit. Sc. ut refelleret ipsius verba de modestia sua.

ducta in m. V. Agr. cf. Dio 57, 2. 58, 3. Suet. Tib. c. 7.

plus quam civilia agitaret. Dio l. l. τόν τε Δροῦσον ὡς υἱὸν προσεποιεῖτο.

Pollionisque Asinii p. ferociam. Exempla vide apud Suet. Oct. c. 43. Vell. 2, 86. Senec. de ira 3, 23.

Cap. 13. *Arruntius.* Ed. Beroald. *Arruncius*; edd. Rhenan. sqq. *Arruntius*, Dio Ἀῤῥούντιος.

promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent aut impares vellent vel iidem possent cuperentque, M. Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem, L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum. De prioribus consentitur: pro Arruntio quidam Cn. Pisonem

promptum, artibus egregiis. Edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. pr. *promptum artibus egregiis.* Sed *promptum* per se constat. cf. Tacit. Agr. c. 3. Hinc *promptum ingenium* An. 1, 23. Sic et alii. Cic. ad Fam. 2, 18. in Verr. 1, 2, 14. Iustin. 22, 2.

pari fama. sc. magna. *Publice* h. e. circa egregias artes, quas exercebat in rebus publicis, ut in senatu, in magistratibus etc. Quae quum non satis recte intellexisset, Woltmannus volebat distinguere: pari fama, *publice suspectabat.* Scilicet in *publice* ille pleonasmum esse perperam opinabatur.

vel iidem. Edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. pr. *vel idem.* Seqq. edd. *vel iidem.* Recte. Nimirum *idem* pro *iidem* saepius scribunt vett. libri.

M. Lepidum. Lipsio auctore (cf. eius not. ad An. 3, 35.) Pichena et Freinshemius contra vett. libros ediderunt *Manium Lepidum*, ut Lepidus idem intelligeretur qui est infr. 3, 22., *Manius* etiam diceretur Lepidus 3, 35. 50. 4, 20. 6, 5. 27. Contra An. 3, 32. 3, 11. 4, 56. illi posuere *Marcum.* Lipsium errasse docuit Rupertus (epp. Reines. 60.). Hinc Ioh. Fr. Gronovius, Ryckius sqq. suis locis reddidere *M. Lepidum*, quanquam nondum satis sibi constant virorum doctorum opiniones de hisce Lepidis, ut infra videbimus. Hoc nemo dubitat, hunc Lepidum, quem Augustus imperii capacem dixit, eundem esse cum eo, qui moritur An. 6, 27. de cuius potentia queritur Cotta Messallina 6, 5. cuius laudes Noster praedicat 4, 20. Quas laudes si compares cum verbis Vell. 2, 114. (ubi M. Lepidus, Tiberii in bello Dalmatico legatus, dicitur: *vir nominis ac fortunae Aemiliorum proximus: quem in quantum quis aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum iudicat*), apparet, Velleium de hoc ipso viro loqui, quem et Dio 56, 12. *Marcum* vocat. Fuit ille Aemilii Paulli censoris cum Planco a. u. 731. et triumviro fratris filius, L. Aemilii Paulli cum C. Claudio Marcello consulis a. 703 nepos, consul cum L. Arruntio a. 758. cf. Rupertus l. l. De ceteris locis infra disputabimus.

avidum et minorem. Muretus volebat: *avidum, sed minorem.* Adsentitur Pichena. Ernestius mavult *at*, quod Broterius dedit. Frustra. Nam sexcenta sunt exempla, quae eodem modo simplicem habent copulam, omissa particula adversativa, quia vis adversativa ipsis verbis inest, particula ingratam tarditatem adferret. Sic Hist. 3, 56. *nec quidquam nisi iucundum et laesurum;* 2, 46. *nequaquam trepidus et consilii certus;* An. 15, 21. *Inde initia magistratu*[redacted]*rum meliora ferme, et finis inclinat;* 6, 21. *praescium periculorum et incolumem;* 13, 22. *Syria P. Anteio destinata, et variis mox artibus elusus;* Germ. c. 4. *magna corpora et tantum ad impetum valida.*

Cn. Pisonem. cf. infr. 2, 43 sqq.

tradidere: omnesque praeter Lepidum variis mox criminibus struente Tiberio circumventi sunt. Etiam Q. Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere: Haterius, cum dixisset, „Quousque patieris, „Caesar, non adesse caput rei publicae?" Scaurus, quia dixerat, spem esse ex eo, non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset. In Haterium statim invectus est: Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit. fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. Constat Haterium, cum deprecandi causa palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius, casu an manibus eius impeditus, prociderat. neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque curatissimis precibus protegeretur.

omnes. Piso infr. 3, 15. Asinius Gallus 6, 23. Arruntius 6, 48. Nam quanquam incertum habebatur, sponte Asinius Gallus, an necessitate decesserit, non tamen incertum fuit, an struente Tiberio circumventus perierit.

non adesse caput rei publicae. Cod. MS. et inde vett. edd. *non adesse aput te rei publicae.* Rhenanus coniecit, quae nunc eduntur. Supersunt tamen et aliae coniecturae, ut Lipsii: *non esse caput te rei p.* Vertranii: *non esse apud te caput r.* Mureti: *deesse caput rei p.* Aldi: *non adesse apud te rem publicam.* Novissime Herrmannus in not. ad h. l. proposuit: *non adesse caput te rei publicae? dass du nicht als Haupt des Gemeinwesens hier anwohnest?* h. e. alibi principem agis, cur non et hic? Quae si Haterius dixit, Tiberius haud dubie ob malam latinitatem et locutionem invectus est in illum. Interim in Rhenani emendatione acquiescamus. Iam vero, cur Haterii verba suspicacem animum perstrinxerint, quaeritur. Scilicet verba sunt impatientis et obscure idem significant, quod apud Suet. Tib. c. 24. unus in tumultu proclamasse dicitur: *Aut agat aut desistat.* Et nisi fallor, Haterius noster idem ille est unus Suetonii. In talibus enim rebus variant scriptores. cf. not. ad c. 6.

genua advolveretur. Pellicerius apud Broterium volebat *genibus.* cf. inf. 1, 23. 32. Plin. epp. 1, 18. 9, 21. Sed Noster etiam An. 6, 49. 15, 71. Hist. 4, 81. *genua advolvi,* medii significatu scribit. Sic Graeci προςκυνεῖν, προςπτύσσεσθαι τινά. Scilicet *genibus advolvi, advolutus* simpliciter indicat statum vel locum, in quo quis versatur; *genua advolvi* est per genua orare.

prociderat. cf. Suet. Tib. c. 27.

eiusque. Edd. vett. haud dubie e cod. MS. *et usque,* quod Lipsius bene correxit in *eiusque.*

curatissimis. Sic MS. unde restituit Pichena. Ed. Beroald. *accuratissimis,* et d. Rhenan. sqq. *accuratissimis.* An. 14, 21. *ludos curatius editos;* 2, 27. *curatius disseram.*

XIV. Multa patrum et in Augustam adulatio. Alii parentem, alii matrem patriae appellandam: plerique, ut nomini Caesaris adscriberetur Iuliae filius, censebant. ille moderandos feminarum honores dictitans, eademque se temperantia usurum in iis, quae sibi tribuerentur: ceterum anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens ne lictorem quidem ei decerni passus est aramque adoptionis et alia huiuscemodi prohibuit. At Germanico Caesari proconsulare imperium petivit: missique legati, qui deferrent, simul maestitiam eius ob excessum Augusti solarentur. quo

Cap. 14. *Multa patrum et in A. adulatio.* De qua vid. Dion. 57, 12. Suet. Tib. c. 50.

alii parentem, alii matrem patriae. Dio l. l. πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν. *Parentem* sc. patriae. Hinc in nummo Augusti apud Tristanum T. 1. p. 123. *Iulia Augusta Genitrix Orbis.* Spectat id vocabulum eo, quod illa patriae peperit principem; *matris* nomini inest caritatis notio. Quanquam promiscue etiam haec vocabula usurpantur. Nam Iulius Caesar secundum Suet. c. 76. cognomen *Patris patriae* accepit; statuae tamen, quam ipsi post mortem posuit plebes, inscribebatur: *Parenti patriae.* Suet. c. 85. Alii in *parentis* nomine inveniunt curandi, fovendi notionem. cf. Ricklefs ad h. l. Sic inf. 2, 55. Piso dicitur *parens legionum.* Herrmannus *parentem* per se intelligit sine *patriae*, vertitque *Zeugemutter* sc. Tiberii. Sed fortasse frustra quaerimus significatus discrimen, quum illi εὐφωνίαν tantum spectarent disceptarentque, utrum esset in hac an illa voce.

ut nomini . . . . filius. Dio l. l. ὅπως ὥσπερ οἱ Ἕλληνες πατρόθεν, οὕτω καὶ ἐκεῖνος μητρόθεν ὀνομάζηται.

ille moderandos etc. cf. Dio et Suet. l. l.

deminutionem. Sic cod. MS. teste Pichena, qui reposuit. Edd. Beroald. Rhenan. ceteraeque ante Pichen. *diminutionem.* De discrimine utriusque verbi vid. Oudendorp. ad Suet. Iul. c. 5. et not. ad 13, 50.

ne lictorem quidem. Tac. 13, 2. In sacrificiis tamen, quae ut sacerdos Augusti faceret, lictore uti Liviae permissum esse testatur Dio 56, 46.

aramque adoptionis. Refer ad adoptionem Liviae c. 8. Sic *ara Ultionis* 3, 18. *Clementiae*, *Amicitiae*, 4, 74. Strombeckius cogitat de adoptione, qua Tiberius in familiam Caesarum venisset. At sermo nunc est de adulatione in Liviam.

proconsulare imperium. Dio 56, 25. triennio ante consulare imperium Germanico tribuit. Verba sunt: Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἀρχῶν ἔς τε τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον etc. At ibi intelligitur proconsulare imperium, quo ad bellum gerendum ornabatur, quoniam consulatum nondum gesserat. Hic vero, ut recte monuit Lipsius, cogitandum est de consulari imperio perpetuo, quod inter titulos principatus fuit. cf. inf. 12, 41. Hist. 4, 3. Lamprid. in Alexandro c. 8. Dio 53, 32.

maestitiam. Ed. Ber. *maesticiam*; Rhen. Ald. *moestitiam.* Seqq. edd. *maestitiam*, dum alibi scri-

minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus praesensque erat. Candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum: et hortante senatu, ut augeret, iureiurando obstrinxit se non excessurum.

XV. Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus ademptum ius questus est nisi inani rumore: et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus libens tenuit, moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret sine repulsa et ambitu designandos. Inter quae tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum. mox celebra-

bunt *moestus*, quam inconstantiam evitamus.

obstrinxit se non exc. Ernest. distinxit: *obstrinxit se, non exc.* Imitati sunt sequentes editores. At Tacitus solet scribere: *obstringere aliquid iureiurando.* cf. inf. 4, 31. *ut et iureiurando obstringeret, e re publica id esse;* 13, 11. *clementiam suam obstringens crebris orationibus.*

Cap. 15. *Tum primum .. comitia* etc. Vell. 2, 126. Dio 58, 20. 59, 9.

quattuor. Sic edd. vett. nonnullaeque recentt., et nuper Bekkerus. Vulgo *quatuor.*

Augustales. Vivo etiam Augusto ludos in eius honorem celebrari solitos perhibent Dio et Suetonius. cf. Suet. Oct. c. 57. 59. Dio 51, 19. 20. 54, 26. 30. 34. 56, 29. Quos ludos et ipsos passim *Augustalia* vocat Dio. Nunc vero tribuni petunt, ut ludi illi et post viri mortem continuentur et tanquam deo consecrati, fastis additi, per annos celebrentur. Hinc etiam Dio 56, 46. postquam rettulit alia in honorem divi Augusti constituta, addit decretum esse, ὅπως — τὰ Αὐγουστάλια οἱ δήμαρχοι, ὡς καὶ ἱεροπρεπεῖς ὄντες, διατιθῶσι κ. τ. λ.

utque. Pendet particula e verbo *decretum est*, quod latet in *decreta.* cf. An. 14, 12. *decernuntur supplicationes — utque* etc. 4, 33. *noscenda vulgi natura et quibus modis* etc. 14, 33. *circumspecta infrequentia militis, satisque* etc.

per circum. h. e. quum in circo essent. Dio l. l. καὶ γὰρ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπινικίῳ ἐν τῇ Ἱπποδρομίᾳ ἐχρήσαντο.

curru vehi haud permissum. Dio l. l. οὐ μέντοι καὶ τοῦ ἅρματος ἐπέβησαν. cf. Iuven. 10, 36. Liv. 45, 1. Plin. 34, 5. Plin. Paneg. c. 92.

tio annuum ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.

XVI. Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat. Castris aestivis tres simul legiones habebantur praesidente Iunio Blaeso: qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. Erat in castris Percen-

annuum ad praetorem. Cod. MS. edd. Ber. Rhen. *annum ad pr.*, quod Rhen. in castigatt. emendat *annuum*, idque edidit Ald. sqq. Dein locum obtinuit *annua* a Lips. prima usque ad Ernestium, qui restituit *annuum*, eumque secuti sunt Allemand. et Broterius. Wolfius tamen correxit iterum in *annua*. Et iam reposuimus *annuum*. Nam *annua* inepta est tautologia, quoniam de ludis annuis sermonem esse per id satis constat, quod tribuni dixere: *fastis additi*. *Annuus praetor* autem est, qui graece dicitur ὁ ἀεὶ στρατηγός *(der jedesmalige Prätor)*. Sic Dio 54, 34. καὶ τοῦτο μὲν, καίτοι μὴ ψηφισθὲν, ἐν πᾶσιν ὡς εἰπεῖν τοῖς ἔτεσιν πρός τινος τῶν ἀεὶ στρατηγούντων ἐγίγνετο. Id. 56, 28. τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων. Suet. Iul. c. 23. *annuos magistratus.* Kiessling. vult *annua eum ad pr.*

evenisset. Tac. Agr. c. 6. *obvenerat*, de eadem re.

Cap. 16. *Pannonicas legg. sed. inc.* Dio 57, 4. qui brevius eadem refert. Suet. Tib. c. 25. Vell. 2, 125.

ob iustitium aut gaudium. Scilicet *iustitium* ob mortem Augusti indictum (cf. c. 50. *iustitio ob amissum Aug.*); *gaudium* ob initia Tiberii feriis celebratum (Germanicas legiones gaudium non est adsecutum ob discordias interim inrumpentes). Particula *aut* eodem plane modo hic ponitur, ut supr. c. 8. Nam intermiserat Blaesus munia cum ob iustitium, tum ob gaudium, igitur *ob iustitium aut gaudium*. Perperam Muretus *aut gaudium* male additum, putabat, perperam et Wolfius totum hoc glossematis suspicione adgressus est. Bene monuit Ricklefs, verba praecedentia: *et initiis Tiberii* poscere, ut addatur: *aut gaudium.* Fusius contra Wolfium disputavit Woltmannus, qui tamen nimis premit voc. *gaudium* et cogitat de privato Blaesi gaudio ob initia Tiberii. Immo *epulum plebi ob laetitiam recentis imperii oblatum* legimus etiam Hist. 1, 76.

eo principio. Sunt qui disiungant utrumque vocabulum, ut sit *eo* pro ideo, *principio* autem per se constet. At sententia potius est: id principium miles habuit lasciviendi etc. vel: inde principium sumpsit lascivia etc. cf. Agr. c. 18. *eoque initio erecta provincia;* An. 4, 52. *quo initio invidiae.*

aspernari. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Eadem script. utitur Cod. MS. Flor. litt. Langobard. script. Recentiorum plerique nunc scribunt *aspernari*, ut c. 13., nunc *adspernari*, ut hic et c. 40.

nius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus. Is imperitos animos et, quaenam post Augustum militiae conditio, ambigentes impellere paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die et dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare. Postremo, promptis iam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat:

XVII. Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent. ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum retentos alio vocabulo eosdem labores per-

theatralium operarum. Male Muretus accepit de iis, qui operam suam locarent ad fabulas agendas. Sequitur tamen Strombeckius, qui interpretatur: *Anführer einer Schauspielerbande.* Lipsius et I. Fr. Gronovius docuere, intelligendos esse homines illos ab histrionibus mercede conduci solitos, ut factionem fautorum suorum lingua, manu, et si res ita posceret, lapidibus et subselliorum fragminibus (cf. Suet. Ner. c. 26.) tuerentur contra diversarum partium adseclas. De hac theatrali licentia vel lascivia vid. inf. c. 77. 11, 13. 13, 23. Suet. Tib. c. 37. Potissimum Plaut. in prol. Amphitr. v. 64 sqq.

dilapsis. Edd. Ber. Rhen. Ald. et Lips. priores *delapsis.* Muretus bene correxit in *dilapsis.* Nam sic inf. 2, 7. edd. Ber. et Rhen. *obsessores dilapsi*, et Hist. 1, 31. *dilapsis speculatoribus* libri omnes in priori voc. consentiunt.

concionabundus. Edd. Beroald. *contionabundus*, et sic fere semper. Edd. Rhenan. sqq. *concion.*

Cap. 17. *nisi .... adirent.* Dio l. l. *ἐν γὰρ τῇ μεταβολῇ τῆς ἀρχῆς πάνθ᾽ ὅσα ἐπεθύμουν ἢ αὐτὸν ἐκφοβήσαντες, ἢ καὶ ἄλλῳ τινὶ τὸ κράτος δόντες κατακράξειν ἤλπιζον.*

tricena aut quadragena. Augustus secundum Suet. Oct. c. 49. quidquid ubique militum esset ad certam stipendiorum praemiorumque formulam adstrinxit. cf. Dio 54, 25. qui addit: *ἦν δὲ ὅ τε ἀριθμὸς τῶν ἐτῶν τοῖς μὲν δορυφόροις δώδεκα, τοῖς δ᾽ ἄλλοις ἑκκαίδεκα.* Quomodo igitur tricena aut quadragena stipendia? Primum formula Augusti non stricte observabatur, retinebanturque milites diutius quam statutum erat, ut aerario militari subveniretur; tum etiam concionator noster invidiae causa rem nimis auget. cf. tamen infr. c. 36.

senes. Inf. c. 34. *per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret.*

apud vexillum retentos. Obtinuit enim, ut peracto stipendiorum numero non statim domum dimitterentur, sed retinerentur peculiari vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis. cf. inf. c. 36. Cur id factum sit, docet Suet. Tib. c. 48. *missiones ve-*

ferre: ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari. hinc vestem, arma, tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi. at hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna. nec aliud levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singulos denarios mererent, sextus decumus stipendii annus finem adferret,

teranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans. Ceterum cod. MS. *vexillum t* (in fine versus, quem alius excipit hoc initio) *tentes*, unde I. Gronovi conicit *tendentes*. Praestat vulgatum.

alio vocabulo. Vexillarii.

vita superaverit. Caes. B. G. 6, 19. *uter eorum vita superarit* (*überleben*). Frustra Crus. Probab. crit. p. 30. *si quis* vel *si queis tot casibus vita superaverit.*

uligines .... montium. Simillima invenies in Sallust. Hist. fragm. lib. 1. ibique in M. Aemilii Lepidi ad p. R. oratione contra Sullam: *Egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intellegerent.* Eadem omnium temporum querela veteranorum, se non pro spe meritorum tractari. Suet. Oct. c. 13.

accipiant. Nempe in *si quis* latet notio *omnium qui.*

denis in diem assibus. Primum an. u. 347. decretum est, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Liv. 4, 59. Stipendii nomine pedites in diem accipiebant binos obolos h. e. quinque asses unciales; ordinum ductores duplum; equites drachmam. Polyb. 6, 37. ibique Schweigh. Iulius Caesar legionibus stipendium in perpetuum duplicavit. Suet. Iul. c. 26.

hinc vestem .... redimi. Polyb. 6, 6. *τοῖς Ῥωμαίοις τοῦ τε σίτου καὶ τῆς ἐσθῆτος κἄν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται.* Quo tamen incommodo milites liberati sunt per C. Gracchi legem de militibus, quae ferebat: *uti praeter stipendium militibus vestes quoque gratuito ex aerario darentur.* Plut. in Gracch. p. 837. Ex Tac. loco discimus, quaedam de Gracchi lege esse abrogata postea, ut ex stipendio aliquid detraheretur pro vestibus etc.

hinc saevitiam c. et vacat. m. Hic locus satis accipit lucis ex Hist. 1, 46.

singulos denarios. Denarius, nummus argenteus, nomen habet a denis assibus, quibus ab initio par erat. At Annibale urgente et Q. Fabio Maximo dictatore asses unciales facti sunt, placuitque denarium sedecim assibus permutari, sestertium quaternis. Plin. 33, 3. Tandem denarius aestimari duodecim assibus coepit, in eoque stetit Augusti et sequentium aliquot principum aevo. cf. Lips. in excurs. F.

sextus decumus. Sic ed. Beroald. At Rhenan. sqq. *sextusdecimus*, quanquam inf. c. 37. *tertiam decumam* et *sextam decumam* retinent. MS. Flor. litt. Langob. scr.

ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris praemium pecunia solveretur. An praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici.

XVIII. Adstrepebat vulgus, diversis incitamentis: hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes: postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agita-

consentit in scripturam *decumus.* cf. not. ad 15, 25 et 26.

binos denarios. Dio 53, 11. docet, senatum constituisse *τοῖς δορυφορήσουσιν αὐτὸν* (praetorianis Aug. militibus) *διπλάσιον τὸν μισθὸν τοῦ τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδομένου.* Iam duplum stipendii, quod ceteris militibus dabatur, est vinginti assium, quibus secundum notam priorem quattuor asses sunt addendi, ut binos denarios habeas. Quare alii putant, Dionem non satis accurate eam rem perscripsisse; alii Percennium invidiose augere. Videtur tamen Dio cum Percennio ita conciliari posse, ut putemus, legem quidem fuisse, ut praetoriani duplum ceterorum militum stipendium acciperent, imperatorem vero favore aut praerogativa quadam illorum stipendia meliore nummo h. e. ad argenti valorem revocata persolvisse; ceteros milites, ut a maioribus traditum, stipendia sua ad viliorem nummum h. e. ad asses unciales facta ratione accepisse, ut ita praetoriani viginti asses cum collybo, legionarii decem asses sine collybo perceperint. Nam quod Plinius dicit denarium sedecim assibus permutari, sex asses sunt pro collybo, et denarius nomine suo semper par habendus est decem assibus, non aeneis, sed, si darentur, argenteis. Aeneis si permutas, pro collybo accedit, quod deest, ut argenti valor exaequetur. Confirmantur haec per locum Plin. 33, 3. qui tradit *semper in militari stipendio denarium pro decem assibus datum.* cf. Marc. Donat. in dilucidatt.

acceperint. Sic cod. MS. edd. Beroald. sqq. ad Bernegg. qui dedit *acciperent.* Male. Nam optativo modo hic non est locus, debebat scribi *accipiant*, ut mox est *reddantur.* At vetus scriptura sine labe est et bene a Gronovio explicata: „quae *σύνταξιν* binorum denariorum consecutae fuerint; quibus Augusti constitutio binos denarios dederit; quibus senatus in honorem Augusti binos denarios statuerit." Hinc iure meritoque recentissimi editores revocavere *acceperint.* Naudetus tamen retinuit *acciperent.*

sedecim. Sic MS. test. Iac. Gronov. edd. Oberl. sqq. *sexdecim* edd. Beroald. Rhen. sqq. Eodem modo c. 19 et 26. De re vid. Dio 55, 23. Nimirum postquam prius praetoriis cohortibus duodecim, ceteris sedecim anni fuerant explendi (cf. Dio 54, 25.), an. u. 758 ea constitutio immutata est, ut praetoriani sedecim annos, legionarii viginti annos explerent, praemiis auctis.

Cap. 18. *Adstrepebat vulgus.* Sic inf. 11, 17. 2, 12.

canitiem. Edd. Ber. sqq. c. Lips. prima *caniciem.* Sequentes edd. *canitiem.*

eo furoris. Ernest. nimis premit vocabulum *furoris*, quod usur-

verint. depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt atque una tres aquilas et signa cohortium locant: simul congerunt caespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blaesus advenit, increpabatque ac retinebat singulos, clamitans: „Mea potius caede imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis quam „ab imperatore desciscitis. aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus poenitentiam adcelerabo."

patum putat, quia in miscendis legionibus religionem violaverint. Immo in universum de atrocius rebellantibus *furoris* vocabulum accipias. cf. Hist. 1, 9. Sic *rabies* c. 31.

signa cohortium. Disputant ad h. l. interpretes, utrum cohortes propria signa habuerint, diversa a signis manipulorum; an hic signa manipulorum sint intelligenda, qui in quaque cohorte essent. Scilicet non discernunt tempora. Priori aetate, ubi acies Romana manipulatim disponebatur, nulla cohortium distinctione, nulla fuere cohortium signa, sed manipulorum. At postquam obtinuit consuetudo per cohortes disponendi legionem, nullus in acie potuit esse usus signorum manipularium, sed cohortes signis discernebantur. Hinc Vegetius 2, 13. de signis manipulorum tacet, dum scribit: *Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per singulas cohortes a draconariis feruntur ad proelium.* Et Germanicus infr. c. 34. dum milites discedere in manipulos iubet, nil addit de signis manipulorum praeferendis; iubet autem *vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes.* Qui locus sine sensu esset, ni vexilla cohortium intelligeres diversa a manipulorum signis. Hist. 1, 44. *Praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium iuxta aquilam legionis.* Ibid. c. 41. *vexillarius comitantis Galbam cohortis.* Sic ubique apud Nostrum sermo est de signis cohortium, non manipulorum, atque ita de illis loquitur, ut non possis non intelligere signa, quae discernant cohortes, non manipulos. Haud negaverim, manipulis singulis etiam mansisse sua insignia; minime tamen credo in castris Pannonicis tum singulos trium legionum manipulos signa sua una locasse.

congerunt caespites. Ad exstruendum tribunal. cf. Plin. Panegyr. c. 56, 6. Xiphilin. 62, 2. Sed cur rebellantes tam properi ad tribunal exstruendum? Respondet Noster: *quo magis conspicua sedes foret.* Nam ubi signa legionum in castris locabantur, ibi tribunal deesse nequibat, quia illa solebant tribunali circumdari. cf. Plin. Panegyr. l. l. Tacit. inf. 15, 29. Id templum legionum erat. Sine tribunali iusta species atque dignitas loco defuisset. Ceterum edd. vett. scribunt: *extruunt.*

properantibus. I. Fr. Gronovius malebat: *operantibus*, quod verbum legitur c. 64. et Suet. Claud. c. 20. Sed bonum et efficacius verbum est, quod vulgatur. cf. c. 51. 56. 2, 6 et alibi.

poenitentiam. Cuiacius emend. *poenam.* Wolf. bene monet, „vulgatum ἠθικώτερον et ad misericordiam permovendam accommodatius."

XIX. Adgerebatur nihilominus caespes, iamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi inceptum omisere. Blaesus, multa dicendi arte, non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait: neque veteres ab imperatoribus priscis neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse: et parum in tempore incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur? decer-

CAP. 19. *Adgerebatur.* Vett. et recentt. edd. *aggerebatur*, praeter Naudetum, qui edidit: *adgerebatur.* cf. 2, 57. 3, 67. Num *aggerabatur?* cf. c. 61 et 63.

iamque pectori usque. Cod. MS. test. Iac. Gronovio *pectori eiusque*, unde ille facit: *pectoribusque* vel *pectori et usque adcrev.*, improbante Wopkensio. Vett. edd. vulgata ferunt, quis adquiescimus. *Pectori* pendet e verbo *adcreverat*, et solet sic Noster eiusmodi verba ponere cum dativo pro *ad* c. acc., ut *admovere* 14, 53. *adrepere* 1, 74. 3, 50. cf. Ramshorn. gr. lat. p. 220. Particula *usque* non regit casum peculiarem, sed variis construendi modis se adcommodat. Coniungitur cum praepositionibus *ad*, *in*, *ab*, *ex* aliisque vocibus et constructionibus, non ut regat casum, sed ut sensum intendat atque illustret.

pervicacia. „Blaesi, et si qui alii fortiter obsisterent." Lips.

per seditionem et turbas. Synonyma. cf. Roth p. 7.

incipientes principis curas. Sic edd. vett. et recentt. e cod. MS. — Acidalius coniecit: *incipientis.* Frustra. *Principis curae* est vox aulica pro principatu. cf. Plin. Panegyr. c. 86. Hinc *incipientes pr. c.* significant initium principis, nec putes in *curarum* voce praecipuam esse vim aut notionem angustiarum.

tentare. Sic Rhenan. sqq. Ed. Beroald. *temptare*, quae scriptura frequens est in vett. libris.

meditentur. Sic edd. vett. et sqq. usque ad Ernestium, qui male dederat *meditarentur* ob praecedens *tenderent.* Veterem scripturam reduxit Wolfius. Recte. Nam coniunctivus imperfecti, quem grammatici latini vocant, exacte respondet optativo praesentis, qui est apud Graecos, atque exprimit id, quod fieri posse aliquis cogitat, an revera fiat, incertum relinquit; contra praesentis coniunctivus, qui et ipse eidem modo Graecorum par est, non pendet ex mera cogitatione, sed revera aliquid fieri posse dicit. Hinc Tacitus scribit: *Si tamen tenderent;* cogitatur enim fieri posse, ut tendant; an revera facturi sint, huic quidem formae non inest. Sin scripsisset: *si tamen tendant*, tum sensus esset; eos revera iam tendere. At per hanc formam totus locus absurdus evaderet. Ita tamen inf. 2, 5. *si mare intretur*, ibid. c. 12. *si concio vocetur.* Non enim Germanicus incertus est, an mare intrari, an concio vocari possit; sed rem cogitat, quae revera fieri possit. Aliud plane est: *si mare intraretur*, *si concio vocaretur.* Tum enim res exhibetur tanquam ex mera cogitatione pendens, verum, an fieri possit, incerta. Hinc quod Ernestius scripserat: *cur — meditarentur*, plane turbabat genuinam loci rationem atque medi-

nerent legatos, seque coram mandata darent. Adclamavere, ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent. Profecto iuvene modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa, quae per modestiam non obtinuissent.

XX. Interea manipuli ante coeptam seditionem Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt, direptisque proximis vicis ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur, praecipua in Aufidienum Rufum praefectum castrorum ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret? Quippe Rufus

tationem illam militum significabat tanquam non in facto positam, sed a Blaeso tantum cogitatam, quod nos dicimus: *warum sie — auf Gewalt sinnen sollten.* Sed revera iam meditabantur. Cap. 17. autem debebat scribi: *cur — obedirent? nisi — adirent?* Nam ibi ea est ratio, quam dixi esse optativi. Deinde vero *tolerent*, *accipiant.* Nam res ita revera fieri dicebantur. Fusius explicui hanc utriusque modi legem, quia et multi alii loci in Tacito interpretum dubitationibus sic erunt eximendi, ut inf. 14, 1. *Quodsi — posset*, *reddatur.* Simillima sunt apud Sallust. Catil. c. 34. *Si quid ab senatu petere vellent*, *ab armis discedant*, *Romam supplices proficiscantur.* Ibid. c. 41. *legatis praecepit*, *studium coniurationis vehementer simulent*, *ceteros adeant* etc. Quae hic in coniuntivo praes. ponuntur verba, significant, aliquid revera fieri posse ac debere (*sie sollen*); contra quae apud Nostrum mox sequuntur verba: *decernerent*, *darent*, indicant quam philosophi dicunt possibilitatem logicam (*sie könnten*).

sedecim. Edd. Beroald. et Rhen. sqq. *sexdecim.* Edd. I. Gronov. Oberlin. sqq. *sedecim.* cf. c. 17.

provenissent. cf. inf. 4, 12. *quia prima provenerant;* 14, 25. *quae facilius proveniebant.* Suet. Vespas. c. 5. *quidquid cogitaret volveretque animo proventurum.*

otium, cf. not. ad c. 2.

Cap. 20. *vexilla convellunt.* i. e. e solo evellunt, quippe redituri in castra, et *convellere* proprium de hac re est verbum. cf. Suet. Claud. c. 13.

dereptum. Sic cod. MS. test. Pichena, qui ita reposuit. Edd. priores praeeunte Beroaldo: *direptum.*

antiquam duramque. h. e. antiquam militiam duram, vel antiquam militiae duritiem, ἓν διὰ δ. cf. Roth p. 56.

diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, intentus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat.

XXI. Horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumiecta populabantur. Blaesus paucos, maxime praeda onustos, ad terrorem ceterorum adfici verberibus, claudi carcere iubet. (nam etiam tum legato a centurionibus et optimo quoque manipularium parebatur.) Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cuius manipularis erat, cohortem,

revocabat. Idem verbum de eadem re Suet. Oct. c. 24.

intentus. Cod. MS. *intus.* Quod vocabulum quum alienum ab hoc loco esse videretur, Beroald. coniecit: *invictus operis ac laboris;* Rhenan. *attentus operis ac labori;* Vertranius *invictus operis ac labore;* Lipsius *vetus operis ac laboris.* Hoc recepere Pichena, Gronov. sqq. et Wolfius unice veram esse hanc scripturam pronuntiavit. At vera esse nequit. Nam si Rufus dicitur *vetus op. ac l.*, id profecto nihil aliud significat, quam Rufum tolerasse opus et laborem. Tum vero, quod additur: *quia toleraverat*, plane otiosum est, nec quisquam potest immitior esse, quia toleravit, quam quia vetus est operis ac laboris. Inepta igitur tautologia inest Lipsii coniecturae. Egregie autem Heinsius emendat: *intentus operis ac laboris.* Permulta enim sunt in illo cod. exempla mediae syllabae omissae. cf. not. ad 2, 38. 41. 54. 63. 83. 3, 22. 69. 4, 2. 13. 51. De vocabulo *intentus* cf. Agr. c. 5. Sallust. Cat. c. 6. *at Romani domi militiaeque intenti;* ibid. c. 16. *Senatus nihil sane intentus.* Genitivum (*operis ac laboris*) eiusmodi vocabulis Noster more Graecorum addit, ut significet, quo respectu dicantur. cf. Matthiae gr. gr. §. 322. Nos dicimus *in Ansehung.* Sic *modicus voluptatum* An. 2, 73. *severitatis*, 6, 30. *ferox scelerum* 4, 12. et alia multa. Igitur *intentus operis ac laboris* est *intentus ad opus ac laborem*, quo milites exercebantur. Contra *intentus operi ac labori* est qui ipse strenue facit opus ac laborem sibi impositum.

operis ac laboris. Ut synonyma notat Roth. p. 7.

Cap. 21: *nam .... parebatur.* Uncos a Rhenano sqq. omissos reduxi ex ed. Beroald. Veram enim parenthesin haec efficiunt. Ceterum Wolfius locum pro suspecto habet putatque legendum: *ac centurionibus ab o. q. m. p.* Nusquam enim indicium esse, quando centuriones officium facere desierint. Immo omnia indicare, eos militibus invisiores fuisse, quam ut ad rebellantes transisse putari possint. At tamen omnia hic sunt sana. Blaesus paucos militum adfici verberibus, claudi carcere iubet, opera centurionum ad id usus, qui tum adhuc praesto erant ad exsequenda ducis iussa. Cap. 23. autem Noster refert, centurionem Lucillium interfectum, ceterosque mortis metu latebras quaesivisse. Num etiam tum legato a centurionibus parebatur? Minime vero. Officiis suis desertis sibi potius consulebant, non in favorem seditionis, sed anxii de sua salute.

centuriam quisque, cuius manipularis erat. Non ex centuria manipularis dicitur, sed e manipulo. Ne tamen propterea de mendo cogites. Nam *manipularis* pe-

legionem, eadem omnibus imminere clamitantes. simul probra in legatum cumulant, coelum ac deos obtestantur, nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam, metum et iras permoverent. Adcurritur ab universis, et carcere effracto solvunt vincula desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent.

XXII. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces, et Vibulenus quidam, gregarius miles, ante tribunal Blaesi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos et, quid pararet, intentos: „Vos quidem," inquit, „his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum „reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem „mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exer„citu de communibus commodis nocte proxima iugulavit „per gladiatores suos, quos in exitium militum habet at-

culiare nomen est vulgi militaris, nos *Gemeiner.* Sic c. 20. *Rufus diu manipularis;* 2, 55. *infimos manipularium.* Hinc *cuius manipularis erat* nihil aliud est quam *ad quam pertinebat ut manipularis.*

coelum ac deos. Ut synonyma notat Roth.

nihil reliqui faciunt. Sallust. Cat. c. 11. *nihil reliqui victis fecere.*

permoverent. Quoniam verbum non satis aptum esse videbatur, viri docti locum emendari voluerunt. Heins. *quo minus invidia, misericordia, metu et iris permoverent,* sc. commilitones. Bipont. *quo omnes invidia — ira perm.* Alius: *quo militibus invidiam* etc. At Wolf. recte monuit, *permoveri* adfectum non minus dici quam hominem. cf. inf. 3, 23. *Lepida — tantum misericordiae permovit, ut* etc. Iterum 16, 32. *quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat.* Quem locum in animo habuerit Ernestius, dum falso adfert Hist. 4, 27., Wolfius non repperit. Est vero An. 4, 57. Nil tamen huc facit. Deinde Ernestius, nunquam satis cum Tacito de temporum usu consentiens, pro *permoverent* e latinitatis lege ponendum esse *permoveant* censet. Sed cf. not. ad c. 19. Nimirum *permoveant* innuit milites invidiam etc. revera permovisse; *permoverent* dicit, milites voluisse permovere adfectus illos; an vere permoverint, siletur.

sibi iam miscent. Iam indicat, eo usque tum infamiae seditiosos processisse, ut vel desertores ac rerum capitalium damnatos sibi miscere non erubuerint; intendit igitur orationem, confirmat, ut graecum δή, *profecto, sane.* cf. Zeun. ad Viger. ed. Herm. p. 503. cf. not. ad Hist. 1, 15. *Et iam ego.* Frustra igitur Faërnus et Pichena emendabant: *sibi immiscent.*

Cap. 22. *gladiatores.* Quos alebat munerum exhibendorum causa et ad tempus terendum in statione ab urbanis voluptatibus remota. cf. An. 13, 31. Fortasse tamen non minus utiles fuere ad dominum custodiendum inter legiones inquietas et suspectae fidei. Nam frustra Vibulenus non dixerit: *quos in exitium militum habet atque armat.*

„que armat. Responde, Blaese, ubi cadaver abieceris? „ne hostes quidem sepultura invident. cum osculis, „cum lacrimis dolorem meum implevero: me quoque „trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed „quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant."

XXIII. Incendebat haec fletu et pectus atque os manibus verberans: mox disiectis, quorum per humeros sustinebatur, praeceps et singulorum pedibus advolutus tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars

abieceris. Cod. MS. test. Iac. Gronovio *abegeris*, quod non displicebat illi viro. Muscae, curae aliaque molesta *abiguntur*; an et cadaver iugulati, dubito. Certius retinebimus vulgatum, quod vett. iam inest editionibus. cf. inf. c. 29. *corpora extra vallum abiecta.* Etiam apud Plin. Panegyr. c. 76, 5. inter interpretes lis est de verbo *abigere*, quod Livineius mutat in *abiicere*, obnitente Schweighäusero. Verba sunt: *Fortasse imperator in senatu ad reverentiam eius componebatur; ceterum egressus statim se recipiebat in principem, omniaque consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat.* Ceterum *ubi abieceris* invidiosius dictum est quam *quo abieceris.* Hac enim formula simpliciter quaeritur, ubi cadaver iaceat; illa magis exhibetur turpe illud et indignum, quod est in verbo *abiicere.* Similiter nos distinguimus: *wohin du geworfen* et *wo du hingeworfen hast.* Verum vidit I. Fr. Gronovius, qui explicat: *ubi feceris, ut foede iaceat.* Sic Suet. Ner. c. 48. *abiecti in via cadaveris;* Galb. c. 20. *eo loco, ubi iussu Galbae animadversum in patronum suum fuerat, abiecit.*

sepultura invident. Sic cod. MS. Beroald. emendavit: *sepulturam.* Dein auctore Pichena edidere *sepulturae.* Ernestius revocavit *sepulturam.* Wolfius reposuit *sepultura.* Res ita se habet. *Invidere* coniungitur cum dativo, ut: *Nemini invideas; fortunae potentium ne invideas.* Iam si dativus est personae, id quod illi invidetur accusativo enuntiatur, ut: *nemini divitias invideas.* Hic est usus optimorum scriptorum. At postea invaluit usus verbi ad modum Graecorum accommodatus, qui φθονεῖν iungunt genitivo. cf. Dio 51, 12. μηδὲ μοὶ τῆς σὺν αὐτῷ ταφῆς φθονήσῃς. Eum genitivum latini per ablativum exprimunt. Plin. epp. 1, 10. *Invideo aliis bono, quo ipse careo;* id. 3, 8. *huic pietatis titulis invidere.* Tacit. Germ. c. 33. *Nam ne spectaculo quidem proelii invidere.*

lacrimis. De scriptura cf. not. ad c. 5.

hi sepeliant. Cod. MS. edd. Ber. Rhen. sqq. *ii sepeliant.* Mureto et Lipsio suadentibus Pichena recepit *hi sepeliant*, ut ita digito monstrans orator cogitetur. Sic inf. 4, 8. *Hi vobis Nero et Druse parentum loco.* Utrumque pronomen permutari in MSS. saepius videbimus, ut An. 13, 1. 21. 14, 15. 15, 59. Hist. 3, 82. Germ. c. 25. Ed. Spir. plane ignorat pronomen *ii* et *iis*, atque constanter scribit *hi, his.*

Cap. 23. *Incendebat haec.* c. 69. *accendebat haec.* 2, 13. *incendit ea contumelia legionum iras.* 2, 82. *hos vulgi sermones audita mors adeo incendit.*

militum gladiatores, qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum corpus effunderentur. ac ni propere neque corpus ullum reperiri et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem neque illi fuisse unquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen ac praefectum castrorum extrusere: sarcinae fugientium direptae: et centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum „Cedo alteram" indiderant, quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. Quin ipsae inter se legiones octava et quinta decuma ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur, ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset.

XXIV. Haec audita quanquam abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. additur magna pars praetoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant: simul praetorii praefectus Aelius

aberant. Non *abfuissent.* Nam sententia est: revera haud multum ab exitio aberant, et exitio ille occubuisset, ni etc. Mox: *parabant, ni — interiecisset.* c. 35. *deferebat in pectus, ni — attinuissent.* cf. Ramshorn gr. lat. §. 190.

cedo alteram. De hoc verbo cf. Voss. de Anal. III, c. 40. et Donatus ad Ter. Andr. 4, 5, 24. etiam Schwabe ad Phaedr. 5, 2, 6.

Sirpicum. Lipsius id cognomentum derivat a *sirpando*, quod sit, prisca voce, ligare, nodoque constringere; alii putant, scirpis illum usum esse pro vite. Nihil tamen certi de vocabuli ratione hucusque prolatum est. Freinsh. iudicat, cognomen paternum fuisse ut ap. Horat. ep. 1, 13.

morti deposcit. Alias *ad mortem.* cf. Suet. Tib. c. 6. Sed vid. not. ad c. 19. sub v. *pectori adcreverat.*

Cap. 24. *nullis s. certis mandatis, ex re consulturum.* Edd. Beroald. et Rhenan. virgulam ante *ex* omittunt. Melius sane ponitur. Male edd. recentt. ponunt (;) vel (:). Bekkerus, ut nos.

qui tum . . . aderant. August. post cladem Varian. aboleverat. Suet. Oct. c. 49.

Seianus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuveni et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Druso propinquanti quasi per officium obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi et vultu, quanquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores.

XXV. Postquam vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent: ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens. illi, quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare: murmur incertum: atrox clamor et repente quies: diversis animorum motibus pavebant terrebantque. Tan-

Straboni patri suo. cf. supr. c. 7.

ostentator. h. e. cui demandatum, ut ostenderet pericula, poenas pervicacibus; praemia ad meliora redituris. Amat Noster brevitatem, quam adsequitur positis substantivis pro verborum formis. cf. infr. 2, 46. *pacis firmator.* Liv. 1, 59. *castigator lacrimarum.*

neque insignibus fulgentes. Insignia sunt ornamenta et indicia, ex quibus cognoscitur alicuius dignitas, ordo, gradus, vel quis ab aliis distinguitur. cf. Tac. Germ. c. 43. extr. Insignia regum corona et sceptra; consulum fasces, toga praetexta, sella curulis; legionum aquilae. Eas diebus laetis inungi et ornari solitas prodit Plin. 13, 4. Claudian. 10, 187. Hinc infr. 15, 29. *agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque.* Iam Lipsius in excurs. ad h. l. scribit, nihil aliud esse, quod Noster hic appellet insignium fulgorem. Latius tamen patere insignium vocem censeo. Nam inter militum insignia referenda etiam sunt galea et cassis cum pennis et apice plumato, et chlamys et cingulum et scutum clipeusque et omnis generis arma. Sic Hist. 1, 82. *abiecta militiae insignia* profecto non sunt aquilae et signa. Vide et Caes. B. G. 2, 21. Noster Hist. 1, 38. 4, 29. 46. Hinc *insignia* hic quoque de omnis generis ornamentis armisque erunt capienda, idque etiam intelligitur ex opposito: *sed inluvie deformi.* (Hist. 4, 46. *inluvie deformes.*)

Cap. 25. *introiit.* Sic edd. Lips. sqq. *introit* edd. Beroald. sqq. cum Lipsii prima.

quotiens. Ed. Beroald. *quoties* edd. Rhenan sqq. Illud recte praetulere Pichena sqq.; consentitque in hoc cod. Flor. litt. Lang. scr.

rettulerant. Sic ed. Beroald. et nuper Bekker. *retulerant* edd. Rhen. sqq. Etiam cod. Flor. litt. L. scr. sequitur duplicationem. Sententiae similes sunt apud Lucan. 5, 259. Vell. 2, 81.

repente. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Lipsius malebat *repens,* ob locum Silii 10, 396. *Clamor saepe repens et saepe silentio fixis in tellurem oculis.* Rupertius recepit, ut ipse opinatur, e MS. et antt. libris (?).

pavebant terrebantque. c. 29. *terrere ni paveant.*

dem interrupto tumultu litteras patris recitat, in quis perscriptum erat: Praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset: ubi primum a luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum: misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quae statim tribui possent: cetera senatui servanda, quem neque gratiae neque severitatis expertem haberi par esset.

XXVI. Responsum est a concione, mandata Clementi centurioni, quae perferret. Is orditur de missione a sedecim annis: de praemiis finitae militiae: ut denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur. Ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur: Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse. numquamne nisi ad se filios familiarum venturos? novum id plane, quod imperator sola militis commoda ad senatum reiiciat. eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut

Cap. 26. *perferret.* Ed. Beroald. *perferret.* Ed. Rhenan. sqq. *praeferret.* Illud Pichena reposuit e cod. MS. et frustra Broterius emendavit *proferret.* cf. sup. c. 23. *perferendis mandatis idoneus.* c. 57. *pertulit mandata.* Germ. c. 45. *informe perfertur.*

sedecim. cf. not. ad c. 17.

numquamne nisi ad se f. f. v. Sic MS. et vett. edd.. Veriorem contextum e transpositione verborum oriturum censebat Lipsius, eoque auctore dein Pich. sqq. edidere: *nunquamne ad se nisi f. f. v.*, sine causa, ut Wolfio videbatur. Posse enim, ait, *nunquam nisi* ad totam enuntiationem referri, ut interdum *nunquam non.* Hinc Weikertus reposuit veterem scripturam; Lünemannus tamen et Bekkerus Lipsii emendationem retinuere. Et Wolfii quidem rationem esse vanam, non est quod moneam. Nihil tamen impedit, quo minus cod. MSti verba restituamus. Queruntur legiones Pannonicae, quod ad se tantum filii familiarum veniant desideria legionum frustraturi, neque ad alios etiam exercitus. Augustus enim ad Pannonicas legiones saepius miserat Tiberium. cf. Suet. Tib. c. 9. 16. 21. Dio 54, 31. Iverant sane ad alios etiam exercitus filii familiarum; sed more querentium legiones Pannonicae prae aliis se gravatas sentiebant. Hinc volunt: alibi iam exercerent artes suas; se satis expertos esse. Haec vera contumelia et cavillatio, et optime convenit verbis praecedentibus: *Tiberium — rettulisse.*

proelia indicantur. an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse?

XXVII. Postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum, maxime infensi Cn. Lentulo, quod is, ante alios aetate et gloria belli, firmare Drusum credebatur et illa militiae flagitia primus aspernari. Nec multo post digredientem cum Caesare ac provisu periculi hiberna castra repetentem circumsistunt rogitantes, quo pergeret? ad imperatorem an ad patres, ut illic quoque commodis legionum adversaretur? Simul ingruunt, saxa iaciunt.

Cap. 27. *occurreret.* Muretus et Acidalius *occurrerat* legendum esse censuerant. Wolfius in hoc verbo non semper observari illam temporis ἀκρίβειαν scribit. Sed non puto tempus Mureto et Acidalio displicuisse, immo modum. Indicativum volunt. Errant vero. Nam hic quoque coni. imperf. exprimit Graecorum optativum, qui hic requiritur ut in re praeterita, neque tamen in certo quodam homine aut definito quodam tempore facta, sed saepius et a quocunque iterata. Exempla sunt Herodot. 1, 29. *ἀπικνέονται ἐς Σάρδις — πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταὶ, ὡς ἕκαστος αὐτέων ἀπικνέοιτο.* Thucyd. 2, 10. *ἐπειδὴ δὲ ἑκάστοις ἑτοιμα γίγνοιτο κατὰ τὸν χρόνον τὸν εἰρημένον, ξυνῄεσαν τὰ δύο μέρη ἀπὸ πόλεως ἑκάστης ἐς τὸν ἰσθμόν.* Noster infr. 2, 2. *quotiens per urbes incederet.*

manus intentantes. Weikertus interpretatur: *Sie legten Hand an, packten sie.* Sane discordiae causa satis idonea! Accipe potius de manibus ad verbera porrectis, quod est minitantium.

causam discordiae et initium. Mirum est, quod Ernestius dicit, durum esse hunc locum, quum eadem structura sexcenties apud Nostrum et optimos Graecorum scriptores inveniatur. Habes enim hic adpositionem eius generis, de quo agunt Buttmann. Gr. Gr. §. 118. Anm. 4. Matth. Gr. Gr. §. 426. 1. Ramshorn. Gr. Lat. p. 269. 6.). Referuntur verba adposita ad totam, quae praecedit, sententiam, scilicet quod manus intentarent. Exempla sunt c. 3. *subsidia dominationis*; c. 49. *piaculum furoris*; 3, 67. *vinclum et necessitas silendi*; 2, 64. *causas bello*; 3, 27. *finis aequi iuris*; Hist. 1, 44. *munimentum . . . ultionem.* Frustra igitur Ernestius mendi suspicionem contra hunc locum movit; frustra etiam Wagner in observv. crit. ad Tacit. (Seebod. bibl. crit. 1820. p. 852.) per ellipsin vel syllepsin haec explicare studuit; frustra Rupertius suspicatus est: *causa ea discordiae.*

ante alios aetate et gloria belli. Similiter Graeci πρὸ ἄλλων, omisso participio ὤν. cf. Noster Hist. 5, 12. *muri labore et opere ante alios.* Sunt, qui male coniungant: *ante alios — firmare.* Vid. et not. ad 13, 27 et 54.

provisu periculi. h. e. ut caveret periculum, quod imminebat. Vulgo interpretantur, quasi scriptum esset: *quia periculum praevidebat.* cf. interpretes ad Suet. Oct. c. 10.

iamque lapidis ictu cruentus et exitii certus adcursu multitudinis, quae cum Druso advenerat, protectus est.

XXVIII. Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente coelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit ac suis laboribus defectionem sideris

Cap. 28. *luna claro repente coelo.* In cod. MS. ferunt legi: *luna clamore pena coelo*, quae sunt nihili. Beroald. dedit: *clariore pene coelo*, ut e MS. Sic et Rhenan. Lipsius repperit, quae hodie vulgamus. Salinerius volebat: *clariore plena coelo*, ut comparativum accipias pro positivo; Nerius in Annal. 1, 4. *clarare plena coelo*, quod placet I. Gronovio. *Clarorem* accipiunt de lumine solis, quod luna recipit. Dio l. l. rem brevius dicit: τῆς δὲ δὴ σελήνης ἐκλιπούσης. Lipsii emendationem commendant, quae mox sequuntur: *postquam ortae nubes offecere visui.* Difficillimum sane erit meliora proferre. Quanquam non absurdum in hoc contextu vocabulum *plena* esse videtur; constat enim non nisi plenilunii die defectionem lunae accidere posse. Coniiciebam: *luna clara et orbe plena.* Sed non magni facio coniecturam. Ceterum eclipsis illa secundum Dionys. Petavium de doctrina temporum 11, 6. sexta post Augusti obitum hebdomade die 26. Septembr. an. p. Chr. n. 14. evenit. Defectiones solis et lunae inter prodigia esse habitas multis exemplis docet Freinshem. ad Curt. 4, 10. cf. et. Frontin. Strateg. 1, 12. — Dio 60, 26. exponit rationes causasque defectionum.

languescere. h. e. labore confici.

ac suis. Ut huius loci structura constet, Freinshem. Wopkens. Ricklefs delent *ac;* Rupertius cum Heinsio pro *ac* vult *hanc;* Herrmannus in nott. ad h. l. dat *prospere aeque* pro *prosperque*, quod mox sequitur. Wolfio commodissima videtur Wopkensii emendatio: *accipiebat*, *suis lab.* Sed omni mutatione supersedebimus, si recte accipitur copula *que* in *prospereque.* Multa enim sunt indicia, Tacito eam poni pro *etiam* vel *quoque.* Sic cod. MS. infr. c. 65. *et eodemque.* Delevere *que.* Sed si accipias pro *quoque* positum, ut intendat, bene se habet codicis MS. ratio. Vide not. ibi. Porro An. 4, 74. cod. MS. habet: *donec idque vetitum.* Mutant in *id quoque.* An. 6, 19. *aurariasque.* Delent *que.* Si accipias pro *quoque*, stare optime potest. Ibid. c. 33. *dat Parthorumque copias.* Mutant in *datque Parthorum c.* Hist. 3, 48. *urbemque* habent codd. MSS. Mutant in *urbem quoque.* Agr. c. 17. *locorumque* mutant in *locorum quoque.* Vix credibile est, totiens et tam constanter peccavisse librarios in hac particula; immo rectius putabis liberius illa usum Tacitum modo Graecorum, qui plane sic usurpant frequentantque encliticam τέ. Et ne dubius quidem est hic usus; nam exempla An. 2, 37. *censusque*, et c. 52. *compulerantque;* 14, 28. *auxitque* satis eum probant. Concedit et Ernestius ad Suet. Ner. 38. d. et Ramsborn. in Gr. Lat. p. 524. Denique indubia eiusdem usus exempla supersunt in *hodieque*, *quisque*, *quoque.* Sic et nostro loco *que* in *prospereque* nullo modo potest accipi pro vulgari copula, ut sit *und*, quia praecedit *ac;* egregrie autem omnia procedunt, si concedis voculam *que* intendere, adfirmare, ut *quoque*, *etiam.* Tum *ac* coniungit utrumque membrum: *rationis ignarus* et

adsimulans, prospereque cessura, quae pergerent, si

suis laboribus def. s. adsimulans; in *prospereque cessura* eo respicitur, quod ante dictum est: *omen praesentium accepit*, ut intelligas militem, cum omen praesentium illud acciperet, tum et opinatum esse, *prospere cessura* etc. Scilicet e verbo *accepit* per syllepsin ad alterum membrum intelligitur *opinatus est*, *putavit* vel simile quid. Omnis difficultas inde oritur, quod nos duabus particulis utimur, *und* et *auch*, ut exprimatur latinorum *et* vel *que*. Herrmanni coniectura: *prospere aeque*, ob pessimum hiatum vix admitti potest. Male etiam se habet Wopkensii emendatio: *accipiebat*, *suis* etc. Nam primum aoristo potius quam imperfecto hic locus est; tum etiam valde languet membrum alterum, et meliorem haud dubie Tacitus disponendi loci rationem iniisset, ut scriberet: *rationis ignarus ac suis lab. d. s. adsimulans omen praes. accepit prospereque* etc. Ceterum cod. MS. test. lac. Gronovio pro *ac suis* dat *a suis*, vitiose. — Mira nuper voluptate adfectus sum, quum legerem quae doctissimus Roth (*Neues Archiv f. Philol. u. Paedagog.* Mai 1829. n. 22.) de vocula *que* disputavit. Nam is mecum plane consentit, meamque opinionem dudum in schedis ad h. l. notatam egregie confirmavit. — Kiessling. anacoluthon loco inesse putat et structuram inceptam abrumpi post *redderetur*.

adsimulans. Sic edd. Beroald. Rhenan. — Seqq. edd. fluctuant inter *adsimulans* et *adsimilans*. Utra scriptura sit praeferenda, his adhuc est sub iudice. cf. Walch. ad Agr. c. 10. Alii *adsimulare* ut unice veram formam defendunt. cf. Burmann. ad Ovid. Met. 3, 158. et qui ibi laudantur viri docti. Spalding ad Quintil. 7, 10, 9. Oudendorp. ad Suet. Tib. c. 57. et quos habet Passow ad Germ. c. 9. Alii utramque formam admittunt promiscue. Alii denique distinguunt inter *adsimulare* et *adsimilare*, ut alteri tribuant comparandi vim, alteri similitudinis significationem. cf. Hertel ad Agr. c. 10. Passow. ad Germ. c. 9. Cod. Flor. litt. Lang. scr. sane habet *adsimilatis* An. 16, 17. 11, 11. quum alibi praeferat *adsimulare*, ut An. 15, 39. Iam si hunc locum ex illa lege iudices, scribendum erit *adsimulans*, ut 15, 39. Sed idem ille cod. Flor. habet etiam *similans* pro *simulans* An. 13, 46.

quae pergerent. Hoc verbum quia non satis idoneum esse videbatur, varias interpretes proposuere emendationes. Rhenanus *quae gererent*; Pichena *quae peragerent*. Nam in cod. MS. invenerat primum *r* puncto superius notatum et in margine adpositum *a*. I. Fr. Gronovius *quae urgerent*; Heinsius *quo pergerent*. Davis. ad Cic. Leg. lib. 2. extr. *quae agerent*. Ernestius et Wolfius defenderunt vulgatum, quibus accedo. Nam observasse mihi videor *pergere* apud Tacitum synonymum esse verbo graeco σπεύδειν. Namque σπεύδομαι εἴς τι Tacito est *pergo ad* vel *in*. cf. Herodian. 5, 3, 1. σπευδούσης αὐτῆς εἰς τὰ βασίλεια. Tac. An. 1, 40. *ad superiorem exercitum pergeret*; c. 40. *pergere ad Treveros*; 5, 10. *pergere ad paternos exercitus* et alibi. Σπεύδειν sequente infinitivo Tacito et idem est *pergere* cum inf. cf. Herodian. 5, 8, 15. σπεύδειν ἐπιστῆναι; 4, 11, 7. σπεύδων ἕκαστος ἰδεῖν. Tac. Hist. 1, 40. *trucidare pergerent*; An. 1, 51. *pergerent*, *properarent culpam in decus vertere*. Quo in loco synonymum, quod additur, *properarent* lucis aliquid fundit de significatu verbi *pergere*. Iam haud temere puto *pergere* etiam cum accusativo poni ut σπεύδειν, intellecto aliquo infinitivo, ut sit operam dare alicui rei, tendere ad aliquid, properare aliquid. cf. Herodot. 1, 206. παῦσαι σπεύδων, τὰ σπεύδεις. Euripid. Phoen. 591. δύο κακὰ σπεύδεις. Sophoc. El. 251. τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα καὶ

fulgor et claritudo deae redderetur. Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere: prout splendidior obscuriorve, laetari aut maerere: et postquam ortae nubes offecere visui creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari deos lamentantur. Utendum inclinatione ea Caesar et, quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus circumiri tentoria iubet. Accitur centurio Clemens et si alii

τοὐμὸν αὐτῆς, plane ut Noster: *quae pergerent.* Ceterum nota optativum, qui indicat non quae nunc agant, sed quae porro peragenda in animo habebant; non *pergant*, sed *pergerent.*

fulgor et claritudo. ut synonyma notat Roth p. 7.

aeris sono. cf. Iuvenal. 6, 441. Liv. 26, 5.

perculsae mentes. Hic quoque Ernest. putabat legendum esse *percussae.* Sed vid. not. ad c. 12.

aversari. Fluctuant edd. inter *aversari*, quod est apud Rhenan. sqq. et nuper Lünemann. et Bekker., et *adversari*, quod habent Beroald. et nuper Weikert et Weisse. Tacitus utroque verbo utitur. *Aversari* est male adfici aliqua re, aegre ferre, nolle aliquid, ut *sermonem* alicuius An. 6, 26. *parricidam* Hist. 3, 25. *adulationes* Suet. Tib. c. 27. *Adversari* significat adversarium esse alicuius hominis vel rei. Duplici autem hoc verbum utitur constructione. Ponitur cum dativo, ut c. 27. *commodis legionum*; 2. 67. *paternis consiliis*; 4, 37. *Asiae civitatibus.* Is dativus exprimit subiectum, cuius aliquis est adversarius, ut persona vel res in dativo posita et is, qui adversatur, invicem sint cogitandi adversi. Ponitur vero etiam cum accusativo, ut Hist. 1, 1. *ambitionem scriptoris*; ibid. c. 38. *adoptionem*; ib. 4, 84. *regem.* Tum accusativus indicat obiectum, circa quod aliquis est adversarius h. e. eam rem vel personam, quam impedire studet ut adversarius. Sensus saepissime ex utraque structura eodem redit. Sunt verba haud pauca, quae eadem ratione utuntur. cf. Ramshorn. gr. lat. §. 122. Iam *sua facinora adversari deos* minime ineptum esse vides; nam cur dii non dicantur impedire facinora rebellantium perinde atque *adoptionem* Hist. 1, 38. nulla est causa. At non minus aptum est *aversari*, quum facinorum voci insit notio atrocitatis, flagitii. Buhle in libello, quem scripsit contra Ioannem Hill de stilo Taciti p. 52. et ipse praeferendum censet *aversari*; non tamen negat Tacito *adversari* coniungi cum accus. Putat autem eam loquendi formulam cum aliis, ut *adipisci* c. genit. An. 6, 45. *praesidere* c. dat. et accus. An. 3, 64 12, 29. e vernaculo sermone tum temporis florente contraxisse Tacitum, dum iuvenis negotia tractaret civilia causasque peroraret publice; nec eas correxisse, sive quod non haberet correctionis causam satis gravem, sive quod ex proposito indulgeret gratae negligentiae in minutiis grammaticis. Quae tamen opinio non satis digna esse videtur viro, qui Taciti stilum defendendum sumpserit. Minime autem a vulgo habet Noster, quae ipsi sunt propria.

et si alii. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. *et si qui alii*, edd. Lips. Gruter. Veterem script. reduxit Pichena. Wopkens. vult *et qui alii* vel *et si qui.* Frustra. Non enim omnes bonis artibus gratos in vulgus tum accitos

bonis artibus grati in vulgus: ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. „Quousque filium imperatoris obsidebimus? „quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacra-„mentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus sti-„pendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro „Neronibus et Drusis imperium populi Romani capessent? „quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad poeni-„tentiam sumus? Tarda sunt, quae in commune expo-„stulantur: privatam gratiam statim mereare, statim re-„cipias." Commotis per haec mentibus et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas: signa unum in locum principio seditionis congregata suas in sedes referunt.

XXIX. Drusus orto die et vocata concione, quanquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incusat priora, probat praesentia: negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.

puta; immo quosdam. Weissius tamen nuper edidit *et si qui alii*.

ii vigiliis. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. *in vigiliis.* Pro *in* Lipsius in marg. posuerat *ii;* recepit Pichena sqq. Weikert dedit *hi*, haud inepte. Nam *ii* et *hi* confunduntur in MSS. An. 13, 1. 21. 14, 15. 15, 59 Hist. 3, 82. Germ. c. 25. Agr. c. 34. *ii* et *in* Hist. 3, 82. Quanquam *se inserere* etiam absolute dictum possis accipere, ut intelligas *colloquiis, sermonibus militum; in* tum indicat locum, ubi se inseruerint. Sic Noster An. 14, 48. *in hoc ordine interfui.* Cic. ad Att. 3, 20. *in universa salute inerunt omnia.* Sic et Kiessling.

obsidebimus. cf. c. 25. *postquam vallum . . . . iubent.* Dio l. l. αὐτὸν (Drusum) τῆς νυκτὸς περιεφρούρησαν, μὴ διαφύγῃ.

ut novissimi in culpam. Ad meliores id dictum censet Lipsius; Pichena, arte quadam haec simulari; Freinshemius, intelligi tirones iunioresque, quippe qui stationes, vigilias, custodias egerint. Nam a veteranis seditionem coepisse, qui dein ceteros traxerint. Verum est; quanquam aliquid simulationis adspersum haud negaverim.

Cap. 29. *nobilitate ingenita.* Etenim nobilitas addit fiduciam, auctoritatem et conscientiam praestantiae, quae illi fuere pro facundia. cf. 15, 26. *multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat.* Grut. Suspic. crit. l. 10. §. XVI. in Misc. Nov. Lips. V. 3. p. 518. suspicatur *vocalitate ingenita;* quae tamen coniectura vulgatum loco non detrudet.

exciperet. Ernestius incusat imperfectum, tanquam a librario Langobardico vel germanissante profectum; corrigit *excipiat.* Neque tamen verior hic viri opinio, quam ad c. 19. ubi *meditentur* mutaverat in *meditarentur. Exciperet*

orantibus rursum idem Blaesus et L. Aponius, eques Romanus e cohorte Drusi, Iustusque Catonius, primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii opperiendos legatos atque interim comitate permulcendum militem censerent: alii fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum superstitio urgeat, adiiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus. Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici iubet. Tradunt plerique intra tabernaculum ducis obrutos: alii corpora extra vallum abiecta ostentui.

XXX. Tum, ut quisque praecipuus turbator, conquisiti: et pars, extra castra palantes, a centurionibus aut praetoriarum cohortium militibus caesi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas praematura hiems, imbribus continuis adeoque saevis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda

est optativus et rectissime ponitur. Drusus enim non certus est, neque pro certo vult adfirmare, Tiberium placatum legionum preces excepturum esse, sed scripturus est, ut, si forte vellet, placatus ille exciperet. E sola Drusi cogitatione res pendet. Sic inter Graecos Homer. Odyss. β, 52. *μνηστῆρες – πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀπεῤῥίγασι νέεσθαι Ἰκαρίου, ὥς κ᾽ αὐτὸς ἐεδνώσαιτο θύγατρα, δοίη δ᾽ ᾧ κ᾽ ἐθέλοι καὶ οἱ κεχαρισμένος ἔλθοι.* Thucyd. 1, 109. *βασιλεὺς πέμπει ἐς Λακεδαίμονα Μεγάβαζον – ὅπως – ἀπ᾽ Αἰγύπτου ἀπαγάγοι Ἀθηναίους.*

orantibus. Sic. c. 5. *Haec atque talia agitantibus*; 14, 57. *criminantibus*; 6, 37. *sacrificantibus*; Hist. 4, 17. *vereque reputantibus*; Agr. c. 18. *aestimantibus.* Suet. Claud. c. 9. *absentibus.*

e cohorte Drusi. Intell. cohortem amicorum et comitum. cf. Ernest. in excurs. XV. ad Suet. *comites peregrinationum expeditionumque* Suet. Tib. c. 46. *quem – in cohortem suam transtulerat.* Tac. An. 6, 9.

ex duce metus. Infr. 2, 38. *ex se metus*; 11, 20. *metus ex imperatore*; Agr. c. 16. *ex legato timor.*

promptum ad asperiora ingenium Dr. cf. c. 76. *sanguine nimis gaudens.* Dio 57, 13. 14.

vocatos ... tradidere. Dio 57, 4. *οἵ τε θρασύτατοι ὑπό τε τοῦ Δρούσου καὶ ἐν αὐτῇ γε τῇ σκηνῇ αὐτοῦ, μεταπεμφθέντες ὡς καὶ ἐπ᾽ ἄλλο τι, καὶ ὑπὸ τῶν συνακολουθησάντων αὐτῷ, ἄλλοι κατ᾽ ἄλλον τρόπον ἐφθάρησαν· καὶ οἱ λοιποὶ κατέστησαν, ὥστε καὶ πρὸς τιμωρίαν τινὰς ὡς καὶ αἰτίους τῆς στάσεως γεγονότας ἐκδοῦναι.*

Cap. 30. *auxerat* etc. Dio l. l. *κἂν τούτῳ* (legatis ad Tib. missis) *χειμῶνος μεγάλου γενομένου, καὶ δι᾽ αὐτὸν ἐς τὰ οἰκεῖα ἑκάστων*

raptabantur. durabat et formido coelestis irae, nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum, quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo suis quisque hibernis redderentur. primum octava, dein quintadecuma legio rediere. Nonanus opperiendas Tiberii epistolas clamitaverat: mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit. et Drusus non exspectato legatorum regressu, quia praesentia satis consederant, in urbem rediit.

XXXI. Iisdem ferme diebus, iisdem causis Germanicae legiones turbatae, quanto plures, tanto violentius, et magna spe fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus vi sua cuncta tracturis. Duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub C. Silio legato: inferiorem A. Caecina curabat. regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienae speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unaetvicesimanis quintanis-

ἀναχωρησάντων, οἵ τε θρασύτατοι κ. τ. λ.

epistolas. MS. ed. Beroald. *epistulas*; sic et c. 36. Edd. Rhenan. sqq. *epistolas*. Vid. not. ad 2, 77.

consederant. Ed. Beroald. *considerant*, ut a verbo *considĕre*. Sed An. 2, 47. est *sedisse* a *sidere*. Edd. Rhen. Ald. *consyderat*, ut *praesentia* sit in num. sing. In castigatt. Rh. coniicit legendum *composuerat* vel *consederant*. Edd. Lips. et recentt. omnes *consederant*.

Cap. 31. *Germanicae legiones turbatae*. Dio 57, 5. Vell. 2, 125. Suet. Tib. c. 25.

quanto plures. Supr. c. 3. *octo apud Rhenum legionibus imposuit*.

tracturis. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. *tracturus*. Wolfius sqq. *tracturis*, e Freinshemii coniectura loco haud indigna. Pellicerius apud Broterium: *in sua cuncta tracturus*, merito explosus a Wolfio. Vetus tamen forma nuper defensorem est nacta in Seebod. bibl. crit. 1827. nr. 10. p. 1082 sqq. Explicat: „vi sua (i. e. in legionibus quidem sita; sed ad Germanicum translata) cuncta ad suas partes tracturus, hac ratione dominationem occupaturus." Sed quidquid moneat, verbum *trahere* aptius est de legionibus, et Kiesslingius nimis sedulo veterem scripturam revocasse videtur.

orto ab unaetvicesimanis. Cod. MS. *unetvicesimanis*, quae scriptura Beroaldum decepit, ut ederet *undevicesimanis*. Sic et Rhenan. sqq. Mendum, quod Lipsius animadverterat ex Antonini itinerario, Pichena correxit, codicis

que initio et tractis prima quoque ac vicesima legionibus. nam iisdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur per otium aut levia munia. Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos: venisse tempus, quo veterani maturam missionem, iuvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent saevitiamque centurionum ulciscerentur. Non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rem publicam, in suum cognomentum adscisci imperatores.

XXXII. Nec legatus obviam ibat: quippe plurium vecordia constantiam exemerat. repente lymphati

MS. scriptura reposita. *Una et vices.* Broterius induxit, quia sic habent MSS. in Historiarum libris, ut H. 2, 43. et 4, 78.

nuper acto in urbe delectu. Dio 56, 23. et 57, 5. *καὶ γὰρ ἐκ τοῦ ἀστικοῦ ὄχλου, οὓς ὁ Αὔγουστος μετὰ τὴν τοῦ Οὐάρου συμφορὰν προςκατέλεξεν, οἱ πλείους αὐτῶν ἦσαν.* Suet. Oct. c. 25.

implere. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Wolfius, damnata vetere lectione, recepit Acidalii coniecturam *impellere*, et sic praeter Rupertium recentiores omnes. Scilicet c. 16. Noster in simili re idem verbum posuit. Sed ibi *impellere* scripsit ob vocem *ambigentes*; nam ambigentes impelluntur. Hic autem sermo est de consiliis, studiis, sensibus, quibus rudes animi sint imbuti, ut *venisse tempus* etc. Hinc aptius est *implere*, gr. *ἐμπλήθειν*. cf. Sil. 1, 105. *attollitque animos hortando et talibus implendo;* id. 5, 150. 8, 29. *hortatibus implet.* Val. Flacc. 2, 126. *Hanc superincendit Venus atque his vocibus implet.* cf. Doederlein in Seebod. *Neues Archiv.* I, 1. p. 78.

legiones Percennius. Virgulam, quam edd. med. aetatis habent ante voc. *Percennius*, bene sustulit Wolfius, nec vett. edd. eam distinctionem agnoscunt.

ora vocesque. Ut synonyma notat Roth p. 7. At sensus potius est: *multa ora, ex quibus voces prodirent* h. e. non unius, sed multorum voces seditiosae audiebantur. Est igitur potius ἓν διὰ δυοῖν.

in suum cognomentum adscisci imperatores. Scil. Drusus, frater Tiberii, et Drusi filius, Germanicus uterque dictus. Dio 55, 2. *Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἁψῖδος κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών.* Suet. Cal. c. 1. eadem refert. Et ipse Tiberius nomen *Germanici* usurpavit ἐκ τῶν ὑπὸ τοῦ Γερμανικοῦ πραχθέντων. Perperam Lipsius corrigebat: *imperaturos*, ut intelligeres, qui in spe principatus. Immo vocabulum *imperatores* sensu antiquo accipiendum est. Formulam *in alicuius cognomentum adscisci,* quam miratur Ernestius, Noster frequentat. cf. infr. 2, 60. 3, 30.

destrictis gladiis in centuriones invadunt. [ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi principium] prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent. Tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros

Cap. 32. *destrictis gl.* Ex emendatione I. Fr. Gronovii. Edd. priores et cod. MS. *districtis.* Sic et c. 44. 14, 8. et Hist. 4, 50. cf. Horat. Od. 3, 1, 17. Eadem varietas et alibi invenitur, ut Suet. Cal. c. 56. Vide Schwarz ad Plin. Panegyr. c. 37, 2. et 94, 2. qui monet, *distringere* esse in diversas partes distrahere. Cod. Flor. litt. Langob. scr. tuetur scripturam *destringere.* cf. not. ad 14, 8.

in centuriones invadunt. Invadere in est impetum facere, inrumpere; tum verbum absolute ponitur. cf. c. 36. *invasurus hostis;* c. 67. *in hostem invaderent;* Plin. epp. 6, 20. *invasit in cubiculum meum mater. Invadere* cum accusativo sine praepos. positum significat, per vim potiri aliquo. Supr. c. 10. *invaserit fasces et ius praetoris;* c. 61. *cupido Caesarem invadit;* Plin. epp. 9, 30. *ea invasit homines habendi cupido.*

ea vetustissima ... principium. Uncos a Wolfio his verbis circumdatos delevit Bekkerus, retinuit Lünemannus. Edd. vett. non habent, nec opus est illis.

mulcant. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *mulctant.* Cod. MS. edd. Pichen. sqq. *mulcant;* idque in MS. esse iam Beroaldus prodiderat. Edd. Lips. 1574. *multant;* 1600. *mulcant;* 1607. *mulciant.*

sexageni singulos, ut numerum c. adaeq. Pichena ad h. l. „Triginta in qualibet legione manipuli, qui ex centum et viginti militibus constabant. Dividebatur manipulus in duas partes, quas ordines vocabant; cuilibet ordini, i. e. sexaginta milititus, unus praeerat centurio." Ryckius contra illum monuit, hunc legionis numerum temporibus Polybii quidem obtinuisse, posteriori tempore numerosiores fuisse legiones. Hinc alio modo locum esse explicandum: scilicet „milites per tragicum quendam lusum secrevisse ex qualibet centuria homines sexaginta, qui unum centurionem occiderent, ut quemadmodum quilibet miles sexaginta centurionum verberibus ante obnoxius fuisset, ita singuli nunc centuriones a sexaginta pariter militibus vapularent." Sane Vegetius 2, 6. in decem legionis cohortibus numerat pedites 6100, equites 726. At non ideo in quacunque legionum, quae passim occurrant, totidem homines erunt quaerendi; fluctuabant illi numeri, prout bella, tempestates, morbi plus minusve damni legionibus attulissent, nec incredibile est, homines 3600 tantum in una legione tum adfuisse. Quare non dubito, tragicum illum Ryckii lusum esse vanum, et Tacitum potius dicere, quod voluerat Pichena. Nam verba: *ut numerum centurionum adaequarent,* haud dubie id volunt, non plures quam sexagenos in unum centurionem invasisse, ut nemini centurionum deesset, a quo vapularet.

Cassius Chaerea. Suet. Cal. c. 56. Dio 59, 29.

adeptus, tum adulescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum praefectus ius obtinuit: vigilias, stationes, et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur. Id militares animos altius coniectantibus praecipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disiecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ar-

inter obstantes et armatos. Roth p. 57. explicat per figuram ἓν διὰ δυοῖν i. q. inter obstantes armatos. Sed *inter obstantes armatos* neminem elegantis latinitatis amatorem dicturum spero; *obstantes armati* sunt obstantes et armati, et hic certe duo sunt distinguenda momenta, primum quod obstiterint, alterum quod armati fuerint, inter quos viam patefecit ille.

quod neque disiecti, nil paucorum instinctu, sed etc. Sic cod. MS. edd. vett. At viderunt interpretes *nil* non respondere praecedenti *neque:* hinc coniecerunt, Rhenanus *vel paucorum*, quod probavere Lipsius et Pichena, recepere Freinshem. et Ryckius; I. Fr. Gronovius *quod nusquam distracti, nil paucorum instinctu*; Grotius *nec paucorum instinctu*, quod Ryck. margini adposuerat, Wolfius in textu admisit et deinde ceteri omnes. Parum recte. Nam vocabulum *neque* hic non requirit, quod ipsi respondeat, neque sunt disiunctivae enuntiationes. Ponitur *neque* ut infr. 2, 82. *et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant.* Germ. c. 6. *Sed nec variare gyros in nostrum modum docentur.* Suet. Iul. c. 28. *Quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset* (quem locum male editores vexant.) Sallust. Iug. c. 54. *Sed neque more militari vigiliae deducebantur.* Ammian. Marc. 14, 31. *Miles — morarum impatiens saeviebat, hoc irritatior, quod nec subsidia vivendi suppeterent.* Tum *neque* est nostrum *auch nicht, nicht einmal*, Graecorum μηδέ. cf. Buttmann Gr. Gr. §. 136. p. 573. Nimirum alias legiones rebellantes solent deserere ordines, disiici, in globos coetusque inconditos discedere. Iam vero in legionibus Germanicis id praecipuum indicium m. atque impl. motus fuit, *quod neque disiecti, nil paucorum instinctu.* Verbum Tacitus suo more omittit. Intellige *agerent* vel simile quid. Sic Agr. c. 19. *nihil per libertos servosque publicae rei.* An. 1, 65. *Cum — apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis*; c. 43. *melius et amantius ille, qui*; 4, 38. *melius Augustum, qui speraverit*; Hist. 1, 84. *vos quidem istud pro me.* Ad vocem *disiecti* cf. An. 2, 45. 3, 2. 4, 46. Hist. 3, 69. Agr. c. 20. Alia seditionis ratio fuit apud Pannonios, ad quos haec verba respiciunt. Ibi ab initio nonnisi dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare ausus est Percennius; deinde quum tres legiones miscere in unam agitarent, depulsi sunt aemulatione. Et furore iam adulto ab optimo quoque manipularium legato adhuc parebatur. Igitur disiecti, omnia paucorum instinctu. Quae cum ita sint, censeo hunc locum non egere novissima illa medicina, quam attulit Herrmannus in notis. Is legit: *quod, nempe disiecti, nil paucorum inst.* Interpretatur: *daſs die gewiſslich stark aus den Fugen Gewichenen, nicht im mindesten auf den Antrieb Weniger, sondern* etc. Putat vero ceteris coniecturis praeferendam esse cod. MS. scripturam, hoc sensu: *daſs sie, und zwar ohne aufgelöst oder zer-*

descerent, pariter silerent, tanta aequalitate et constantia, ut regi crederes.

XXXIII. Interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti excessisse Augustum adfertur. Neptem eius Agrippinam in matrimonio pluresque ex ea liberos habebat: ipse Druso fratre Tiberii genitus, Augustae nepos, sed anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae. quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus: unde in Germanicum favor et spes eadem. Nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa a Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis, atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et ma-

streut zu sein, nicht im mindesten etc. Ioca agat an seria, nescio.

crederes. Sic infr. 2, 30. *si mollius acciperes*; Hist. 2, 62. *avaritiam non timeres*; 3, 75. *non argueres*, aliaque. Ita quoque Graeci ponunt optativum. cf. not. ad c. 19. Ramshorn. Gr. §. 190. Not. 1. p. 587.

Cap. 33. *acriores, quia iniquae*. Senec. de ira 3, 29. *quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae*.

credebaturque. infr. 2, 82. Suet. Tib. c. 50. Claud. c. 1.

si rerum potitus foret. Verbum *potiri* triplici structura utitur: *cum genit.* ut hic et c. 5. infr. 3, 73. 12, 65. 13, 6. 14, 9. Hist. 3, 74. *cum accus.* ut 11, 10. *potitus regiam*. *cum ablat.* ut An. 4, 14. 11, 12. 12, 15. 2, 3. Hist. 3, 83. 4, 35. 4, 73. cf. Ramshorn. Gr. §. 144. p. 269. not. 2. Accusativus, qui plerumque cum participio iungitur, cum adest, *potiri* non est *sich bemächtigen*, ἐπιλαμβάνεσθαι, sed *inne haben*, κρατεῖν τι. cf. not. ad 3, 55. sub v. *adeptus est*.

novercalibus. Etenim neptis erat e Scribonia, priori Augusti uxore.

nisi quod. Est coarctantis antea dicta et quasi restringentis, et hic quidem ad ellipsin refertur, quae est post *commotior*. Intellige, illo ingenio ne ipsam quidem culpae expertem fuisse. cf. Roth. p. 40. Insigne eiusmodi exemplum est An. 14, 14. *Notos quoque equites Rom. operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis adfert*. Ita *nisi quod* fere significat *attamen*. Vide etiam not. ad 6, 24 et Agr. c. 6. Sine ellipsi formula est An. 1, 8. 16. et alibi.

castitate et mariti amore. Castitas opp. licentiae et impudicitiae; mariti amor accipiendus de caritate. cf. Suet. Tib. c. 7. *cum Iulia primo concorditer et amore mutuo vixit*. Non igitur explicandi causa, ut censet Wolfius, sed ad amplificandam Agrippinae laudem alterum ad-

riti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

XXXIV. Sed Germanicus, quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit. Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut poenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere. et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet, sic melius audituros responsum. vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes. tarde obtemperavere. Tunc a veneratione Augusti orsus flebat,

ditur. Castitas potest esse et sine mariti amore.

in bonum vertebat. Ne intelligas, quasi castitas et mariti amor domuisse indomitum animum et mitem reddidisse dicatur; sed animi ferociam abstinuisse a malis facinoribus atque flagitiis, inque rectum et honestum potius vertisse, ut ita contra flagitiosos et iniquos incenderetur. Ceterum cf. not. ad c. 76.

CAP. 34. *prensa.* Edd. Beroald. Rhen. sqq. *prehensa.* Sic et c. 35. Edd. Pich. sqq. *prensa*, an e cod. MS., tacent.

exosculandi. Sic cod. MS. et edd. Ber. et Rhenan. sqq. cf. Hist. 1, 45. *exosculari Othonis manum.* Ibid. 2, 49. Lipsius invexerat *osculandi.* Veterem scripturam suadente I. Gronovio reduxit Broterius et postea Wolfius.

sic melius audituros responsum. Vulgo haec verba ita accipiuntur, ut a Germanico dicta esse videantur. *Responsum* intelligunt, quod ille daturus erat legionibus. At tria sunt, quae me offendunt: primum quod Germanicus *responsum* dicit concionem, quam erat habiturus; dein quod omnino ille, cur concionem discedere in manipulos iubeat, addit rationem eamque inertem, *sic melius audituros responsum:* aptius dixisset, sic decere legiones coram imperatore concionante; denique quod mox sequitur aliud iussum priora retractans, *vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes.* Igitur iam non vult, ut in manipulos discedant; contentus est, ut cohortes saltem discernantur? quid tam subitam rei mutationem fecit? Scilicet perperam hucusque locum accepere. *Sic melius audituros*, responsum est a militibus contumaciae et ferociae retinentibus. *sic* h. e. permixtos, uti erant. Germanicus contumaciae paululum cedens iubet: *vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes.* Iam obtemperant, verum tarde. Similiter supra c. 26. *Responsum est a concione.* De vexillis vid. ad c. 18.

a veneratione Augusti orsus. Aurelius acceperat de veneratione, qua imaginem Augusti, ut coelestis numinis, Germanicus adoratus sit ab initio orationis. Sed si talis fuit veneratio, non opus erat, ut Tacitus Annalibus eam inferret. Correxit igitur I. Fr. Gronovius Aurelii opinionem, exemplis docens,

xit ad victorias triumphosque Tiberii, praecipuis laudibus celebrans, quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit: nil usquam turbidum aut discors.

XXXV. Silentio haec vel murmure modico audita sunt. Ut seditionem attigit, ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quonam tribunos, quo centuriones exegissent, rogitans, nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant: mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli, materiae, lignorum adgestus,

venerationem usurpari pro ea voce, quam noluerint dicere *venerabilitatem*. cf. 12, 41. Iustin. 13, 1. Namque *veneratio*, quanquam est actio generandi (activa signif.), tum etiam significat conditionem eius, qui fruitur veneratione (passiva signif.), eoque sensu vocabulum et hic utitur. Similiter *dignatio* ita ponitur, ut quibusdam pro *dignitate* esse videatur. cf. Baumgarten-Crus. ad Suet. Iul. c. 4. Discrimen vero est, quanquam subtile. *Dignitas* semper indicat qualitatem alicuius, *dignatio* conditionem, per quam dignatione quis fruitur. cf. 13, 20.

pulcherrima. Ernestius malebat *pulcherrime*. Wolfius refutavit illum, dubitatque, an *pulchre facere rem* dici possit. Dubito cum illo; nam *pulchre*, *pulcherrime facere* est formula per se constans, nec patitur additam obiecti vocem. cf. Plin. epp. 6, 22. *Fecit pulcherrime Caesar*. Ceterum similiter Noster infr. 3, 5. *quae — honora et magnifica fecisset*.

nil usquam turbidum aut discors. Dio 57, 7. πάντα τὰ τῶν Ῥωμαίων ἐς τὴν ἡγεμονίαν αὐτοῦ (Tiberii) συνεφρόνησεν.

Cap. 35. *universi*. Cod. MS. edd. Ber. Rhen. sqq. *universa*. Edd. Lips. sqq. *universi*, quod plurimis egregium est visum, nisi quod Wolfmannus et Doederlein l. l. praeferunt veterem formam putantque tota corpora illos nudavisse, non singulas partes. Vix crediderim ob rem; et ne causa quidem erat, cur tam expresse hoc Tacitus exponeret. Sufficiebat dici: *nudant corpora*. Immo primum universi idem faciunt, mox indiscretae voces audiuntur, denique prae aliis veterani agunt: sic huius loci partes se excipiunt. Non nego tamen, si universi nudarunt corpora, universa (*alle*) corpora esse nudata, et ad extremum utramque scripturam eodem redire.

pretia vacationum. Vid. supr. ad c. 17.

pabuli, *materiae*, *lignorum adgestus*. Dan. Heinsius et Boxhornius *lignorum* vocem pro glossa vocabuli *materiae* habebant, ex margine textui inserto. Ernestius praeeunte Ryckio bene docuit, *materiam* capi de lignis ad aedificandum, *ligna* intelligi, quae sint ad coquendum ignesque nocturnos. Nam secundum Varronem de L. L. *ligna* dicuntur a *legendo*, quod ea caduca legebantur in agro sc. ad usum foci. *Materia* constanter dicitur de tignis ad aedificandum necessariis. cf. Liv. 2, 7. Caes. de B. G. 3, 29. B. Afr. c. 20. Sallust. Iug. c. 18. Plin. epp. 10, 50. et 3, 19. Ulpian. in Digg. 32, 1, 55.

et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae, neque inopem requiem orabant. fuere etiam, qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus: et, si vellet imperium,

quaeruntur. Sic *quaesita asperitas* 6, 3. *quaesita comitas* 6, 50. Hist. 4, 49. *quaesitum sibi crimen caedemque* (*beabsichtigen*). Ceterum *quaeruntur* nonnisi convenit alteri membro, *adversus otium castrorum*; ad prius membrum, *si q. a. ex necessitate* ἐξ ἀναλόγου verbum est intelligendum. Simile zeugma est infr. 2, 20. *permisit*; 2, 58. *id datum*, multisque aliis locis. Frustra Heinsius coni. *quaeruntur*: immo male, quanquam ed. Beroald. ita habet, vulgari confusione.

mederetur .... orabant. Mutilatum Heinsius, vitiosum Ernestius locum arguit, quippe quibus verbum *orabant* non satis videretur convenire membro: *neu mortem i. i. l.* Et Ernest. quidem censet, aut legendum *neu morerentur*, aut addendum *obirent*, aut *non* mutandum in *neque*. Wolfius vulgatam ut tolerabilem excusat. Alius vir doctus in Seebod. bibl. crit. 1826. nr. 9. p. 969. ita haec accipit: *Orabant*, (ut) *mederetur fessis*, *neu* (h. e. nec, ut passim) *mortem in iisdem laboribus* — *neque inopem requiem* (orantes). Herrmannus emendat: *neu.... neve inopem r. o.* Sed Tacitum non satis noverant, qui hic quidquam emendandum esse censerent. Verbum *orare* Nostro ponitur cum infinitivo. cf. infr. 6, 2. *principem orabat deligere senatores* etc. 13, 13. *orabantque cavere insidias* etc. Iam satis etiam viris doctis innotuisse spero, sexcentis locis Tacito omitti verbum substantivum. cf. An. 13, 13. *Sed Agrippina libertam aemulam*, *nurum ancillam* (sc. esse), *fremere*. 3. 46. *imbelles Aeduos evincite*. Vid. ib. not. Plane sic nostro loco: *mederetur fessis*, *neu mortem in iisdem laboribus*, *sed finem tam exercitae militiae*, *neque inopem requiem* (sc. esse) *orabant*, h. e. neu mors in i. l., sed f. t. e. m. neque inops requies esset, orabant. Structura est graeca. cf. Dio 55, 9. καὶ προσεπηύξατο (Augustus) μηδεμίαν τοιαύτην καιρῶν ἀνάγκην .... γενέσθαι. Ceterum zeugma et hic agnosces. Nam verbum *esse* ad *finem* et *inopem requiem* ut apte ponitur, ita ad *mortem in iisdem laboribus* ἐξ ἀναλόγου intelliges *accidere* vel simile quid. Kiessl. post *neu mortem* intelligit *daret*.

legatam a. d. A. p. cf. c. 8.

faustis in Germ. ominibus. Sic cod. MS. edd. Beroald., Rhen. et sqq. Lipsius malebat *nominibus* ob locum Dion. 57, 5. τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐπεκάλεσαν. I. Fr. Gronovius vulgatum defendit locis Ovid. Metam. 12, 218. Suet. Cal. c. 13. Apud Suet. l. l. et Aug. c. 57. eadem est interpretum dissensio; nunc editur *ominibus*. cf. etiam Drakenb. ad Liv. 5, 34. Noster similia habet inf. 5, 4. *festisque in Caesarem ominibus*; Hist. 4, 49. *laeta Pisoni omina*. Wolfius monuit, „*faustum* et nominum et ominum epitheton esse; ἄκυρον vero nomen in aliquem; et in ipsis nominibus omina." *In* tamen hic pendet e *faustis*, non ex altera voce; dicitur pro dativo.

si vellet imperium. Vell. 2, 125. *defuitque*, *qui contra rem publicam duceret*, *non qui duceretur*."

promptos ostentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille, moriturum potius, quam fidem exueret, clamitans, ferrum a latere deripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. extrema et conglobata inter se pars concionis ac, vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, feriret, hortabantur: et miles nomine Calusidius strictum obtulit gladium, addito acutiorem esse. Saevum id malique moris etiam furentibus visum: ac spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.

promptos ostentavere. Cod. MS. ed. Beroald. *promptas ostentavere.* Rhenan. emendavit *promptos*, quod dein omnes edidere. Intelligunt *se*, cuius tamen vocis omissio hic plane intolerabilis est. Aliam praeferunt speciem exempla, ad quae provocant: *promptos ostentavere* in hac quidem serie non potest accipi, nisi ut alios ostentaverint promptos, qui tamen legenti non sunt obvii. Ut referas ad milites, inconcinnum saltem est, nec utitur Noster tam incerto loquendi genere. ut cum Grutero *promptas* defendas et accipias de legionibus, eodem incommodo implicaris: nam remotius est vocabulum legionum. Heinsius corrigebat: *prompta* so. omnia. Sed vocabulum *omnia* sic intelligi posse non docuit. Aliquando coniiciebam vocabulum *legionibus* excidisse post *legatam*, aut ante id vocabulum. Sed melius fortasse huic loco vindicabis formulam Nostro usitatam et hic aptissimam: *promptas res ostentavere.* cf. infr. 12, 12. *Et vocante Carrhene, promptasque res ostentante, si citi advenissent, non cominus* etc. Vocabulum *res* facile potuit absorberi. Ceterum *et* non coniungit *reposcerent* et *ostentavere*; sed ut saepe transitum facit ad aliam sententiam et constructionem. Noli igitur cum Ernestio cogitare de transpositione aut mutatione.

minitantes, ni regrederetur. Elliptice, ut saepe. Namque post *minitantes* intelligendum est: se vi usuros, ni etc. cf. c. 48. *ac, ni supplicium in malos praesumant, usurum promiscua caede.* Vid. not. ad 2, 22.

deferebat in pectus, ni... attinuissent. Intell. deferebat in pectus et incubuisset, ni.... attinuissent. Vide not. ad c. 23. et infr. c. 63. *trudebanturque in paludem... ni Caesar... instruxisset.* c. 65. *circumveniebatur, ni... opposuisset*; 2, 10. *cohibebantur, ni... attinuisset.* h. e. res iam fiebat atque eventum habuisset; ni etc. Contra An. 2, 39. *mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, ...rem publ. perculisset.* h. e. res nondum facta est, at facta esset, ni etc. An. 1, 39. *ni — arcuisset — commaculavisset.*

prensam. Vide not. ad c. 34.

incedentes. Muretus coniecit *accedentes*, eamque notionem inferunt nostrates (*auf ihn lostreten, näher treten*). At *incedere* potius est *auftreten, hervortreten*. cf. infr. 3, 26. *pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat*; 11, 32 *undique nuntii incedunt*; 15, 13. *propius incedens, quam mos Parthis.* Ad vocem

XXXVI. Consultatum ibi de remedio. etenim nuntiabatur parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent: destinatum excidio Ubiorum oppidum: imbutasque praeda manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis: at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi. periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi sive omnia concedentur, in ancipiti res publica. Igitur volutatis inter se rationibus placitum, ut epistolae nomine principis scriberentur: missionem dari vicena stipendia meritis: exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum immunes nisi propulsandi hostis: legata, quae petiverant, exsolvi duplicarique.

XXXVII. Sensit miles in tempus conficta, statimque flagitavit. missio per tribunos maturatur: largitio differebatur in hiberna cuiusque. Non abscessere quin-

propius intellige ὤν, *in der Nähe;* opp. extrema pars concionis. Nam ut hortarentur, non opus erat accessu, verum incessu, ut audirentur. cf. not. ad 2, 70.

Cap. 36. *at si auxilia.* Sic edd. Ber. Rhenan. sqq. et inde Broter. Wolf. sqq. Edd. Pich. sqq. *ac si a.*

sive omnia. Sic suadente Iac. Gronovio Wolf. sqq. Nam cod. MS. *sibi omnia*, vulgari litterarum *b* et *v* permutatione. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. dederant *seu omnia.* Similiter *sive* — *seu* — An. 1, 10. 12, 8. Germ. c. 34. *seu* — *sive* — An. 1, 60. *Seu* non ponitur ante vocalem.

concedentur. Sic cod. MS. ed. Beroald. *concederentur* edd. Rhenan. sqq. Male. Nullus enim hic ei formae locus est, nisi cum Heinsio legas *periculosam severitatem . . . rem publicam.* At desiit oratio obliqua cum verbo *suscipi.* Sequentia e recta scriptoris narratione accipienda sunt ita: *periculosa severitas, flagitiosa largitio* sc. est deliberantibus, h. e. dum deliberant, intelligunt periculosam severitatem, flagitiosam largitionem esse. Sic lector in mediam consultationem rapitur. Pergit scriptor eodem tenore: *seu nihil . . . res publica.* Iam vero formam *concederentur* in hac serie ferri non posse satis patet; unice verum *concedentur*, ut de re futura, quam adhuc deliberant. Sensus: dum deliberant, intelligunt in ancipiti rem publicam fore, seu nihil militi sive omnia concedentur. Ita Cic. pro Caecin. c. 18. *Sermo et familiaris et quotidianus non constabit, si verba inter nos aucupabimur.*

in ancipiti res publica. Sic cod. MS. et inde Pichena sqq. Edd. Ber. Rhen. sqq. male: *in ancipiti Re p.*

Cap. 37. *in hiberna cuiusque. Non absc.* Edd. Ber. Rhenan. sqq. vitiose: *largitio differebatur. In hiberna cuiusquam non absc.* Mercerus ex ingenio correxit, et dein. Pichena in cod. MS. invenit, uti nunc edimus locum.

tani unaetvicesimanique, donec iisdem in aestivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus secundam et tertiam decumam et sextam decumam legiones nihil cunctatas sacramento adigit. Quartadecumani paulum dubitaverant: pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est.

XXXVIII. At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum, et

pecunia persolveretur. Non solum quintanis unaetvicesimanisque, sed etiam primanis et vicesimanis, quod e sqq. intelligitur. Et recte monet Wolfius, illas legiones, quum poscerent largitionem, non solum pro se, sed pro communibus commodis locutas esse.

inter signa interque aquilas. Ad signa enim in castris deponebatur pecunia. cf. Suet. Dom. c. 7. Veget. 2, 20. Turpe est in eo, quod pecunia deos militares comitans flagitiose imperatori erat extorta et quasi rapta.

veherentur. Sc. mulis. cf. Phaedr. 2, 7. ibique Schwabe. Moneo eorum causa, qui *vehi* interpretantur *fahren.*

cunctatas. Edd. Beroald. Rhen. sqq. *cunctatus.* Lips. ex ingenio dedit *cunctatas*, quod postea Pichena in cod. MS. vidit. Opp. in sqq. *paulum dubitaverant.*

sacramento adigit. h. e. in novi principis verba iurare iussit.

quartadecumani. Edd. Beroald. Rhen. sqq. *quartadecimani.* Edd. Lips. sqq. constantiae causa *quartadecumani.* cf. not. ad 14, 34.

Cap. 38. *Chaucis.* Ed. Beroald. *Caucis.* At infr. c. 60. *Chauci.*

vexillarii. *Vexillarii* saepius apud Tac. obvii multum vexaverunt interpretes. Postquam Lipsius (de mil. Rom. I, 8. et V, 19. et ad Tac. An. 1, 17.) censuerat vexillarios fuisse veteranos, qui stipendiis peractis ad vexillum retinerentur, donec praemium et emerita acciperent; Pichena ad h. l. contra illum contendit, vexillarios potius fuisse partem legionariorum militum, qui a sua legione abessent, ac vexillarios appellatos, quia ab aquilis legionum separati sub vexillis propriis militarent. Hinc Lips. (ad Hist. 2, 100.) sententiam suam hactenus mutavit, ut duplicia vexilla illo aevo fuisse statueret, prius veteranorum, alterum ex electione secundum Pichenam. Ab utroque discessit Ernestius in excurs. ad h. l. Is nempe repperit, vexillarios fuisse peculiare genus militum inter legionarios, et quidem eosdem, qui olim hastati fuerint. Prius Salmasius (cf. Graevii Thes. Ant. R. Tom. X. p. 1428.) censuerat, vexillarios esse intelligendos levis armaturae milites. Dureau de Lamalle id nomen accipit de primis singularum cohortium centuriis, vexilli custodibus, vexillariosque adsimilat ei militum generi, qui hodie dicuntur *Grenadiers.* Quorum virorum disputationes quum rei nondum satis fecisse viderentur, nuper Herelius novam inquisitionem instituit in excursu de vexillariis editioni Agric. adnexo. Concedit in multis locis vexillarios intelligi veteranos; id tamen non in omnibus esse non modo non dubitat,

praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id Mennius castrorum praefectus bono magis exemplo quam concesso iure. deinde intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. simul exterritis qui obsti-

sed adfirmat atque ait. Sed Hertelii opera in hac re posita non absterruit Walchium, quin ad Tac. Agr. c. 18. uberius de vexillariis exponeret. Strenue contra Pichenam ceterosque defendit Lipsii sententiam, vexillarios esse veteranos post exauctorationem apud vexillum retentos (cf. supr. c. 17.), eosque dictos suspicatur non a vexillis, quae pro signis usurpaverint, sed a vexillo legionis in manu ducis posito, quod ad proelium indicendum proponi solebat, ut vexillarios intelligas milites ad vexillum pertinentes, vexillum quasi gestantes. Haud vero nescit idem vir doctus, *vexillum* dici de quacunque militum manu sub vexillo euntium, ut An. 2, 78. Hist. 2, 89. An. 15, 26., qui tamen propterea non dicantur vexillarii. Et primum quidem egregie de hac re Walchius eo meruit, quod vexillarios proprio nomine dictos, qui certum in legione ordinem certumque militiae gradum constituebant ideoque audiebant vexillarii legionum, vexilla legionum, accurate distinxit ab iis militibus, qui passim dicuntur ire sub vexillo ut delecti ad peculiarem aliquam expeditionem vel omnino praeter legionis numeros habiti. cf. An. 2, 78. *vexillum tironum*; 15, 26. *vexilla delectorum*. Etenim eiusmodi manus, quanquam utitur vexillo, non est vexillariorum. Id quoque recte censuit vir doctus, vexillarios esse veteranos exauctoratos. Verum quod suspicatur id nomen dictum a vexillo imperatoris ad indicendum proelium proponi solito, vix admitti poterit. Alia potius videtur esse vocabuli ratio. Vetus fuit Romanorum institutum, ut praeter triginta manipulos, ex quibus componebatur legio, adessent in subsidio legionis tria vexilla. Primum vexillum antiquitus triarios ducebat, veteranum militem spectatae virtutis; secundum rorarios, minus roboris aetate factisque; tertium accensos, minimae fiduciae manum. cf. Liv. 8, 8. Iam triariorum, rorariorum, et accensorum aeque ac principum et hastatorum vocabula postea aboleverunt; vexilla tamen sua legionibus mansere, sub quibus praeter triginta manipulos eorumque signa haberetur subsidiaria quaedam legionum manus; hi sunt vexillarii legionum, vexilla legionum, quibus adscribi solebant veterani exauctorati. Ita et olim apud vexilla fuerat veteranus miles spectatae virtutis, testante Livio l. l. An Augusti et seq. tempore praeter veteranos exauctoratos alii etiam milites ad vexilla pertinuerint, nemo tradidit.

Mennius. Ricklefs cum Heinsio in hoc nomine vitium esse suspicatur; emendat *Memmius*, vel *Menenius*, vel *M. Ennius*. Suspectum haud dubie est vulgatum. Vid. not. ad An. 12, 22. et Hist. 3, 12.

bono magis exemplo quam concesso iure. *Exemplum*, παράδειγμα, est quod datur ad hortandum vel ad dehortandum, ut hic. *Bonum* dicitur h. e. utile in rem; namque eventum habuit eum, ut seditio paulum reprimeretur. Sic An. 2, 14. *boni ad proelium campi*. — *Quam concesso iure*; nam soli exercitus duci erat ius animadvertendi in milites. cf. Dio 53, 13.

terant, raptum vexillum ad ripam vertit, et, si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.

XXXIX. Interea legati ab senatu regressum iam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum iussu, qui inrita facerent, quae per seditionem expresserant. utque mos vulgo quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti incusant: et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque

Cap. 39. *legati ab senatu.* Vid. supr. c. 14. Dio 57, 5. ὕστερον δὲ πρεσβευτῶν παρὰ τοῦ Τιβερίου βουλευτῶν ἐλθόντων κ. τ. λ. Lipsius putat, apud Dionem legatos intelligi alios, quoniam dicuntur egressi a Tiberio. Rectius censebis, eosdem intelligi legatos, et Dionem non distinguere senatus aut Tiberii legatos. Et sane a Tiberio, senatus moderatore, simul mittebantur, qui veniebant iussu senatus.

regressum iam. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *regressi iam.* Rhenanus virgulam posuit inter utramque vocem. *egressi, iam* edd. Lips. Sed Pichena e cod. MS. veram scripturam restituit, *regressum iam*, quam Mercerus ex ingenio invenerat. Germanicus (c. 37.) prius superiorem ad exercitum profectus erat.

sub vexillo hiemabant. Wolfius distinxit: *missi sub vexillo, hiemabant*, ne coniungeres *sub vexillo hiemabant*, sed *missi sub vexillo* h. e. missi ea conditione, ut sub vexillo retinerentur. Sic explicat Walchius ad Agr. c. 18. Wolfii rationem retinuere sequentes editores. Perperam, ut mihi videtur. Nam virgula ne tum quidem huic loco convenit, si coniungas, uti illi volunt. Iam vero nil absurdi est in formula *sub vexillo hiemabant*, non ut eo sensu capias, quo milites dicuntur hiemare sub pellibus, sed potius intelligas *sub vexillo ὄντας* h. e. ea parte legionum, quae est vexillariorum, non inter manipulos. Etenim seorsim et a manipulis discreti vexillarii versabantur in castris, uti satis docet Hyginus de Castramet.

inrita. Sic edd. Beroald. Rhenan. e cod. MS. Eandem scripturam praefert cod. Flor. litt. Langob. scr. Edd. Ald. sqq. *irrita.*

vexillum in domo Germ. situm. Lipsius intelligit vexillum, quod dux exercitus proponere solebat ut signum futurae pugnae. Caes. B. G. 2, 20. B. Hisp. c. 27. I. Fr. Gronovius improbata Lipsii opinione cogitat de vexillo, quod veterani nacti erant, cum exauctorarentur. Vid. not. ad c. 38. Wolfius ad Lipsii sententiam rediit, quam etiam Walchius adoptavit l. l. Et Lipsius quidem putabat, vexillum illud a militibus raptum, ut cum eo ius caedis et armorum haberent. Walchius autem, milites postulatione vexilli voluisse sibi hoc: *mit der Verabschiedung nach sechszehn Jahren müsse es sein Bewenden haben, man werde aufs Aeusserste es treiben, und eben so machen, wie im jetzigen Falle.* Sed fateor, haec mihi adeo hu-

ad ianuam facto moliuntur fores, extractum cubili Caesarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. mox vagi per vias obvios habuere legatos audita consternatione ad Germanicum tendentes. ingerunt contumelias, caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat. neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis. illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur: ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, (rarum etiam inter hostes) legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset. Luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat, recepitque in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem,

guida videri, ut dixerim nescivisse illos, quid sibi vellent, si hoc voluere. Minus etiam speciosa est Lipsii opinio. Nam vexillum raptum aut violenter expressum non maius potuit dare ius caedis atque armorum, quam quod sine vexillo habuissent. Neque unquam satis apparet, quo tandem consilio milites vexillum illud imperatorium rapuissent. Quare alia mihi videtur esse huius loci ratio. Oritur nova seditio metuentium, ne inrita fierent, quae per priorem seditionem expresserant, exauctoratio eorum, qui sena dena stipendia fecerant, et missio vicena stipendia meritis data. Nam de largitione, ne retraheretur, puto non aeque anxios fuisse. Igitur non inepte putabimus seditionem potissimum agitatam a veteranis, qui nuper missi sub vexillo ibi hiemabant. Manipulos quanquam non intactos, tranquilliores tamen mansisse, inde etiam colligo, quod Planco periclitanti subsidium fuere castra primae legionis. Iam illi si flagitarunt vexillum, metu, ne inrita fierent per seditionem expressa, quod tandem vexillum apte cogitabis, nisi illud, quod fuit signum vexillariorum veteranorum et tanquam pignus missionis impetratae. Id vexillum nondum acceperant veterani nuper missi; situm adhuc erat in domo Germanici, tradique futurum. At illa nocte Caesarem tradere vexillum subigunt, ut ita missio iam rite peracta videretur nec revocari posset. Aliam loci explicationem dedit Moebius in Seebod. bibl. crit. 1823. nr. 2. p. 176. Is et ipse cum Gronovio facit et vexillum veteranorum in domo Caesaris situm opinatur, quia illis post missionem impetratam non amplius vexillo opus fuerit, utpote tantum apud aram Ubiorum hiematuris; illos autem vexillum rapuisse, ut hac re significarent, se licet nuper missos ac vexillo levatos, tamen, quasi sub vexillo essent retenti, duritiae operum militarium non fore immunes. Sed videat vir doctus, ne viam inierit, qua solus incedat.

castra primae legionis. Nam eadem quidem erant utriusque legionis castra, sed bipartita secundum legiones.

recepitque. Sic cod. MS. ed. Beroald. et nuper Ruperti, Weikert, Lünemann, Bekker. *recipitque* edd. Rhenan. sqq. et nuper Naudet. Ob praecedens *imperat* emendavere *recipit.* Sed vid. not. ad An. 2, 7.

fatalem increpans rabiem. Vulgaris consuetudo poscebat: *ut fa-*

neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati, aperit: ius legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur, attonitaque magis quam quieta concione legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit.

XL. Eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium. Satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum: vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam coniugem inter furentes et omnis humani iuris violatores haberet? illos saltem avo et rei publicae redderet. Diu cunctatus aspernantem uxorem, cum se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula testaretur, postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret, perpulit. Incedebat

talem inc. r. cf. Sueton. Oct. c. 86. Tib. c. 24. Ner. c. 41. Claud. c. 39. Tacitus tamen mavult accusativum intelligi ex omisso verbo *esse*. Similiter Hist. 2, 44. *desertorem proditoremque increpant*. Tum *increpare* significat *increpando dicere*. cf. not. supr. ad c. 35. sub verbis: *mederetur ... orabant*. Sic mox *miseratur* h. e. oratione miserationem prae se ferente disserit. cf. not. ad 13, 43. sub verbo *defendebat*.

Cap. 40. *Eo in metu*. Lipsius et Faërnus pro *metu* coniiciebant *motu*, quod etiam Allemando placet. Perperam. *Metus* hic non est adfectus animi, sed rerum status, in quo metuendum est, h. e. in trepido rerum statu. Sic infr. 14, 43. *cui familia opem feret, quae ne in metu quidem pericula nostra avertit*; 15, 45. *aurum, quod ... omnis pop. R. aetas prospere aut in metu sacraverat*; Hist. 1, 86. *quae nunc tantum in metu audiuntur*; An. 2, 72. *ostendere credebatur metum ex Tiberio*.

si vilis ipsi salus. Heinsius volebat addi *sua*, quod Ernestius non arbitratur necessarium in Tacito. Num in alio necessarium? Minime, immo ineptum est. Nam si additur *sua*, tum *salus sua* opponitur saluti filii et coniugis, quam ipsi non posse vilem esse dicant. Sed ea ratio alium postulat vocabulorum ordinem, ut legas: *si sua salus ipsi vilis*. Sin omittitur *sua*, tum *salus Germanici ipsi vilis* oppositam habet salutem filii et coniugis avo et rei publicae non vilem. Et hoc sibi volunt illi.

aspernantem. Lipsius verius esse putat *aspernante uxore*. Heinsius accusativum tuetur, ut pendeat e *cunctatus*, cui verbo morandi significationem tribuit. Freinshemius accusativum rectius refert ad verbum *perpulit*.

complexus. Sic Hist. 3, 38. *filium eius sinu complexus*. Caes. B. G. 1, 20. *Divitiacus multis cum lacrimis Caesarem complexus obsecrare coepit*. Ne igitur crede viro docto, qui censuit, *umfassen* esse *amplecti*, non *complecti* (cf. Litter. Blatt zur allg. Schulz. 1827. nr. 6. Abth. II. ubi satis absurdam invenies loci explicationem).

incedebat. Sc. pedibus, nec curru aut nave, ut volunt Freins-

muliebre et miserabile agmen: profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quae simul trahebantur: nec minus tristes, qui manebant.

XLI. Non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies: gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere. Progrediuntur contuberniis: quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti, pergere ad Treveros et externae fidei. Pudor inde et miseratio, et patris Agrippae, Augusti avi memoria:

hem. et Ruperti. Namque nec curru nec nave inceditur, sed pedibus. Decepti sunt interpretes eo, quod extra castra miserabile agmen incedens cogitabant. Sed cogita potius per castra abeuntes et ad navem aut vehicula tendentes, et qui manebant, uxorum agmen comitantes.

muliebre et miserabile agmen. Notat haec Roth. (p. 56.) inter exempla, quae ferant ἓν διὰ δυοῖν, i. q. miserabile agmen muliebre.

Cap. 41. *Non florentis ... facies.* Intellige *non florentis* .. *sed velut in urbe victa* ὄντος *facies.* cf. Matthiae Gr. Gr. §. 563. Nota.

gemitusque ac planctus. Inter synonyma haec refert Roth. p. 7. Sed eadem utriusque vocabuli ratio est, quae in *habitus cultusque* c. 10. Vid. ib. not. *Gemitus* et *planctus* diversae sunt res, solent autem coniungi in dolore; hinc etiam in doloris descriptione utrumque vocabulum. Ceterum pleniori interpunctione haec a superioribus erant distinguenda; nam *gemitus* ac *planctus* ad totum agmen pertinent, non ad Caesarem. Vulgo virgulam ponunt post *facies* et post *planctus.*

quod tam triste? Triste pro subst. ponitur, ut Virg. ecl. 3, 80. et Tac. An. 15, 34. Quare addendum erat *quod*, non *quid.* Nam *triste* aliquid esse satis iam intellexerant; nunc quaerunt, *quod* illud sit. Non igitur audiendi sunt interpretes, qui *quid* pro *quod* substituunt.

feminas inlustres .... Treveros. Est structura graeca, qua ponuntur accusativi intellecto ἔχων explicandi. Herod. 2, 41. τοὺς ἔρσενας (βοῦς) κατορύσσουσι ἕκαστοι ἐν τοῖσι προαστείοισι, τὸ κέρας τὸ ἕτερον ἢ καὶ ἀμφότερα ὑπερέχοντα sc. ἔχοντας. ibid. 134. πυραμίδα ... εἴκοσι ποδῶν καταδέουσαν, κῶλον ἕκαστον τριῶν πλέθρων sc. ἔχουσαν. Plura vide apud Matthiae Gr. Gr. §. 427. b. Sic Tacitus: *non centurionem* etc. sc. ἔχοντας. Nil igitur opus est lineolis, quibus recentiores edd. structuram mollire student ita: *inlustres — non centurionem .... soliti — pergere* etc. Ceterum edd. Ber. Rhen. Ald. *Treviros;* edd. Lips. sqq. *Treveros*, et sic cod. Flor. litt. Lang. scr. suis locis.

et externae fidei. Genitivus pendet e notione *hominum* vel *gentis*, quae latet in *Treveros.* Sic Hist. 2, 15. *Othoniani Albigaunum interioris Liguriae* (sc. oppidum) *revertere.* *et* ἐπεξηγητικῶς additur estque hic ea figurae ἓν διὰ δυοῖν species, quae in locum adpositionis succedit. cf. Roth. p. 45. *Externa fides* opp. Romanae.

socer Drusus: ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia: iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad conciliandа vulgi studia eo tegmine pedum induebatur: sed nihil aeque flexit quam invidia in Treveros, orant, obsistunt, rediret, maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita coepit:

XLII. „Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt: sed illum quidem sua maiestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent. Coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus submoveo, ut, quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat. quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? militesne appellem, qui filium im-

socer Drusus etc. Supplendo intellige haec omnia animis esse obversata. Nil tali ellipsi Nostro usitatius est. cf. Agr. c. 17. *Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes.* Ibid. c. 21. *Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga.* Ibid. c. 33. *Iamque agmina et armorum fulgores.* Hist. 2, 29. *Ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio, favor.*

infans in castris genitus. cf. Suet. Cal. c. 8. ibique interpretes.

recens dolore et ira. Heinsius more suo: *r. doloris et irae.* Sed An. 15, 59. *stipendiis recentes;* Hist. 3, 77. *recens victoria.* Genitivus simpliciter explicat vocabulum *recens*, cum *doloris et irae recens* opponatur alius rei recenti; ablativus non ita vocabuli *recens* sensum explet, sed auget sententiam nova notione dicitque dolore et ira Germanicum fuisse adfectum, quod ignorabas, eumque recentem in dolore, nec sedato dolore apud circumfusos coepisse.

Cap. 42. *quidquid istuc sceleris.* Ernestius vult scribi *istinc*, idque semet ipsum olim non animadvertisse indignatur. Fallitur tamen. Nam *istuc* hic non est adverbium, sed pronominis loco, ut inf. 2, 38. *non enim preces sunt istuc.* Terent. Heaut. 1, 1, 67. *Nulla adeo ex re istuc fit, ni ex nimio otio. Ego istuc aetatis non amori operam dabam.* Ibid. 1, 1, 30. *quid istuc mali est, quaeso?* et v. 32. *istuc quidquid est, fac me ut sciam.*

quod nomen huic coetui dabo? Liv. 28, 27. *Quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descistis? an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis?* etc.

„peratoris vestri vallo et armis circumsedistis? An cives, „quibus tam proiecta senatus auctoritas? hostium quo„que ius et sacra legationis et fas gentium rupistis. Di„vus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, „Quirites vocando qui sacramentum eius detrectabant. „Divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones ex„terruit. nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si „Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum „et indignum erat. Primane et vicesima legiones, illa „signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot „praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? „hunc ego nuntium patri laeta omnia aliis e provinciis

vallo et armis circumsedistis? Wolfius putat haec spectare ad c. 39. ibique concursum ad Germanici domum factum. Maluerim formulam *vallo et armis circumsedere* sensu figurato accipere, ut sit in universum pro hoste aliquem tractare, hostiliter adversus aliquem agere. Nam vallo saltem rebellantes Germanicum proprio sensu non circumdedere.

hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium. Hic quoque Roth. (p. 45.) invenit figuram ἓν διὰ δυοῖν eius generis, quod succedit in locum adpositionis. „Nam fas gentium, ait, illa priora, ius hostium et sacra legationis complectitur.“ Rectius dixisset duo posteriora, *sacra leg. et ius gentium* pertinere ad ius hostium, et adpositionis loco utrumque addi. Nam sententia est: rupistis, quae inter hostes quoque sancta habentur, sacra legationis et fas gentium.

verbo uno compescuit, Q. v. cf. Suet. Iul. c. 70. Appian. 92. Plut. Caes. 51. Polyaen. 8, 23, 15. Frontin. 1, 9, 4. Dio 42, 53. Lucan. 5, 357.

detrectabant. Edd. Beroald. et Rhenan. *detractabant.*

Augustus .... exterruit. Suet. Oct. c. 17. Dio 49, 34. et 51, 3. Liv. epit. 131. Nihil tamen ibi de vultu et aspectu, quo exterruit.

nos, ut nondum eosdem. Broterius putat Germanicum loqui de se et de Tiberio. Male. Nam de solo Germanico haec valent.

illa signis a Tiberio. Etenim post cladem Varianam Tiberius missus est ad restaurandum exercitum (cf. Vell. 2, 120.) et tum fortasse illam legionem recens conscriptam ordinavit. Vid. etiam Suet. Tib. c. 16—18. Dio 55, 23 sqq. de Germanica expeditione Tiberii.

egregiam duci vestro gratiam refertis? Sic edd. Beroald. Rhen. sqq. Oberlinus signum (?) mutavit in (!); Bekkerus posuit (.). At cum haud dubie interrogando haec sint enuntianda et quidem per ironiam, reposui vetus signum. Quod Ernestius volebat addi *tam*, Wopkensius *hanc*, non opus est. Nam *egregiam gratiam* vel sine additamento intelligimus hanc, de qua nunc sermo est. Herrmannus emendat: *prima nae et vicesima legiones*, quod, si cui placuerit, non invidebo. Fortasse locus melius legeretur sic: *prima ne et vicesima legiones .... tot praemiis aucta? egregiam d. v. gratiam refertis.* Tum post *aucta* locus e praecedentibus supplendus est, exprimitque Germanici mirationem.

duci vestro. Sc. Tiberio.

„audienti feram?' ipsius tirones, ipsius veteranos non „missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici „centuriones, eiici tribunos, includi legatos; infecta „sanguine castra, flumina: meque precariam animam „inter infensos trahere?"

XLIII. „Cur enim primo concionis die ferrum „illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? „o improvidi amici! melius et amantius ille, qui gla„dium offerebat. cecidissem certe nondum tot flagitio„rum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui „meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen „et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, „ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud et „claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compres„sisse Germaniae populos. Tua, dive Auguste, coelo „recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, „iisdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria „intrat, eluant hanc maculam irasque civiles in exitium „hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, „alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium „imperatori, si mihi coniugem et filium redditis, disce-

satiatos. Edd. Beroald. et Rhen. signum interrogandi ponunt post hoc vocabulum, et Beroald. scribit *saciatos.* Seqq. edd. illud (?) collocant post *trahere;* Lünemannus singula membra eo signo ornavit; Bekkerus omisit illud.

Cap. 43. *tua, pater Druse, imago.* Puto Lipsium verum vidisse, qui intelligit imaginem Drusi inter signa positam. Dubitat quidem Freinshemius et cum illo Ernestius, an mortuorum imagines ibi fixae fuerint, nisi dicatorum inter numina. At satis verisimile est, id honoris habitum manibus Drusi, praestantissimi Germanicarum legionum ducis. Quo minus cum Freinshemio tropice capias, impedit adiecta vox: *tui memoria.* Tum enim *memoria* eadem est quae *imago.* Perlanguida tamen esset eiusmodi explicatio vocis *imago.* Immo *tui memoria* est rerum a te gestarum cogitatio; *imago* ipse viri in imagine aspectus.

iisdem istis cum militibus . . . *eluant hanc maculam.* Egregie de hoc loco meruit Wolfius. *Maculam* intelligit publicam, e clade Variana adspersam Romano nomini. Hanc maculam ne Belgae, ne exteri, sed iidem isti iam mutati milites Romani eluant, ducibus Augusti et Drusi coelestibus animis, Germanicus precatur. Alii, qui haec non satis recte intellexerant, ut Grotius et Ryckius, mutabant *cum militibus* in *commilitibus,* quod vocabulum exemplis defenditur a Ryckio. cf. Caes. B. C. 2, 29. Sed iam non quaeritur, an *commiles* sit vocabulum latinum, quum vulgata scriptura bene se habeat.

gloria. cf. not. ad c. 8.

et filium. Ita Wolfius dedit e cod. MS. Edd. priores omnes *ac filium.*

„dite a contactu ac dividite turbidos: id stabile ad poe„nitentiam, id fidei vinculum erit."

XLIV. Supplices ad haec et vera exprobrari fatentes orabant, puniret noxios, ignosceret lapsis et duceret in hostem: revocaretur coniunx, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur. Reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem: venturum filium: cetera ipsi exsequerentur. Discurrunt mutati et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae, C. Cetronium, qui iudicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones destrictis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem adclamaverant, praeceps datus trucidabatur. et gaudebat caedibus miles, tanquam semet absolveret: nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius iussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat. secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suevos: ceterum ut avellerentur castris, trucibus adhuc non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit. citatus ab

Cap. 44. *exsequerentur.* Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *exequerentur.*

destrictis. Edd. vett. *districtis.* Vid. not. ad c. 32.

Raetiam. Sic Ryckius correxit e lapidibus antiquis apud Gruterum, Manutium, Reinesium. Prius vulgabatur *Rhaetiam.*

imminentis. Edd. Beroald. et Rhen. sqq. *imminenteis.* Sed cod. MS. test. Iac. Gronovio eam formam non agnoscit.

centurionatum inde egit. Formula ἅπαξ λεγομένη et multis lacessita. Nam licet vocabulum *centurionatus* admittas (quod an admittendum sit, dubitatur), manent tenebrae, quoniam quae eius vocabuli esse possit significatio, non satis liquet. *centurionare* ex analogia erit aut centurionem esse aut centurionem facere. Hinc *centurionatus* accipi potest cum Gronovio de gradu centurionis aut de centurionum creatione. Priorem significationem locus non admittit, posteriorem libenter accipit. Hinc *centurionatum egit* erit: recensum centurionum fecit, ut denuo auctoraret h. e. aut priores in suo ordine confirmaret aut in locum vacuum alios sufficeret. Ita in eam incidimus interpretationem, quam Muretus dedit. Iam locus sanissimus tibi videri posset. At quum desint exempla, omnia evadunt dubia. Quare plerique in coniectura spem sanandi loci posuerunt. Lipsius vult *legit* pro *egit.* I. Fr. Gronovius: *centurionum inde delectum egit* vel *centurionatus inde exegit.* Heinsius: *censum centurionum* vel *centurionalem.* Ernestius: *centurionatim* vel *centuriatim* i. e. per centurias. Hil-

imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant, dona militaria, edebat. si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia.

XLV. Sic compositis praesentibus, haud minor moles supererat ob ferociam quintae et unaetvicesimae legionum, sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen est) hibernantium. nam primi seditionem coeptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum: nec poena commilitonum exterriti nec poenitentia conversi iras retinebant. Igitur Caesar arma, classem, socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

XLVI. At Romae nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles neque duorum adulescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse, cessuris, ubi principem longa experientia eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. An Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare po-

lerus: *centuriones tum in ordinem redegit* vel *coëgit*. Herrmannus: *centurionem tum integrat*.

dona militaria. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. *donaria*, quod Ernestius bene mutavit in *dona*, et sic iam pridem Victorius in suo exemplari correxerat. cf. Suet. Oct. c. 8 et 25. Tib. c. 32. Plin. 7, 28.

ubi ... obiectavissent. Proxime fuit: *si ... adprobaverant*; quaeritur, cur nunc *obiectavissent* in coniunctivo? Scilicet *si ... adprobaverant* Tacitus scribit ut de eo, quod vulgo fieri solebat; verum *ubi ... obiectavissent* ut de re fortuita, h. e. quae locum habuit, si quando non adprobarent. Nos dicimus: *wenn etwa, wenn einmal*. cf. Ramshorn. Gr. Lat. §. 166. 4. b. p. 417.

Cap. 45. *unaetvicesimae*. vid. not. ad c. 30.

sexagesimum apud lapidem. cf. Itiner. Anton. p. 370. Veteribus Bonnam usque 63. M. P. numerat.

primi sed. coept. cf. c. 31. *orto ab unaetvicés. quintanisque initio*.

Cap. 46. *adulescentium*. Sic libri vett. ut c. 3.

an Augustum ... potuisse. cf. Suet. Oct. c. 20. Dio 54, 20. 55, 6.

tuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanae servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.

XLVII. Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: validior per Germaniam exercitus: propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri, maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia. simul adulescentibus excusatum quaedam ad patrem reiicere: resistentisque Germanico aut Druso posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent? Ceterum ut iam iamque iturus legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem aut negotia varie causatus primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.

XLVIII. At Germanicus, quanquam contracto exercitu et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent,

Cap. 47. *Immotum . . . fixumque.* Synonyma. cf. Roth. p. 14. Similiter Virgil. Aen. 4, 15. *Si mihi non animo fixum immotumque sederet.* Graeci ἄτρεπτον. Plut. Alcib. c. 13. ἄτρεπτος πρὸς τὸ κακῶς ἀκούειν. Lips. in marg. *immotus.* Sed *fixum* trahit *immotum.* Roth. l. l. adiectiva pro substantivis poni censet, non satis recte; namque τὸ *non omittere caput rerum* Tiberio immotum fixumque fuit. Sic Agr. c. 1. *apud priores agere memoratu digna pronum erat.*

quos igitur . . . incenderentur. Locus varie ab interpretibus tentatus, quanquam sanus. Rhenanus vult: *Ecquos ig. ant.* Sed non dubitabat Tiberius, an quos anteferret, sed utros anteferret, ut bene monet Gronovius. Heinsius pro *ac* malebat *hac*, quod referebat ad praecedentia, ut ita utrumque membrum artius cohaereret. Egregie tamen Wolfius: „*ac* insertum est, ut melius distinguantur duo momenta, primum optio ipsa, tum metus." E verbo *angebant* duo ἀναλόγως sunt elicienda: *dubitabat*, utri adeundi forent; *metuebat*, ne postpositi dolerent.

adornavit naves. Sc. in Germaniam Ostia Massiliam iturus, in Pannoniam mare superum traiecturus.

fefellit. cf. Sueton. Tib. c. 38. Noster infr. 4, 4. 3, 47.

Cap. 48. *si . . . consulerent.* Sic Graeci ponunt εἰ, *ob.* cf. Matth. Gr. Gr. §. 526. Hermann. ad Viger. 312. Vide etiam not. ad 11, 23.

praemittit litteras ad Caecinam, venire se valida manu ac, ni supplicium in malos praesumant, usurum promiscua caede. Eas Caecina aquiliferis signiferisque, et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat, utque cunctos infamiae, se ipsos morti eximant, hortatur. nam in pace causas et merita spectari; ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere. Illi, tentatis quos idoneos rebantur, postquam maiorem legionum partem in officio vident, de sententia legati statuunt tempus, quo foedissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant. Tunc signo inter se dato inrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo nisi consciis noscente, quod caedis initium, quis finis.

XLIX. Diversa omnium, quae unquam accidere, civilium armorum facies: non proelio, non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela: clamor, vulnera, sanguis palam: causa in occulto: cetera fors regit. et quidam bonorum caesi, postquam, intellecto in quos saeviretur, pessimi quo-

tentatis. Ed. Beroald. *temptatis*. Edd. Rhenan. sqq. *tentatis*. cf. not. ad c. 19.

contubernia. Veget. 2, 13. *Centuriae in contubernia divisae sunt, ut decem militibus sub uno papilione degentibus unus praeesset decanus, qui caput contubernii nominatur*.

quis finis. Ernestius mavult *qui*. Putat enim in interrogatione diserta rectius esse *quis*; ubi non proprie interrogetur, ut hic, ponendum esse *qui*. Quod longe a vero abest, ut etiam Wolfius vidit. Neque tamen hic dubitationem de *quis* et *qui* diremit. Nam discrimen profecto est. Ubi interrogationis vis cadit in pronomen, ibi ponitur *quis*; ubi vero cadit in substantivum pronomini additum, ibi requiritur *qui*. Hinc unice verum est *quis finis*. Nam finem fore caedis dubium esse nequibat; at quem finem fore nesciebant. Contra apud Phaedr. 1, 13. legimus: *O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!* Perperam Heinsius aliique maluerunt *quis*. Immo interrogationis vis cadit in vocabulum *nitor*, neque quaeritur de nitore aliquo inter plures, qui esse possint, nitores. Eiusdem generis exempla sunt Ovid. Art. 2, 561. Trist. 3, 11, 5. ibid. 4, 1, 23. Valer. Flacc. 4, 704. Ovid. Met. 14, 502. In alteram partem cf. Ovid. Met. 13, 279. Amor. 3, 12, 1. Virg. Georg. 1, 3. Consentientem mecum invenio Kiesslingium de discrimine pronominum *quis* et *qui*. Is tamen hic vult *qui*.

Cap. 49. *caesi, postquam, intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque* etc. Edd. Beroald. Rhen sqq. *caesi, postquam intellectum in quos saeviretur, pessimi quoque* etc. Edd. Lips. sqq. *intellecto*, vera emendatione.

que arma rapuerant. neque legatus aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lacrimis sed cladem appellans, cremari corpora iubet. Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris: nec aliter posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Caesar, iunctoque ponte tramittit duodecim millia e legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

L. Laeti neque procul Germani agitabant, dum iustitio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit: castra

licentia atque ultio et satietas. Belle pro: *licentia ultionis usque ad satietatem*, cf. Roth. p. 32. Est vero hic ἓν διὰ δυοῖν.

piaculum furoris. De hoc adpositionis genere vid. not. ad c. 27.

accepissent. Muretus: *excepissent.* Namque in libris quibusdam se invenisse adfirmat *excepissent.* At libri illi non aliunde potuerunt prodire, nisi e cod. MS. unico, qui test. Pichena habet *accepissent*, uti edd. vett.

sex et viginti. Edd. vett. interpungunt post *sex*, eumque numerum trahunt ad *legionibus.* Melius loco consuluit Lipsius.

Cap. 50. *limitemque.* Munimenta adversus incursiones barbarorum. cf. infr. 2, 7. Germ. c. 29. Hist. 2, 24. 42. 3, 21. Spartian. Hadr. c. 12. Ammian. Marc. 30, 9.

a Tiberio coeptum. cf. Vell. 2, 120. *Coeptum* dicitur *ab aliquo*, quod ab eo originem traxit, quod primus instituit, sine ulla suspicione non perfecti. cf. An. 11, 1. *hortos a Lucullo coeptos*; 6, 30. *adfinitatem coeptam.*

scindit. Quum hoc verbum Lipsio non videretur aptum ob voc. *silvam*, ipse coniecit *scandit.* Consentit Freinshemius. I. Fr. Gronovius *scindit* accipit de limite, ut sit aperire, rumpere, perrumpere; de silva, ut sit dividere, aperire, perviam facere caesis arboribus. Adquiescunt in ea interpretatione recentiores. Obstant tamen plura. Et primum quidem, quis eo sensu silvam limitemque scindit *propero agmine?* Properum agmen celeriter regionem pervadit, nec moratur caedendis arboribus. Ubi obstantia silvarum sunt amovenda, praeeunt expeditae cohortes, ut mox videbimus. Deinde miror per silvam Caesiam tum adhuc eiusmodi viam fuisse aperiendam. Quis enim sibi persuadebit, silvam cis limitem sitam nondum itinera satis tuta et lucida habuisse? Gronovius quidem silvam Caesiam ultra limitem ponit, quasi a limite eam aperuissent, eumque errorem et Wolfio indidit, qui *saltus obscuros* in seqq. de ipsa silva Caesia intelligit. At tum Noster haud dubie scripsisset: *limitem silvamque Caesiam*, non uti nunc legimus: *silvam Caesiam limitemque.* Quae cum ita sint,

in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus. Inde saltus obscuros permeat, consultatque, ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intentatum eoque hostibus incautum. Delecta longiore via cetera adcelerantur. etenim attulerant exploratores festam eam Germanis noctem ac solemnibus epulis ludicram. Caecina cum expeditis cohortibus praeire et obstantia silvarum amoliri iubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Iuvit nox sideribus inlustris, ventumque ad vicos Marsorum et circumdatae stationes stratis etiam tum per cubilia propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis: adeo cuncta incuria disiecta erant: neque belli timor, ac ne pax quidem nisi languida et soluta inter temulentos.

LI. Caesar avidas legiones, quo latior populatio foret, quattuor in cuneos dispertit: quinquaginta mil-

nihili esse Gronovii explicationem censeo verbumque *scindit* eo significatu capiendum, quo est Germ. c. 43. *scindit Sueviam continuum montium iugum*; An. 1, 65. *scindit agmen*; Ovid. Met. 15, 739. *scinditur in geminas partes circumfluus amnis*; ut ita *scindit silvam limitemque* nihil aliud sit, quam: per mediam silvam perque limitem vadit; nos dicimus: *mit einem Heere durchbrechen, durchschneiden*, sc. eundo.

in limite. Ne stricte accipe. Nam *in* ut graecum *ἐν* etiam latiori sensu regionem innuit, qua quid positum est. Sic *in limite* h. e. in eo loco, ubi limes erat; castra haud procul ultra limitem, sed in ipso limitis loco locavit.

munitus. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Wolfius dedit *munit*, quod et priorum quidam posuerant. Alii maluere *munitur*. Mihi magis placet *munitus*. Nam verba: *frontem .... mun.*, adduntur, ut ratio castrorum ante dictorum describatur, non ut novi quid enarretur factum: nec locus est capiendus, tanquam Germanicus primum sciderit silvam limitemque, dein castra locaverit, postremo munierit; sed castra locavit ita ut munitus esset vallo et concaedibus. De structura cf. infr. 6, 43. *adlevatur animum*; 2, 17. *oblitus faciem*; Hist. 3, 74. *casus suos in marmore expressum*; German. c. 17. *nudae brachia ac lacertos*, et alia.

intentatum. Sic edd. Rhenan. sqq. — Ed. Beroald. *ītēptatū*.

cetera adcelerantur. c. 49. *cetera fors regit*.

ac ne pax quidem nisi languida et soluta. *Soluti* dicuntur, apud quos nemo regimen exercet. cf. 2, 4. Hinc *pax soluta* est in qua homines sunt soluti, h. e. in qua ne id quidem regimen aut obsequium exercetur, quod in pace etiam usurpari solet. *Pax languida* est, in qua ne ea quidem vigilantia ac promptitudo, quae in pace etiam usurpari solet. cf. German. c. 36. *nimiam ac marcentem diu pacem*. Roth. p. 14. haec vocabula inter synon. refert; nec contra dico.

Cap. 51. *cuneos*. Cuneus dicitur multitudo peditum, quae pri-

limum spatium ferro flammisque pervastat: non sexus, non aetas miserationem attulit: profana simul et sacra et celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanae vocabant, solo aequantur. sine vulnere milites, qui semisomnos, inermos aut palantis ceciderant. Excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Usipetes: saltusque, per quos exercitui regressus, insedere. quod gnarum duci: incessitque itineri et proelio. pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant: mox prima legio: et mediis impedimentis sinistrum latus unaetvicesimani, dextrum quintani clausere: vicesima legio terga firmavit: post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti: dein latera et frontem mo-

mo angustior, deinde latior procedit. cf. Veget. 3, 19. Caes. B. G. 6, 40. Sed *cunei* etiam omnino sunt catervi militum in iustum ordinem redacti: *Colonnen.* Curt. 3, 2. Tacit. Hist. 2, 42.

Tanfanae. Desunt monumenta, unde certi quid de illo deo vel dea colligi possit. Multi tamen vocis explicationem tentavere. Alii interpretantur *initium rerum;* alii derivant a voce Germanica *Tanne* abies, *Fan* dominus. Strombeckius *Tanfana* suspicatur esse *Tannen-Hain*, indeque derivat vocabulum oppidi *Hamm.* Sed sterilior est de hac re disputatio, quum deficientibus monumentis omnis coniectura nitatur. cf. *Wilhelm, Germanien* etc. p. 129. Schmitthenner in: *Archiv f. Philol. u. Pädag.* 1824. p. 392 sq.

sine vulnere milites. sc. fuere, quod saepe sic omittitur, quare non opus est emendatione Freinshemii, *militis* et *ceciderat*, legentis.

palantis. Edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. pr. *palanteis.* Edd. sqq. *palantis.*

incessitque itineri et proelio. Huius loci rationi explicandae Muretus adhibuit exemplum An. 13, 40. *Non ignaro duce nostro, qui viae pariter et pugnae composuerat exercitum.* At ibi per verbum *composuerat* dativus satis habet, unde pendeat. Nec locus Xenoph. Cyrop. 2, 4. satisfecit. Verba sunt: *Αὐτὸς δὲ συνταξάμενος, ᾗ ἄριστον, καὶ πρὸς τὸ ἀνύειν* (al. *ἀνύτειν*) *τὴν ὁδὸν καὶ πρὸς τὸ μάχεσθαι, εἴ τι δέοι, ἐπορεύετο.* Nam hic *συνταξάμενος* regit sequentia. Quodsi in Taciti loco vocabulum aliquod verbo *συνταξάμενος* simile adesset, nil haesitaremus. Muretus et Wolfius supplendo intelligunt *paratus.* Sic Curt. 3, 8, 23. *itineri simul paratus et proelio.* Non tamen putaverim talia pro lubitu omitti posse, ut divinanda lectori maneant. Rectius igitur dativum explicabimus e praegnanti significatione verbi *incessit* h. e. incessum agminis instituit (id enim vult tempus *incessit*). Iam apte sequitur *itineri et proelio*, *für Marsch und Kampf*, h. e. incessum ita instituit, ut statim, si res poscerent, ex itinere proelium incipi posset. Iuvat ad hunc locum conferri similem dativum, qui est An. 13, 38. *colles clementer adsurgentes accipiendis peditum ordinibus;* 13, 32. *factum et S. C. ultioni iuxta et securitati.* Dativus in eiusmodi locis ponitur pro *ad c.* accus.

unaetvices. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *undevicesimani.* Vide not. ad c. 60.

porrigeretur. Perperam Heinsius: *progrederetur.* Nam exqui-

dice adsultantes tota vi novissimos incurrere: turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Caesar advectus ad vicesimanos voce magna hoc illud tempus oblitterandae seditionis clamitabat: pergerent, properarent culpam in decus vertere. Exarsere animis unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque. simul primi agminis copiae evasere silvas castraque communivere. Quietum inde iter: fidensque recentibus ac priorum oblitus miles in hibernis locatur.

LII. Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere. gaudebat oppressam seditionem: sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. Rettulit tamen ad senatum de rebus gestis, multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione. cunctaque, quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

LIII. Eodem anno Iulia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum adcolunt,

site *porrigeretur* dicitur de agmine, quod eundo in longum extenditur. Sic Plin. epp. 10, 99. *per spatium omne porrigitur flumen.* Id. 5, 6. *Sub his per latus omne vineae porriguntur.* Tac. Hist. 5, 16. *Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis adstitit.* Germ. c. 41. *pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur.*

leves cohortes. Proxime *ceteri sociorum* dicebantur.

Cap. 52. *Nuntiata ... adfecere.* cf. Dio 57, 6. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *nunciata.*

Cap. 53. *ob impudicitiam.* cf. inf. 3, 24. Dio 55, 10. Vell. 2, 100. Suet. Oct. c. 65.

Pandateria. Sic et in Melae et Dionis codd. vocabulum scribitur. Contra Strabo et Plinius *Pandataria*; Ptolemaeus 3, 1. *Pandatoria.* Sita est in sinu Puteolan. (Plin. 3, 7), hodie *St. Mariae* appellatur. Dio dicit τὴν πρὸς Καμπανίᾳ νῆσον. In eandem et aliae sunt relegatae. cf. An. 14, 63. Suet. Oct. c. 53.

Rheginorum. Sic edd. Ber. Rhen. sqq. et sic scribuntur Rhegini ad Siculum fretum. cf. Gruter. inscriptt. p. 174. n. 7. *Reginorum* cod. MS. edd. Oberl. sqq. auctore Wolfio. De re cf. Sueton. Oct. c. 65. Dio 55, 10. 13.

clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Caio et Lucio Caesaribus, spreveratque ut imparem. nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum absceederet. imperium adeptus extorrem, infamem et post interfectum Postumum Agrippam omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus. Par causa saevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio et prave facundus, eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippae temeraverat. nec is libidini finis. traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat: litteraeque, quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quattuordecim annis exsilium toleravit. Tunc milites ad

in matrimonio Tiberii. cf. Dio 54, 31. Suet. Tib. c. 7.

ut imparem. Liv. 6, 34. de Fabia minore, Ambusti filia, nupta viro plebeio: *quod iuncta impari esset*, Tac. Hist. 2, 50. *Maternum genus impar.* Strombeckius putat Tiberii genus non adeo impar fuisse, ut sperni potuerit ab Iulia, intelligitque *imparem* de alia re. Sed cf. An. 2, 43. fin.

inopia ac tabe longa. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 32.

longinquitate exsilii. Quia Rhegium non adeo remotum est ab urbe, Lipsius, Ernestius et Wolfius *longinquitatem* censent dici pro *diuturnitate*. Cf. Caes. B. G. 1, 47. *longinqua consuetudine*; Tac. An. 4, 27. *longinquos saltus*; 3, 24. *peregrinatio longinqua.* Similiter Graec. μακρότης non solum de loco, sed etiam de tempore usurpatur. I. Fr. Gronovius tamen mavult *exitii* pro *exsilii*, idque probat Roth. p. 32. Ryckius vere contra Gronovium disputat accipitque *longinquitatem* de distantia, quae inter urbem et Rhegium erat, scil. CCCXX. milliarium. Et haud dubie, quae in ea locorum distantia fiunt, longinqua dici possunt, si referuntur ad ea, quae in ipsa urbe eveniunt: ac Rhegii si exsul decedit, quis tandem Romae expediet, quo malo afflictus occubuerit morti? At si Rhegium oppidum comparas cum extremis imperii angulis, propinquum est. cf. An. 14, 12. *longinquo ab exsilio Tarentum regressa.* Mox Ernestius sollicitat tempora in *accendebat* et *scripsit.* Scribendum censet *accenderat* et dein *scripserat* propter antecedens *temeraverat.* At nulla plane est eius mutationis ratio idonea. Gracchus *temeraverat* Iuliam, antequam Tiberio traderetur; traditam *accendebat.* Est enim de Graccho narratio per se constans neque aliunde pendens. *Scripsit* est aoristus rem factam simpliciter indicans. Eadem ratione utuntur verba *aperuit*, *suasitque* c. 55. Cf. Ramshorn. Gram. p. 402. c., et not. ad 2, 62. 6, 31. 12, 31.

credebantur. Sc. tum quum scriberentur.

amotus Cercinam. Sc. ab Augusta a. u. 752. simul cum Iulia. Fuit inter eos, de quibus Dio 55, 10. οἱ δὲ λοιποὶ ἐς νήσους ὑπερωρίσθησαν. Ceteri Quinctius Crispinus, Appius Claudius et Scipio, aliique minoris nominis. cf. Vell. 2, 100.

caedem missi invenere in prominenti litoris, nihil laetum opperientem. quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariae per litteras daret: cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degeneraverat. Quidam non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate proconsule Africae missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

LIV. Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti: Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiiciuntur. Ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit

speraverat. Freinsh. Ryck. et Ernestius iterum impugnant formam *speraverat*, malunt *speraverit.* Sed discrimen est. *Speraverit* inde penderet, quod quidam tradidere, ut ita *speravisse Tiberium* iidem dixerint; *speraverat* ore scriptoris additur verbis *auctore Tiberio*, explicandi causa.

Cap. 54. *caerimonias.* Sic edd. Rhenan. sqq. — Ed. Beroald. *cerimonias*; quae tamen An. 11, 15. etc. etiam scribit *caerim.*

addito. Sc. reliquis sacerdotiis.

sodalium Augustalium. Dio 56, 46. et 58, 12. τοὺς τοῦ Αὐγούστου θιασώτας, et 59, 7. τοὺς ἱερέας Αὐγουστείους dicit. cf. Suet. Claud. c. 6. et Galb. c. 8.

ut quondam T. Tatius. Contra Hist. 2, 95. *quod sacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Iuliae genti sacravit.* Sunt qui putent, ambiguam fuisse traditionem de hac re et Tacitum altero loco in diversas partes abiisse At talis inconstantiae suspicionem vix admitti posse in Tacito persuasum mihi est. Pichena et Ryckius ita utrique loco conciliando student, ut Tatium instituisse, Romulum sacravisse in memoriam mortui dicant. Sed ea quoque coniectura suam habet difficultatem.

Titios. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. *Tatios.* Vertranius observavit legendum esse *Titios*, quam scripturam confirmant inscriptiones et optimi aliorum auctorum MSS. cf. Heins. ad Ovid. Fast. 3, 131. Hinc Lipsius edidit *Titios. Tatios* revocaverant Ernestius et Broterius, qui putat Tatios sodales fuisse diversos a Titiis. Wolfius sqq. rediere ad *Titios.*

sorte ducti... adiiciuntur. Suet. Claud. c. 6. *Senatus quoque, ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adiiceretur* (Claudius), *censuit.* Sic et Tiberius, Drusus et Germanicus tunc extra ordinem adiecti.

tunc primum coeptos. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. sqq. et nuper Wolf. sqq. Lipsius dederat *coepta*, quia *ludos Augustales* iam pridem institutos et celebratos observaverat. Sed vide not. ad c. 15. Nimirum hic intelliguntur ludi post mortem Augusto tanquam deo consecrati.

discordia ex certamine histrionum. indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli: neque ipse abhorrebat talibus studiis et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. alia Tiberio morum via: sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

LV. Druso Caesare, C. Norbano Coss. decernitur Germanico triumphus manente bello, quod, quanquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Cattos excursu praecepit. nam spes incesserat dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniae: Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit: suasitque Varo, ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis, atque ipsi tempus fore, quo crimina et innoxios discerneret. sed Varus fato et vi Arminii cecidit. Segestes, quanquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapue-

discordia ex certamine histrionum. Dio 56, 47. *κἂν τούτῳ τὸ πλῆθος, τῶν ὀρχηστῶν τινος μὴ θελήσαντος ἐπὶ τῷ τεταγμένῳ μισθῷ ἐς τὸ θέατρον ἐν τοῖς Αὐγουσταλίοις ἐσελθεῖν, ἐστασίασε· καὶ οὐ πρότερον ἐπαύσαντο ταραττόμενοι, πρὶν τοὺς δημάρχους τήν τε βουλὴν αὐθημερὸν συναγαγεῖν καὶ δεηθῆναι αὐτῆς, ἐπιτρέψαι σφίσι πλεῖον τι τοῦ νενομισμένου ἀναλῶσαι.* *Histriones* intellige pantomimos, genere dicto pro specie.

indulserat ei ludicro Aug. etc. cf. Sueton. Oct. c. 45. Dio 54, 17. Iuven. 6, 63. Suidas: *Ὄρχησις παντόμιμος. ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων.*

Cap. 55. *initio veris et repentino in C. excursu.* Copula *et* offendit Muretum et Acidalium. Wolfius accipit pro *et quidem.* Videtur tamen hic simplex esse copula. Initium veris opponitur aestati, repentinus excursus bello, quod summa ope parabat. Sic 2, 63. *Hermundurorum opibus et Vibillio duce.* Ceterum saepius *et* in Taciti libris superfluum est visum interpretibus. cf. not. ad Hist. 1, 79. 2, 21. 4, 86. An. 2, 39. 13, 21. 28.

in Cattos. Edd. Ber. Rhen. sqq. ad Pichenam *Chattos* hic et c. 56. 2, 7. 25. 41. 88. Sed An. 11, 16 sqq. scribunt *Cattos.* Strabo, Ptolemaeus et Dio habent *Χάττοι.* Eandem aspirationem retinent libri vett. Germ. c. 29. Sed inconstantia scribendi in hoc vocabulo antiquior esse videtur, et res levissimi momenti; quare nil nos morabitur. Recentiorum alii malunt *Cattos,* ut Bekkerus, Lünemannus; alii *Chattos,* ut Passovius, Hessius, aliique.

Segestes parari rebellionem etc. cf. Dio 56, 19. Flor. 4, 12. Vell. 2, 118.

crimina et innoxios. h. e. vera crimina et ficta, noxios et innoxios. cf. Doederlein. l. l.

rat, gener invisus inimici soceri: quaeque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.

LVI. Igitur Germanicus quattuor legiones, quinque auxiliarium millia et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit: totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit: positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto. nam (rarum illi coelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebatur. Sed Cattis adeo improvisus advenit,

gener invisus inimici soceri. Ita coniungi haec verba plerisque ineptum visum est, quia per se intelligatur, genero inviso inimicum esse socerum. Quare duo membra statuunt: *gener invisus*, *inimici soceri*, ut sit gener socero invisus. ipsi soceri (Segestes et Sigimerus cf. Dio 56, 19) inimici. Sigimeri tamen hic non sunt partes. Per totum locum de Arminio tantum et Segeste est sermo; in hos dissidere hostem Germanicus sperabat. Fabula autem de inimicis soceris adeo ieiuna atque ab hoc loco aliena est, ut potius nugatorum garrulorumque circulis conveniat. Immo verba illa: *gener invisus inimici soceri*, sunt ἐπιφώνημα quoddam ad proxime praecedentia: *Segestes quanquam .... rapuerat.* Concisa sententia idem exprimunt, quod dein magis illustratur verbis: *quaeque apud concordes ... erant.* Solent enim generi esse grati dilectique soceris, soceri illis amici. Ibi autem fuit gener invisus, inimicus socer, igitur *gener invisus inimici soceri*, ut ita *quae apud concordes vincula caritatis*, *incitamenta irarum apud illos essent.* Inepta haud dubie esset oppositio, si legeretur: *gener invisus inimico socero.* Iam vero in vulgato nulla plane superest oppositio; *invisus* et *inimicus* sunt epitheta, quis breviter auctor exprimit, insolitos illis invicem fuisse animos. Amat Tacitus hoc dicendi genus. cf. infr 2, 45. *fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur.* 3, 16. *utinam ego potius filio iuveni, quam ille patri seni cessisset.* cf. not. ad 13, 21. Ceterum Pichena coniecit: *gener invisus*, *inimicus socer.* Gruterus *inimici soceri* pro plurali accipit, ut intelligatur tamen unus tantum socer. Alius vir doctus: *gener invisus*, *inimici socii.* cf. Biblioth. Cr. 1827. p. 873.

CAP. 56. *Germanorum cis Rhenum colentium.* cf. Sueton. Oct. c. 21. *Ubios et Sygambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Id. Tib. c. 9. Strabo 4, 3, 4, Tac. An. 2, 26. Dio 55, 6.

metuebatur. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. Ernest. Brot. — Edd. Lips. sqq. et post Wolfium recentiores omnes *metuebantur.* Nam Wolfio testante flumina latine *auctus* habent, flumen *auctum.* Videtur tamen res paulo aliter se habere: *auctus fluminum* denotant auctum deinceps iteratum. cf. Plin. epp. 4, 30. *ter in die statis auctibus* etc. Hic autem non de *auctibus*, sed de *auctu* fluminum sermo est. Numerus verbi proximo subiecto adcommodatur. cf. not. ad c. 10. sub verbo *abstulerat.*

ut quod imbecillum aetate ac sexu statim captum aut trucidatum sit, iuventus flumen Adranam nando tramiserit. Romanosque pontem coeptantis arcebant: dein tormentis sagittisque pulsi, tentatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis iuvare Cattos: sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma, et Marsos congredi ausos prospero proelio cohibuit.

LVII. Neque multo post legati a Segeste venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsedebatur, validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. Nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habe-

tramiserit. Ex emendatione Acidalii hodie edd. omnes vulgant *tramiserat*, scabra verborum constructione. Non enim patitur elegantia scribendi illud: *iuventus tramiserat et arcebant*, ut ita verbum sing. num. et alterum plur. num. simul cum *iuventus* coniungatur in eadem serie. Edd. Beroald. et Rhen. sqq. e cod. MS. *tramiserit*, ut pendeat e superiori *ut:* quod non ineptum est; nam quod improvisus Caesar advenit, id etiam effecit, ut iuventus flumen nando tramitteret, h. e. arma Romanis non opponeret, sed fuga sibi consuleret. Tum a verbis *Romanosque* etc. nova incipit sententia, uti per particulam *que* saepius incipiuntur novae sententiae. cf. An. 11, 35. *quidquid avitum Neronibus et Drusis in pretium probri cessisse. Incensumque et ad minas prorumpentem* etc. 2, 52. *compulerantque* etc. Repono igitur veterem scripturam, dum viri docti exemplis probent, Tacito admitti, quae me offendunt in Acidalii emendatione.

Cap. 57. *quando bellum suad.* I. Gronovius pro *quando* vult *quod* vel *quoniam*, quum in cod. MS. per compendium scribatur *quo* et particula requiratur temporis. At compendium illud significat *quando* habetque id vocabulum eum sensum, ut exprimat nostrum *sintemal.* cf. Sueton. Iul. c. 28. *quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset.* Ibid. c. 7. *quando mater.. non alia esset, quam terra.* Ibid. c. 49. *quando notum est, et quid ille tibi, et quid illi tute dederis.* Tac. An. 12, 48. Hist. 4, 6.

quanto quis aud. promptus. cf. infr. 3, 46. *quanto dites, tanto magis imbelles;* 4, 67. *quanto intentus, tanto occultior.* Hist. 2, 99. *quantumque hebes — tanto promptior.* cf. Ramshorn. Gr. p. 314. sq. et not. infr. ad 3, 17.

rebusque motis. Cod. MS. edd. Ber. Rhenan. sqq. *rebus commotis*, unde Lipsius egregie fecit *rebusque motis.* Ea enim vera est de hac re formula. cf. infr. 2, 1. 43. 14, 61. *Commovere* valet de hominum

tur. Addiderat Segestes legatis filium nomine Segimundum: sed iuvenis conscientia cunctabatur. quippe anno, quo Germaniae descivere, sacerdos apud Aram Ubiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles. adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata: benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit convertere agmen: pugnatumque in obsidentis et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. Inerant feminae nobiles, inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrimas neque voce supplex compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens. Ferebantur et spolia Varianae cladis plerisque eorum, qui tum in deditionem veniebant, praedae data.

LVIII. Simul Segestes ipse ingens visu et memoria bonae societatis impavidus. Verba eius in hunc modum fuere: „Non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies. ex quo a divo Augusto „civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi: neque odio patriae (quippe proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt), verum quia Romanis Germanisque idem conducere, et

animis adfectibusque. cf. 1, 28. 14, 31. 15, 17.

Segimundum. cf. Strabo 7, p. 291.

Germanico pretium fuit. Freinshemius explicat: „satis magnum operae laborisque pretium tulit, sc. erepto Segeste, capta Arminii uxore, receptis Varianis spoliis etc." At eum sensum verbis inesse vetat contextus et potissimum copula in *pugnatumque.* Hinc varie interpretantur viri docti. Wolfius locutionem illam comparat cum voce apud nos obtinente: *interessant.* Scilicet: *Dem G. war es eine interessante Sache.* cf. Hist. 3, 8. *in Veronensibus pretium fuit.* An. 2, 35. *ni pretium foret — noscere.* Germ. c. 31. *pretia nascendi.*

eademque. Ed. Wejkerti *eadem*, vitiose.

Cap. 58. *bonae societatis. Bona societas* (ut *bona fides*) est, quae promissa pactaque servat, h. e. certa, fidelis et qua bene in Romanos meruit. *Memoria* h. e. conscientia. cf. c. 44. *sceleris memoria.* Ernestius non satis feliciter coniecit *nostrae* pro *bonae.* cf. 13, 54 *bona aemulatione.*

fidei et constantiae. ἓν διὰ δυοῖν cf. Roth. p. 24.

idem conducere. Quia verbo *probabam* non satis idonea videbatur inesse significatio, qua ad infinitivum *conducere* referretur, corrigunt nunc *conduceret*, *pacem*, nunc *conducere rebar.* Sed bene Ernestius monuit, prius membrum pendere e *iudicabam*, quod

„pacem quam bellum probabam. ergo raptorem filiae „meae, violatorem foederis vestri, Arminium, apud „Varum, qui tum exercitui praesidebat, reum feci. di„latus segnitia ducis, quia parum praesidii in legibus „erat, ut me et Arminium et conscios vinciret, flagitavi. „testis illa nox, mihi utinam potius novissima! quae „secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt. cete„rum et inieci catenas Arminio et a factione eius iniectas „perpessus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera „novis et quieta turbidis antehabeo: neque ob praemium, „sed ut me perfidia exsolvam, simul genti Germanorum „idoneus conciliator, si poenitentiam quam perniciem „maluerit. Pro iuventa et errore filii veniam precor: „filiam necessitate huc adductam fateor. tuum erit con„sultare, utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit „an quod ex me genita est." Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem, ipsi sedem vetere in provincia pollicetur. Exercitum reduxit, no-

lateat in *probabam.* cf. Germ. c. 13. *sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit.* h. e. iudicaverit et probaverit. Ibid. c. 18. *munera probant* h. e. iudicant, an probanda sint. Sueton. Iul. c. 65. *militem neque a moribus, neque a fortuna probabat.* Graeci δοκιμάζειν. Thucyd. 2, 35. οὕτως ἐδοκιμάσθη ταῦτα καλῶς ἔχειν.

pacem quam bellum prob. Sic Germ. c. 16. *Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.* An. 3, 17. *miseratio quam invidia augebatur*; 5, 6. *ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis.* A Graecis est haec ratio. cf. Hermann. ad Viger. p. 884

exercitui praesidebat Sic infr. 12, 37. *signis Romanis praesidere.* Hist. 4, 74. *legionibus nostris praesidetis.* Contra *praesidere exercitum*, An. 3, 39. *proximum Galliae litus*, 4, 5. *litora Oceani*, 4, 72. *Pannoniam*, 12, 29. *Medos*, 12, 14. cf. Ramshorn. Gr. p. 214. Not.

illa nox. Respicit convivium, de quo c. 55.

defleri magis quam defendi possunt. Spectant haec ad Germanos.

catenas. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *cathenas.*

exsolvam. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *exolvam.*

maluerit. Heinsius et Ryckius iubent scribi *maluerint.* Frustra. Non omnia omni loco conveniunt.

iuventa et errore. ἓν διὰ δυοῖν, quod exemplum Roth. omisit.

utrum praevaleat. Lipsius interpretatur: „Uter plus iuris in eam habeat et utri parere magis debeat, patri an marito mox patri." Freinshem. rectius: „Filiae causam integram Germanici iudicio permittit, cumque duo in ea maxime consideranda sint, et, quod ex Arminio conceperit, ad poenam, quod ex se nata sit, ad veniam valeat, Caesaris arbitrio servat, utrum utri praeferre velit."

vetere in provincia. Cod. MS. vestigia in prima voce sunt obscura. Tradunt ibi esse *vaera* vel simile quid. Inde edd. Beroald. Rhen. sqq.

menque imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit: educatus Ravennae puer, quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

LIX. Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus vecordem agebant: volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem poscens. neque probris temperabat: Egregium patrem! magnum imperatorem! fortem exercitum! quorum tot manus unam mulierculam avexerint. sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae diis patriis suspenderit. coleret Segestes victam ripam: redderet filio sacerdotium: hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum

habent *veterem*, ut significent priorem, qua ante iam usus fuerit, sedem. Lipsius: *vetere*, ut vetus provincia intelligatur Cisrhenana, quae coniectura dein a plerisque in textum recepta est. Sed si ea vetus provincia, ubi tandem nova? Hanc Germanicus animo praevidebat Transrhenanam. cf. Walch. ad Agric. c. 20. Iac. Gronovius vult: *Vetera in provincia* (quod repetit e c. 45). Sed *Vetera* oppidum, non provincia. Broterius tamen sequitur Gronovium. Bipont. *et aera*, h. e. stipendia. Friget, ut bene monet Wolfius. Quodsi licet augere locum nova coniectura, malim *ultro* h. e. insuper: ita super incolumitatem liberis propinquisque concessam ipsi et sedem in provincia polliceatur. Sic infr. 3, 73. *sedemque ultro... postularet.* Attamen *veteris provinciae* etiam infr. 3, 74. in simili loco mentio est.

virilis sexus stirpem edidit. cf. Strabo 7. p. 292.

in tempore memorabo. Fortasse memoravit in libris deperditis; nam hodie apud Tacitum de hac re nil superest.

Cap. 59. *invitis aut cupientibus.* cf. Agr. c. 18. *ut quibus bellum volentibus erat.* Hist. 3, 43. *Maturo ceterisque remanere volentibus erat.* cf. Ramshorn. Gr. p. 481. Structura a Graecis profecta. cf. Matthiae Gr. §. 391. e.

hominem Germanos nunquam satis excusaturos. Sanum locum ut aegrum plerique tractarunt, variisque emendandi studiis vexaverunt. Frustra. *Excusaturos* hic ea ponitur vi atque structura, qua etiam est 3, 11. *iisque diversa excusantibus*; 5, 2. *Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amoenitate vitae, magnitudinem negotiorum per litteras excusavit*; 15, 61. *Seneca, missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis, quod visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amo-*

virgas et secures et togam viderint. aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa: quae quando exuerint, inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adulescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. si patriam, parentes, antiqua mallent quam dominos et colonias novas, Arminium potius, gloriae ac libertatis, quam Segestem, flagitiosae servitutis ducem, sequerentur.

rem quietis excusavisse respondit. Similia sunt Sueton. Oct. c. 101. Cal. c. 27. Ner. c. 41. Claud. c. 6. Liv. 26, 22. 23, 8. Id enim dicitur excusari, in quo causa est quod etc., h. e. praetendere aliquid excusandi studio, causari, adferre praetextum, ut aliquid excusatum sit, προφασίζεσθαί τι. Est igitur Arminii sententia haec: *Hominem* intelligit Segestem et per contemtum ponit *hominem* h. e. unum istum hominem (cf. 16, 28. Cic. pr. Arch. c 10. *Rudium hominem*) et iam dicit, Segestem eiusque proditionem nunquam satis idoneam fore causam, qua sese excusarent ignominiaque purgarent Germani, quod... viderint; istum non debere amissae libertatis causam existere. Quae dicendi ratio si etiam nunc quibusdam non intelligitur, documentum est, Tacitum nondum omnibus nosci penitus. Sunt autem, qui hodie etiam de immutanda loci scriptura cogitent. Nam praeterea quod Lipsius coniecit: *accusaturos;* Acidalius: *enimvero Germanis nunquam satis excusaturum, quod* etc.; Freinshemius: *hominem Germanis nunquam s. excusaturum, quod* etc; Grotius: *homines Germanos... excusaturos*, sc. posteritati; Wolfius: *redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos* etc.; Woltmannus: *sacerdotium hominum* (sc. Caesaris et Augusti): Herrmannus nuper proposuit: *hoc nomen Germanos n. s. excusaturos.* Strombeckius favet Woltmanni rationi; Ricklefs Lipsii, quanquam vulgatam germanice exprimere studuit infeliciter.

ignorantia imperii Rom. Describitur felicitas earum nationum, quae expertes imperii Romani degant, ut Germani excitentur ad eandem felicitatem cupiendam. cf. Sueton. Galb. c. 20. *per ignorantiam locorum retardati.* Ad structuram infr. c. 69. *Seianus, peritiâ morum Tiberii odia in longum iaciens.*

nescia tributa. cf. 16, 14. *neque nescium habebat.* Sic *ignarus* pro *ignotus* 2, 13. 3, 69. et alibi; *gnarum* pro *notum* 1, 5. 63. 3, 6. et alibi.

exuerint. Sc. adflicto Vari exercitu.

inritusque discesserit. Sc. e bello contra Germanos. De Augusto in Germanias totiens profecto vid. c. 46. De Tiberio delecto ad bellum cum Germanis gerendum Suet. Tib. c. 18. Vell. 2, 120. Alii *delectus* perperam accipiunt de Tiberio principatum nacto. Sed quid hoc ad illam rem? Immo *delectus* est inter omnes duces pro praecipuo habitus ideoque prae aliis delectus; opponitur *imperito adulescentulo.* Hinc *delecti* sunt optimi. cf. c. 64. c. 24. 16, 2.

patriam, parentes. Similiter iunguntur apud Sallust. Cat. c. 6.

colonias novas. Opinantur viri docti colonias intelligi in subacta Germania a Romanis instaurandas atque genti Germanorum timendas; hoc tantum disceptatur, utrum novas dicat auctor respectu prio-

LX. Conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae gentes, tractusque in partis Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate. unde maior Caesari metus. et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit. ipse impositas navibus quattuor legiones per lacus vexit: simulque pedes, eques, classis apud praedictum amnem convenere. Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit: interque caedem et praedam repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amisiam et Luppiam amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu,

rum coloniarum, quas Germani delevissent (Dio 56, 18), an potius propter antiqua, quae ante dicta sunt. Falluntur. *Novas colonias* Arminius opponit *patriae*, ut dominos parentibus, illasque intelligit sedes novas in Gallica ripa iis destinatas, qui Germanorum ut Segestes aliique ad Romanos transirent. Sic Augustus (Suet. Oct. c. 21.) Ubios et Sygambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit. Vid. not. ad c. 56. Segimundus in Gallicam ripam missus est c. 57. Segesti etiam sedem in provincia Germanicus pollicetur c. 58. Quare Arminius iam increpat: *coleret S. victam ripam* etc. Hae sunt novae illae coloniae.

Cap. 60. *Pedo praef.* Ricklefs hunc esse poetam illum C. Pedonem Albinovanum suspicatur. cf. Wernsdorf. Poet. lat. min. Tom. IV. p. 34 sqq.

finibus Frisiorum. Nostrates: *an die Grenzen, zu den Grenzen.* Male. Primum *fines* sunt *das Gebiet*; ut infr. 3, 45. *qui finium extremi*; Hist. 1, 8. *finibus ademptis*; ibid. c. 53. *damno finium.* Deinde ablativus *finibus* ut saepe notat viam, qua Pedo duxit equitem, significatque *per fines Frisiorum.* Eodem modo c. 63. *pars equitum litore Oceani petere Rhenum iussa.* Hist. 4, 68. *legiones Penninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur.* cf. Ramshorn. Gr. p. 280. c. Ceterum notandum Frisios tum fuisse pacatos. cf. 4, 72.

classis. Edd. Ber. Rhenan. Ald. *classes.* Edd. Lips. sqq. *classis.*

per lacus. cf. Germ. c. 34. An. 2, 8. Quos lacus postea hausit sinus Austrinus.

urentis. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *urenteis.* Recentt. edd. inde a I. Gronovio *urentis* e cod. MS. Nonnulli *urentes.*

Teutoburgiensi saltu. De quo cf. Gatterer. Hist. univers. synchr. T. II. p. 721 sqq. Mannert. Geogr. III. p. 88 sqq. Clostermeyer in libello: *Wo Hermann den Varus schlug*, Lemg. 1822. qui docuit in-

in quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur.

LXI. Igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. Praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria deformes. prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant:

telligendam esse silvam, quae audit *der Lippische Wald.*

dicebantur. Namque exercitus Romanus tum nondum viderat, sed per famam tantum sciebat. Male igitur Heinsius: *visebantur.*

Cap. 61. *visuque ac memoria deformes.* Cod. MS. test. Pichena *deformides.* Edd. omnes *deformes*, pro quo Heins. et I. Gronovius volebant *deformi.* E syllabis *ides*, quae sunt in cod. MS. ille faciebat *Iidem*, hic *Dein*, ut eo vocabulo sequentia inciperentur. Sed utrumque male adsutum videri non est quod moneam. Melius fortasse coniiceres: *reformides*, ut locus legatur sic: *Incedunt maestos locos: visuque ac memoria reformides.* Ita auctor hisce verbis interrumpit narrationem, ut suos sensus animique adfectum declaret. *Visuque ac memoria* h. e. locos illos ad horrorem formidinemque non solum visentium, sed vel reminiscentium esse. Similiter 4, 3. *seque ac maiores;* 12, 37. *ipsique et coniugi;* Terent Eunuch. 5, 9, 49. *stertit noctesque ac dies.* De verbo *reformides* cf. Plin. epp. 1, 10. *Nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum severitatis: reverearis occursum, non reformides.* Ibid. 5, 8. *qui nullius sibi conscius culpae, posteritatis memoriam non reformidet.* Sed nullius facio hanc coniecturam, quia vulgata bonum fundunt sensum. Locos dicit deformes visu ob miserabiles cladis reliquias etiamtum ibi obvias; memoria h. e. cogitatione, hos esse campos illos etc. Ea scilicet cogitatio aeque ac deformis visus Romanos tum adfecit; hinc utraque re deformes illi loci dici poterant. Infr. 12, 37. eadem vi ponitur *informis.* Herrmannus coniecit: *deformi. Sed prima* etc. sc. traiectis litteris codicis MS.

lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostent. Unanimi errore interpretes *manus* volunt esse *Mannschaften*, quum potius sententia sit: latus castrorum ambitus et dimensa principia ostentabant trium legionum manibus seu operà ea esse facta h. e. tres Vari legiones integras adhuc fuisse, quum illa castra fierent. Res ad extremum redit eodem; dictio tamen elegantior est. Nam vocabulum *manus* ita exquisite dici, quis nescit? cf. Plin. epp. 10, 50. *Hoc opus multas manus poscit.* Sin de trium legionum manu voluisset dicere, tum scripturum fuisse spero: *tres legiones ostentabant*, omissa inutili ambage: *trium legionum manus.* Verba: *dimensis principiis*, converte: *nach dem Maafse, welches die Principien gaben.* Dimensa principia opponuntur ambitui. cf. 15, 43. *dimensis vicorum ordinibus*, Plin. epp.

dein semiruto vallo, humili fossa accisae iam reliquiae consedisse intelligebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata. adiacebant fragmina telorum equorumque artus: simul truncis arborum antefixa ora: lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant. et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas: primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextra et suo ictu mortem invenerit: quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captivis, quae scrobes, utque signis et aquilis per superbiam inluserit.

8, 20. *Lacus est in similitudinem iacentis rotae circumscriptus et undique aequalis, nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria.* Ceterum plurimae edd. male interpungunt: *Prima Vari castra, lato ambitu et dimensis principiis, trium* etc. Nostram rationem et in Rhenan. ed. invenies.

dein. De alio loco iam dicit, qui castrorum instar ibi erat, quod bene vidit Lipsius. *Semirutum vallum* vero non est, quod nostrates nobis dedere, *ein halb eingestürzter Wall;* sed *ein halb aufgeworfener*, vallum ad dimidiam tantum altitudinem perfectum. Nam verbum *ruere* nativa sua vi significat opus rusticum, quod fit rutro et quo rus s. solum s. humus vertitur, nostrum *stürzen*, *aufwerfen.* Ab opere rustico verbum ad aliam quamcunque ruinam translatum est. Iam infr. 4, 25. *semirutum castellum* haud dubie est *ein halb zerstörtes Castell.* At vallum illud quis resciderit? et si rescissum invenerant, quid inde colligi poterat? accisas iam reliquias ibi consedisse? Minime. Id potius intelligebatur ex humili castrorum fossa et vallo ad dimidiam tantum partem perfecto. Inde colligebant, non integrarum legionum manus ibi operatas esse, sed accisas iam reliquias, quarum manus non suffecerant ad iustam fossam, iustum vallum conficiendum.

medio campi. Sc. quod erat inter utraque castrorum loca.

simul truncis arborum antefixa ora. Ne haec referas ad verbum *adiacebant*, quod ad priora tantum pertinet. Ad hoc simplex verbum substantivum est intelligendum. Quare pleniori distinctione ab illis separavi.

et cladis eius. Particula *et* editoribus quibusdam otiosa est visa; hinc delevere. Perperam. Nam plane sic ab initio, locorum et in transitu ponitur. cf. c. 22. *et Vibulenus quidam;* 2, 12. *et cernebantur;* 2, 28. *et vocantur.* vid. not. ad c. 11.

pugnam aut vincula elapsi. Explicandi causa haec adponuntur, ut intelligatur, quomodo cladis superstites facti sint. Quare non est ferenda transpositio particulae *et*, ut cum viro docto legas: *et pugnam* etc.

infelici dextra et suo ictu. Roth. p. 45. hic invenit figuram ἓν διὰ δυοῖν eius speciei, quae succedit in locum adpositionis. cf. not. ad c. 41.

quae scrobes. Intellige scrobes ad captivorum in patibulis iugulatorum cadavera accipienda factas.

LXII. Igitur Romanus qui aderat exercitus sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, maesti simul et infensi condebant. Primum exstruendo tumulo caespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos et praesentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat: neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum attrectare feralia debuisse.

LXIII. Sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites campumque, quem hostis insederat, eripi iubet. Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultaverat. tunc nova acie turbatus eques: missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae auxerant consternationem: trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset. inde hostibus terror, fiducia militi: et manibus aequis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut advexerat, reportat: pars equitum litore Oceani petere Rhenum iussa: Caecina, qui suum militem ducebat, moni-

Cap. 62. *qui aderat.* Ernestius haec verba a librariis male repetita putabat ex initio superioris capitis; Wolfius ex grata quadam negligentia potius addita scribit. Rectius tamen censebis Tacitum prudenter haec addidisse, non solum ut narrationem, locorum descriptione interruptam, superioribus adnecteret (nam supra locutus erat de omni, qui aderat, exercitu); sed etiam ut cum emphasi quadam opponeret exercitum, qui aderat, tribus legionibus attritis, quarum ossa condebantur, uti opponere solemus vivos mortuis, utque mox ipse Tacitus defunctos opponit praesentibus.

exstruendo. Edd. Ber. Rhenan. Ald. *extruendo.*

auguratu et vetustiss. caerim. ἓν διὰ δυοῖν, quod omisit Roth.

Cap. 63. *trudebanturque ... ni ... instruxisset.* cf. not. ad c. 23 et 35.

litore Oceani. cf. not. ad c. 60. s. v. *finibus Frisiorum.*

tus, quanquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames vastas inter paludes et quondam a L. Domitio aggeratus: cetera limosa, tenacia gravi coeno aut rivis incerta erant: circum silvae paulatim adclives, quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Caecinae dubitanti, quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus et alii proelium inciperent.

LXIV. Barbari perfringere stationes seque inferre munitoribus nisi lacessunt, circumgrediuntur, occursant: miscetur operantium bellantiumque clamor. et cuncta pariter Romanis adversa: locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loricis, neque librare pila inter undas poterant. contra Cheruscis sueta apud paludes proelia, procera membra, hastae ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. nox demum inclinantis tum legiones adversae pugnae exemit. Germani ob prospera inde-

angustus is trames. cf. Lipsius ad h. l. Alting. notit. Germ. inf. ant. P. I. tab. 2. Mannert. III. p. 100. Clostermeyer. p. 76 sqq. qui locum ponit ad veterem, quae dicitur, Romanorum viam Alisone ad Herfordum ducentem.

a L. Domitio. cf. 4, 44. Suet. Ner. c. 4.

in loco. cf. 4, 47. *castris in loco communitis*; 13, 41. *castra in loco metatus.* Quare frustra Heinsius coniectavit: *illico.* Immo intellige in loco, ubi pontes erant reponendi; non ultra progressus.

ut opus et alii proelium. Sic Liv. 3, 37. *virgis caedi, alii securi subiici.* Caes. B. G. 1, 8. *Helvetii ... navibus iunctis ... alii vadis Rhodani ... si perrumpere possent, conati.* Etenim formula *alii — alii* — stricte in duas partes discernit eos, qui fecere aut passi sunt aliquid. Omisso priori *alii* indicatur, in universum quidem hoc esse factum, alios tamen et illud fecisse aut passos esse.

Cap. 64. *inferre m. nisi.* Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *nissi.*

nox demum. Ed. Beroald. *mox d.*, quod Victorius in suo exemplari correxerat *nox*, uti habent sqq. edd.

inclinantis tum l. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Freinshemio aptius videbatur *iam* pro *tum*; Heinsius volebat *multum* vel *opportune.* Freinshemii coniecturam recepit Wolfius ob exempla c. 61. *accisae iam*, Germ. c. 8. *inclinatas iam.* Sed inde non consequitur, huic quoque loco eandem particulam esse inserendam. *Tum* respicit ad vocabulum *nox*, dicitque eodem tempore noctem legiones adversae pugnae exemisse, quo inclinasse coeperint; nec quidquam impedit, quo minus locus ita accipiatur. *Iam* vero non habet, quo apte referatur. Aliud esset

fessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur, vertere in subiecta: mersaque humo et obruto, quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus. igitur futura volvens non aliud repperit, quam ut hostem silvis coerceret, donec saucii, quantumque gravioris agminis, anteirent. nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, unaetvicesima in laevum, primani ducendum ad agmen, vicesimanus adversum secuturos.

LXV. Nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. ducemque terruit dira quies. nam Quintilium Varum, sanguine oblitum et paludibus emersum, cernere et audire visus est velut vocantem, non

inclinatas iam. Quod mox iterum occurrit *tum*, id non sufficit ad detrudendum prius *tum*; talia enim sunt apud Nostrum. — Consentit Kiesslingius.

futura volvens. Sic breviter dicit pro *f. animo volvens.* cf. 3, 38. *bellum volverat.* Similiter 4, 64. *adfecit* pro *calamitate adfecit*; 11, 22. *curarent* pro *res curarent*; Hist. 1, 7. *turbantem* pro *turbantem res.* An. 2, 33. *excessit* pro *excessit relationem.*

coerceret. Edd. Ber. Rhen. Ald. *coherceret.*

unaetvices. Edd. vett. *undevices.* ut supra.

Cap. 65. *invalidi ignes.* Gruterus intelligit ignes coenae parandae corporibusque curandis accensos, ut ita opponantur festis epulis Germanorum. Rectius accipit Lipsius de ignibus vigilum, excubiarum, stationum. Namque laeti ibi animi gaudent ignibus laetis. Conveniunt milites, circumdantur flammis, diligenter eas alunt, cantu et iocis delectantur. Sed illo tempore praeter singulos vigiles custodesque nemo ad curandos ignes accessit. Adiacebant vallo, oberrabant tentoriis.

interruptae voces. Non laetus cantus, non alacres clamores, ut adsolet inter victorem exercitum; sed singulae tantum vigilum voces statis intervallis audiebantur. Commode ad h. l. Lipsius comparavit Xenoph. Anab. 3, 1, 3.

dira quies. Lucan. 7, 26. *Dira quies et imagine maesta diurna. Dira* sc. propter infaustum omen.

Quintilium. Sic edd. Rhen. Ald. cf. not. ad c. 3. Ed. Ber. *Quintillium.* Edd. Lips. sqq. *Quinctilium.*

tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse. Coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere, capto propere campo humentia ultra. Neque tamen Arminius, quanquam libero incursu, statim prorupit: sed ut haesere coeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore, sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, inrumpere Germanos iubet, clamitans, „En Varus et eodemque iterum fato vinctae legiones!" Simul haec et cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit: illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus disiicere obvios, proterere iacentes. plurimus circa aquilas labor, quae neque adversum ferri ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina, dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. iuvit hostium aviditas omissa caede praedam sectantium, enisaeque legiones vesperascente die in aperta et solida. Neque is miseriarum finis. struendum vallum, petendus agger: amissa

intendentis. Sc. Vari, ut Caecinam secum traheret.

reppulisse. Sic edd. Ber. Rhen. Ald. ut semper.

et eodemque. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhenan. Ald. Male seduli seqq. interpretes deleverunt *que* in *eodemque*, quod supervacaneum ipsis videbatur propter *et.* Sed minime abundat. *Et* coniungit Varum et legiones; *que* subiungit *eodem iterum fato victas*, ut sit nostrum *auch.* cf. not. ad c. 28. Nam Arminius non solum Caecinam Varo, illiusque exercitum Vari legionibus comparat, sed eodem etiam iterum fato victos dicit. Pichena emendabat: *En Varus, en, eodemque* etc. quod nuper repetiit Herrmannus in versione et Kiesslingius in edit.

vinctae. Sic cod. MS. test. Iac. Gronov. cf. Hist. 1, 79. Agr. c. 32. *victae* edd. Ber. sqq. cf. Doederlein. T. I.

simul haec et. Graee ἅμα — καὶ — cf. Buttmann. Gr. §. 137. sub ἅμα. Thucyd. 1, 95. ξυνέβη δὲ αὐτῷ καλεῖσθαί τε ἅμα καὶ τοὺς ξυμμάχους κ. τ. λ. Similia exempla Dio 55, 27. 28. Stat. Theb. 2, 659. *Simul haec et crassum* etc. Non igitur audiendus Faërnus, qui delebat *et.* cf. 4, 25.

excussis rectoribus. Heinsius frustra *vectoribus.* cf. Sueton. Tit. c. 4. et Duker. ad eum locum. Drakenb. ad Sil. Ital. 17, 137.

circumveniebatur. cf. not. ad c. 23 et 35.

petendus agger. cf. Caes. B. G. 2, 20. *qui paulo longius aggeris petendi causa processerant, arcendi.* Vid. not. ad 2, 81. Male Heinsius coniiciebat: *repetendus agger.* Etenim falso ille vir locum accipiebat de repetendo labore viae per angustum aggerem (de quo c. 63.) faciendae. Immo ad struendum vallum agger petebatur.

magna ex parte, per quae geritur humus aut exciditur caespes: non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos coeno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras et tot hominum millibus unum iam reliquum diem lamentabantur.

LXVI. Forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit. tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Caecina, comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam: simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse docuerunt.

LXVII. Tunc contractos in principia iussosque dicta cum silentio accipere temporis ac necessitatis monet: Unam in armis salutem: sed ea consilio temperanda, manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes spe propius succederent: mox undique erumpendum: illa eruptione ad Rhenum perveniri. quodsi fu-

per quae geritur. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Aldus et sequentes editores recepere Rhenani coniecturam *egeritur.* Sed hic non est sermo de aggere e fossa egerendo; verum de aggere longius petendo ad struendum vallum, qui geritur h. e. portatur corbulis et sportis. Ab his distinguuntur, per quae exciditur caespes.

non tentoria manipulis. Salmasius de mil. R. propter vocem *tentoria* putabat manipulos h. l. esse contubernia, quem bene refutavit Ernestius. Is tamen aeque fallitur, arbitratus, vocabulum manipulorum hic sine omni respectu tentoriorum usurpari et potuisse etiam dici *cohortibus.* Sed prudenter Noster scripsit *manipulis,* quia manipulatim tentoria in castris stabant ideoque sine dubio manipulatim quoque coniuncta in itinere vehebantur.

CAP. 66. *Caecina .... proiectus.* Idem factum in Plutarch. Pompei. ab init. memoravit Lipsius ad h. l.

pavorem esse. Wolfius e cod. MS. cum Iac. Gronovio voluerat reponi *esse,* quod vulgo deerat. Sed operae non paruerunt. Lünemannus habet; Bekkerus omisit cum Rhenano. Ed. Beroald. *pavorem esse.*

CAP. 67. *temporis ac necessitatis.* ἓν διὰ δυοῖν. Roth. p. 32.

spe propius. Virgula Wolfii inter utramque vocem nihili erat, quare delevi cum Bekkero. Sunt eiusmodi transpositiones apud Nostrum An. 13, 54. *ereptum ius legatis ducendi in hostem;* 14, 2. *ardore retinendae Agrippinam potentiae;* 14, 3. *ministros tentare arduum*

gerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam: quae domi cara, quae in castris honesta, memorat: reticuit de adversis. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent.

LXVIII. Haud minus inquies Germanus spe, cupidine et diversis ducum sententiis agebat, Arminio, sinerent egredi, egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam praedam fore. Igitur orta die proruunt fossas, iniiciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo. postquam haesere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubae concinuere. exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hic silvas, nec paludes, sed

videbatur mulieris etc. . 14, 18. *missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos* etc.

quae in castris honesta. Intell. dona militaria, si meminerint.

orsus a suis. Lipsius mavult *a suo* propter Caes. B. G. 1, 25. At recte monuerunt interpretes, ibi rem in acie geri, hic in castris, ubi haud dubie plures duci equi alebantur.

Cap. 68. *suadente, atrociora.* Ed. Beroald. *suadente atrociora.* Distinctionem inter utramque vocem Rhenanus posuit.

proruunt fossas, iniiciunt crates. Sic edd. Ber. Rhenan. sqq. Pro *fossas* cod. MS. habet *fossos*, observavitque I. Gronov. saepius ibi permutari *o* et *a*. Iam vero, *proruere fossas*, sunt qui dicant esse nihili, ideoque cum Turnebo, Freinshemio, Ryckio mutent: *proruunt, fossis iniiciunt crates*, ut ita *proruunt* idem sit quod *prorumpunt*, qui tamen verbi usus probari exemplis nequit, ut docuit I. Fr. Gronovius ad h. l. Ponitur quidem sensu intransitivo; at tum non est *prorumpere*. cf. 15, 22. *et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit.* Significatu transitivo *proruere* est de statu suo aliquid vel aliquem deiicere. Sic *proruere arbores* 2, 17. *hostem* Hist. 3, 22. *munitiones* Caes. B. G. 3, 26. *vallum* Frontin. 2, 5. *opera* Plin. epp. 8, 17. Hinc in formula *proruunt fossas* haud absurde id verbum in universum accipies pro *destruere*, ut ita *proruunt fossas* sit: proruunt humum in fossas. Tum Noster idem dicit, quod Caes. B. G. 7, 79. *fossam cratibus integunt atque aggere explent.* Etenim crates non iniiciebantur ad explendas fossas, sed ut instar pontis essent. Diversus cratium usus oppugnantibus est Hist. 3, 20. 4, 23. 2, 22.

aequis locis aequos deos. Hosti facile excidium et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur: cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversae legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere.

LXIX. Pervaserat interim circumventi exercitus fama, et infesto Germanorum agmine Gallias peti: ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit: non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quaeri. nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tanquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque

hosti facile excidium. Lipsius coniicit: *hostis*, ut ita coniungas *hostis excidium.* Vulgatum melius est.

quanto inopina. Vid. not. ad c. 57.

offunduntur. Edd. Ber. Rhenan. Ald. Micyll. *offenduntur.* Rhenanus tamen in castigatt. suppeditat *offunduntur*, quod exstat in edd. Lips. sqq.

donec ira et dies permansit. Heinsius emendat: *donec iratis dies permisit.* At in vulgata scr. nil est, quod sobrium hominem offendere possit. Dicit enim, satietatem caedis et noctem tandem trucidationi finem imposuisse.

Cap. 69. *fomenta.* Sc. sauciis. cf. c. 65. *non fomenta sauciis.*

C. Plinius. cf. Sueton. de vir. illustr. Tac. An. 15, 53. Hist. 3, 28.

pontis. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. *ponti.* Edd. Ald. sqq. *pontis*, uti Victorius in suo exemplari correxerat.

simplices. Graece ἁπλοῦς, *ehrlich* h. e. in quibus nulla fraus, nullus dolus. Sueton. Tib. c. 61. *crimen paucorum simpliciumque verborum.* Plin. epp. 1, 13. *dissimulanter* et *furtim* opp. *simpliciter et libere.*

largitionem tentet. Respicit ad vestem et fomenta, quae dilargita est. Ed. Beroald. *temptet;* Rhen. *tentet.*

Caligulam appellari velit. potiorem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces: compressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit. Accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret.

LXX. At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secundam et quartam decumam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice adlabente aestu quietum habuit: mox impulsu aquilonis, simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen. et opplebantur terrae: eadem freto, litori, campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: iumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant. permiscentur inter se manipuli, modo pectore,

compressam a muliere seditionem. c. 41.

odia in longum iaciens. Sic Graeci βάλλειν τί h. e. struere: *stiften, den Grund legen zu einer Sache. in longum* h. e. multo tempore ante quam promerentur. Perperam Heinsius pro *iaciens* malebat *acuens.*

CAP. 70. *reciproco sideret.* Plin. 5, 4. *mare reciprocum;* id. 9, 57. *amnis reciprocus.* Hic *Ebbe.*

sicca ... aestu. Heinsius coniectat: *siccata humo aut modice uda, relabente aestu;* vel: *at modice adlabente aestu.* Sed locus non ita laborat, ut tali medicina opus sit. Vitellius litore exercitum duxit primumque iter habuit quietum; nam aut plane sicca humo via patebat, recessus tempore, aut, si rursum adflueret aestus, modice tamen adlabebatur neque ita tumescebat, ut iter continuare nequirent.

aequinoctii. sc. autumnalis.

rapi agique. Synonyma esse dicit Roth. p. 17. Immo agmen rapitur a fluctibus vehementioribus; tum rapti aguntur h. e. portantur, feruntur ab unda.

sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus. Intell. homines (quorum notio latet in voce *agmen*), quia incerta ab solidis, brevia a profundis discerni non poterant. *Iumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant* sc. hominibus. Sic bene locum distinxere Lips. Pich. Gronovii et Freinshemius et Ryckius aliique. Wolfius tamen revocavit veterum editionum rationem, quam hodie sequuntur plerique: *sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, sarcinae: corpora* etc. Sed non video, quomodo *sarcinae* dici possint *sterni;* id verbum in tali relatione nonnisi de animantibus et de rebus stantibus dici videtur. Tum etiam nego, Tacitum de iumentis sarcinisque cum tali emphasi locuturum fuisse, dum taceret de hominibus aut obiter tantum, quid illis acciderit, narraret.

modo ore tenus exstantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti. non vox et mutui hortatus iuvabant, adversante unda: nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab rudi, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit. pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet: quippe illis etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium. Lux reddidit terram, penetratumque ad amnem Unsingim, quo Caesar classe contenderat. impositae deinde legiones, vagante fama submersas: nec fides salutis ante quam Caesarem exercitumque reducem videre.

LXXI. Iam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis praemissus ipsum et filium eius in civitatem Ubiorum perduxerat. data utri-

exstantes. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *extantes*, uti solent.

non vox. Edd. Ber. et Rhenan. *nox, vox.* In castigatt. Rhen. suppeditat *nec vox;* quod Aldus edidit. Lipsius et sqq. edd. maluere *non vox.* Ceterum in *vox et mutui hortatus* est ἓν διὰ δυοῖν. Nil igitur opus Wolfii emendatione *aut mutui* scribentis.

sapiens ab rudi. Cod. MS. et vett. edd. *sapiens a prudenti*, aperto vitio. Hinc varia coniecere. Lipsius: *sapiens ab imprudenti;* Pichena: *insciens a prudenti;* Lampugnanus (Freherus) et Freinshemius: *sapiens ab rude* (vel *rudi*), quod unice placebat Wolfio. Recepi cum Bekkero. Nam *rudis* de imperito frequens est apud Nostrum. cf. c. 29. 4, 8. 13, 16. Hist. 1, 86. Intelligit iuniores, qui etiam Hist. 4, 69. *sapientibus* opponuntur, uti strenui ignavis. *Sapiens* latiori sensu valet, ut graec. σοφός. *Ab rudi* per errorem facile potuit abire in *a prudi*, unde emendandi studio factum *a prudenti.*

sine utensilibus. Utensilia sunt τὰ χρειώδη Graecorum h. e. quae ad victum sunt necessaria. cf. 2, 60. *quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet;* 3, 52. *utensilium pretia in dies augeri;* 15, 39. *subvectaque utensilia ab Ostia.*

nudo ... corpore. Heinsius malebat *udo* pro *nudo*, quem bene refutavit Ernestius. Omnes enim *udo corpore* fuisse crediderís; nudum autem corpus non stricte de omnis vestitus defectu accipiendum esse censeo; nam aliquid saltem vestium ex undis rettulerint, at corruptum, pannosum et amissis sarcinis irreparabile. Sic Graeci usurpant vocem γυμνός.

Unsingim. Cod. MS. et vett. edd. *Visurgin*, quod est contra omnem locorum situm. Quare Lipsius coniecit *Vidrum* (*die Vechta*) Ptolem. 2, 11. Alting. not. Germ. inf. p. 130. *Unsingin* (*Hunse* s. *Unse*), quod recentiores omnes recepere. Reichard tamen (in libello: *Germanien unter den Römern.* p. 186.) vult *Vidrum* intelligitque fluvium, qui hodie dicitur *Wymerz*, lacui austrino influens.

Cap. 71. *filium eius.* Strabo 7, p. 291. *Sesitachum* nominat.

que venia, facile Segimero, cunctantius filio, quia Quintilii Vari corpus inlusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliae, Hispaniae, Italia, quod cuique promptum, arma, equos, aurum, offerentes. quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem iuvit. utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et cura sibique et proelio firmabat.

LXXII. Decreta eo anno triumphalia insignia A. Caecinae, L. Apronio, C. Silio ob res cum Germanico gestas. Nomen patris patriae Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit, neque in acta sua iurari, quanquam censente senatu, permisit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. non tamen ideo faciebat fidem civilis animi. nam legem maiestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant: si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica maiestatem populi Romani minuisset. facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis spe-

cunctantius. Sic cod. MS. edd. Pichen. sqq. Beroaldo auctore ante Pichenam vulgabatur *cunctatius.*

Quintilii. Repete not. ad c. 3.

Cap. 72. *nomen patris patriae.* Sueton. Tib. c. 26 et 67. Dio 57, 8. De huius nominis vi cf. Dio 53, 18.

neque in acta sua iurari. Suet. Tib. c. 26. Dio 57, 8. qui scribit: *οὐδ᾽ ὅπερ ἐπί τε τῷ Αὐγούστῳ δεῦρο ἀεὶ ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς μετ᾽ ἐκεῖνον ἄρξασιν — ἐπί τε τοῖς τὸ κράτος ἀεὶ ἔχουσιν ἐξ ἀνάγκης γίγνεται, τά τε πραχθέντα ὑπ᾽ αὐτῶν καὶ τὰ πραχθησόμενα ὑπὸ τῶν ἀεὶ ζώντων ὅρκοις τισὶ βεβαιοῦσθαι· οὐδὲ τοῦτο τά γε πρῶτα ἐφ᾽ ἑαυτῷ περιεῖδε γενόμενον· καίτοι ἐπὶ ταῖς τοῦ Αὐγούστου πράξεσι τούς τε ἄλλους πάντας ὥρκου, καὶ αὐτὸς ὤμνυε.* Res coepit a triumviris in honorem Iulii Caesaris interfecti. Dio 47, 18. Repetita est deinde in honorem Augusti post victoriam Actiacam. Dio 51, 20. et 53, 28.

dictitans. Cod. MS. et vett. edd. *dictans.* Sed Tacitus ubique *dictitare* scribit eo significatu. Hinc veteres iam interpretes id verbum hic quoque recipiendum esse censuerant. Wolfius recepit. *Dictare* est verba praeire, quae alius calamo excipiat. Sueton. Tib. c. 22. Tit. c. 6. Dom. c. 13. Uti hic ita infr. 2, 65. et Suet. Caes. c. 30. libri variant inter utrumque verbum.

cie legis eius tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat. mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore an iudicia maiestatis redderentur? exercendas leges esse respondit. Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus vulgata in saevitiam superbiamque eius et discordem cum matre animum.

LXXIII. Haud pigebit referre in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, praetentata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio obiiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium

specie legis eius. Dio 56, 27.

Cassii Severi libidine. Libido, studium immoderatum et lascivum, cf. 4, 35. *Non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita.* 5, 4. *libidinem ingeniorum.* Plin. epp. 8, 6. *procedendi libido.* Sueton. *licentiam* dicit; nos *Frevel,* Graeci ὕβρις, cf. Dio l. l. μαθὼν ὅτι βιβλία ἄττα ὑφ' ὕβριν τινῶν συγγράφοιτο κ. τ. λ.

an iudicia m. redderentur. Sueton. Tib. c. 58. Dio 57, 19. „*Iudicia reddere* vel *dare* dicitur praetor, cum potestatem agendi actionemque et iudices dat. cf. L. 1. D. nautae caup. stabul. L. 21. D. de negot. gest." Strombeck. cf. 6, 11. *qui ius redderet.* 13, 51. *iura redderent.*

carmina incertis auctoribus vulgata. Suet. Tib. c. 59.

Cap. 73. *Haud pigebit referre* etc. Ad hoc caput conferendus Dio 57, 9.

modicis equitibus. Modicus de bonis fortunisque. cf. An. 11, 7. *se modicos senatores.*

gravissimum exitium. Senec. de benef. 3, 26. *Sub Tiberio Caesare fuit accusandi frequens et paene publica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit* etc.

ut quibus initiis .... noscatur. Lipsius verba: *dein regressum sit,* refert ad tempora Vespasiani et Titi, in eaque explicatione Broterium, Wolfium, alios acquiescere video. Ryckius totum locum de Tiberii principatu accipit. Recte. Nam diserte Noster dicit: *ut noscatur, quibus... corripuerit.* Iam vero si repressio, de qua loquitur, ad Vespasianum et Titum, et quae sequuntur, ad Domitianum pertinerent, quomodo possent nosci ex hoc Annalium opere, quod finitur exitu Neronis? Immo *repressum sit* etiam coniungendum est cum verbis: *quanta Tiberii arte,* totusque locus de Tiberio intelligendus, qui sub initium principatus exitium illud non quidem impedivit, quo minus inreperet, repressit tamen, ne se auctore inrepsisse videretur, postremo autem ita saeviit, ut cuncta corriperentur. Cf. infr. 3, 56. *Tiberius, fama moderationis parta, quod ingruentis accusatores represserat, mittit litteras* etc. et 6, 51. *occultum .... utebatur.*

per omnes domos. Intellige *domos* familiarum inlustrium; nam *domus* non valet de quibusvis aedibus.

quendam mimum corpore infamem adscivisset: quodque venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti. Quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus: non ideo decretum patri suo coelum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis, quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset. nec contra religiones fieri, quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Iusiurandum perinde aestimandum quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias diis curae.

LXXIV. Nec multo post Granium Marcellum praetorem Bithyniae quaestor ipsius Caepio Crispi-

corpore infamem. Intell. *impudicum.* cf. not. ad Germ. c. 12.

numen Augusti. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. *nomen A.* Wolfius bene recepit Freinshemii emendationem *numen.* Similiter haec vocabula in vett. libris confunduntur infr. 14, 14. Hist. 4, 57. Sueton. Cal. c. 24. ubi vulgatum *nomen* iam cessit meliori voci *numen.* *Violatum Augusti numen* iterum legitur 3, 66.

quos mater sua. Dio 56, 46. Sueton. Cal. c. 56. Ioseph. Ant. 19, 1.

Cap. 74. *praetorem Bithyniae.* Lipsius cum Mercero et Savilio haerebat in vocabulo *praetorem,* quod mutandum censebat in *proconsulem.* Rationem addit: „nam Bithynia divisione Augusti inter eas provincias, quae senatui et populo relictae: i. e. proconsulares." Ernestius contra monuit, *praetoris* nomen poni de praeside quocunque provinciae: quae Ernestii opinio vix probabitur idoneis exemplis e Tacito petitis. Cum Ernestio autem et post illum Rupertius ad h. l. ita vera falsaque miscuit, ut uberiori huius rei explicatione iam supersedere nequeamus. Et primum quidem pauca de illa provinciarum divisione sunt repetenda e Dion. 53, 12. et Strab. 17, p. 840. Ille scribit: *καὶ ἐνομίσθη διὰ ταῦτα ἡ μὲν Ἀφρικὴ καὶ ἡ Νουμιδία, ἥ τε Ἀσία καὶ ἡ Ἑλλὰς μετὰ τῆς Ἠπείρου, καὶ τὸ Δαλματικὸν, τό τε Μακεδονικὸν καὶ Σικελία, Κρήτη τε μετὰ Λιβύης τῆς περὶ Κυρήνην, καὶ Βιθύνια μετὰ τοῦ προςκειμένου οἱ Πόντου, Σαρδώ τε καὶ Βαιτικὴ, τοῦ τε δήμου καὶ τῆς γερουσίας εἶναι.* Strabo autem de ea re: *ἀλλ᾽ ἐν ἀρχαῖς τε διέθηκε ποιήσας ὑπατικὰς μὲν δύο· Λιβύην μὲν, ὅση ὑπὸ Ῥωμαίοις (ἔξω τῆς ὑπὸ Ἰούβα μὲν πρότερον, νῦν δὲ Πτολεμαίῳ τῷ ἐκείνου παιδί), καὶ Ἀσίαν τὴν ἐντὸς Ἅλυος καὶ τοῦ Ταύρου, πλὴν Γαλατῶν καὶ τῶν ὑπὸ Ἀμύντου γενομένων ἐθνῶν, ἔτι δὲ Βιθυνίας καὶ τῆς Προποντίδος.* Bithynia igitur provincia non fuit consularis, sed praetoria. Addit Dio l. l. c. 14. *Οὕτω μὲν καὶ ἐπὶ τούτοις ἔκ τε τῶν ἐστρατηγηκότων καὶ ἐκ τῶν ὑπατευκότων ἄρχοντες ἀμφοτέρωσε πέμπεσθαι ἐνομίσθησαν. καὶ αὐτῶν ὁ μὲν αὐτοκράτωρ ὅποι τέ τινα καὶ ὁπότε ἤθελεν ἔστελλε· καὶ πολλοὶ καὶ στρατηγοῦντες καὶ ὑπατεύοντες ἡγεμονείας ἐθνῶν ἔσχον, ὅγε νῦν ἔστιν ὅτε γίγνεται. τῇ δὲ δὴ*

nus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone: qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum, et audaciae hominum fecerunt. nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis saevitiae principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum insimulabat

βουλῇ, ἰδίᾳ μὲν τοῖς τε ὑπατευκόσι τήν τε Ἀφρικὴν καὶ τὴν Ἀσίαν, καὶ τοῖς ἐστρατηγηκόσι τὰ λοιπὰ πάντα ἀπένειμε. Ex his patet, Caesarem promiscue et consulatu et praetura functos in suas provincias misisse; a senatu autem viros consulares missos in provincias consulares, praetorios in praetorias. Hinc App. B. Mithr. 254. Πόντου δὲ καὶ Βιθυνίας πέμπεται τὶς στρατηγός. Vides, provinciae generis ratione habita rectissime Tacito dici *praetorem Bithyniae*. At *proconsul Bithyniae* invenitur An. 16, 18. et Plinius in epp. saepissime Bithyniae praesides, antecessores suos, proconsules dicit, nunquam propraetores vel praetores. cf. eiusd. epp. 10, 109. 113. 65. aliisque locis. Nimirum Augustus secundum Dion. 53, 13. praesides provinciarum a senatu missos iussit esse μήτε ξίφος παραζωννυμένους, μήτε στρατιωτικῇ ἐσθῆτι χρωμένους, καὶ ἀνθυπάτους καλεῖσθαι μὴ ὅτι τοὺς δύο τοὺς ὑπατευκότας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους τῶν ἐστρατηγηκότων —, τοὺς δὲ ἑτέρους (a Caesare missos) ἀντιστρατήγους ὀνομάζεσθαι, κἂν ἐκ τῶν ὑπατευκότων ὦσι, διέταξε. Namque propraetoris vocabulum magis conveniebat ducibus exercituum, quales essent Caesaris legati; proconsules aptius dicebantur praesides pacatarum provinciarum, quae pertinerent ad senatum. Quod Ernestius adfirmavit, praetorem dici quemcunque provinciae praesidem, Tacito quidem incognitum est, qui accurate distinguit *proconsules* h. e. praesides a Senatu missos (An. 1, 53. 2, 52. 13, 1. 13, 33. 14, 46. 16, 10. 18. Hist. 1, 76. 3, 46. 4, 48. 50.) et *propraetores* h. e. Caesaris legatos (An. 12, 40. 13, 51.) nec unquam praetorem dicit nisi magistratum urbanum. Provocat quidem Ernestius ad An. 2, 56. 77. 4, 15. quibus locis *ius praetoris* et *vis praetoris* opinatur dici pro iure et vi magistratus provincialis. Sed intelligendum potius est ius et vis legatorum Caesaris, non proconsulum. Quae cum ita sint, censeo aut sciolum quendam librarium apud Tacitum *proconsulem Bithyniae* mutasse in *praetorem*, quia comperisset, Bithyniam esse provinciam praetoriam, aut peculiari quadam de causa nobis incognita hic praetorem Bithyniae dici. Quid, si Marcellus fuit legatus Caesaris extra ordinem et nomine praetoris missus cum exercitu, ut regeret Bithyniam? Non enim Augustus provincias, quae essent populi, propterea neglexit; sed omnium haud secus ac si suae essent, maximam habuit curam. Ita in Bithynia ipse adfuit a. u. c. 734. ibique omnia constituit. cf. Dio 54, 7.

subscribente. cf. Sigonius de iudiciis II, 10.

qui formam vitae i. Sc. Crispinus, quod patet e sqq. *Marcellum insimulabat .... addidit Hispo.* etc. Sic Cic. pro Arch. c. 10. *Sulla, cum Hispanos et Gallos donaret, credo hunc petentem repudiasset: quem* (sc. *Sullam*, non *petentem*) *nos* etc.

sinistros de Tiberio sermones habuisse: inevitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo. nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo statuam Marcelli altius quam Caesarum sitam, et alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam. ad quod exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret se quoque in ea causa laturum sententiam palam et iuratum: quo ceteris eadem necessitas fieret. Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso, „Quo, inquit, loco censebis, Caesar? si primus, habebo „quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens „dissentiam." Permotus his, quantoque incautius efferverat, poenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis. de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est.

alia in statua ... inditam. Sueton. Tib. c. 58. *Statuae quidam Augusti caput demserat, ut alterius imponeret. Acta res in senatu, et quia ambigebatur, per tormenta quaesita est. Damnato reo paulatim hoc genus calumniae eo processit* etc. An apud hunc eadem sit causa, quae apud Tacitum, quaerunt. Eandem esse cum Wolfio censeo. Nam quod pro *Tiberii* Suetonius posuit *alterius*, quod *damnatum* dicit reum tanquam maiestatis lege, Tacito dissentiente, vidimus ad c. 6. eiusmodi dissensum non semel inter utrumque scriptorem esse.

ad quod exarsit adeo. Ut Lipsio videtur, quia solebant tyrannos ea ignominia adficere (cf. Hieronym. in proph. Habacuc. c. 3.); Freinshemius putat, suae memoriae consultum isse Tiberium eumque coniectasse, si boni principis imagines abolerentur, multo magis suam memoriam perituram. Sed non opus est explicatione longe petita. Amputatum Augusti caput et indita Tiberii effigies arcana domus videbatur revelare.

palam et iuratum. *Palam* h. e. non itione in partes. *et iuratum,* quod fiebat in gravibus iudiciis. cf. infr. 4, 21. Plin. 33, 34. Liv. 26, 33. 30, 40. 42, 21.

quo ceteris eadem necessitas fieret. Woltmannus haec verba ut a Tiberio dicta accepit. Non patitur verbum *fieret.* Nam Tiberius dixisset *fiat.*

quo, inquit, loco censebis? Dio 57, 7. ἐκεῖνος (Tiberius in senatu) δὲ ἔστι μὲν ὅτε ἐσιώπα, ἔστι δ' ὅτε καὶ πρῶτος, ἢ καὶ μετ' ἄλλους τινὰς ἢ καὶ τελευταῖος, τὰ μὲν ἄντικρυς ἀπεφαίνετο κ. τ. λ.

efferverat. Sic Wolf. dedit e cod. MS. Prius vulgabatur *efferbuerat*, auctore Beroaldo.

poenitentia patiens. Ponitur pro: *tanto poenitentia patientior.* Vid. not. ad c. 57. Nil igitur opus est Ernestii emendatione *quandoque* legentis pro *quantoque*, aut coniectura: *tanto patientius*, vel *poenitentiae patens.* cf. Bibl. crit. II, 2. p. 615.

ad reciperatores. h. e. iudices a praetore vel a senatu, uti hic, datos iniuriis aestimandis. cf. Gell.

LXXV. Nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret, multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta. sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quae Pius Aurelius senator, questus mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas, auxilium patrum invocabat. resistentibus aerarii praetoribus subvenit Caesar pretiumque aedium Aurelio tribuit, erogandae per honesta pecuniae cupiens: quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri praetorio veniam ordinis ob pau-

N. A. 20, 1. Sigon. de iudic. 1, 24. Heinecc. Ant. 4, 6, 39. Quaeret quispiam, cur causa de repetundis in senatu, nec coram praetore, uti olim solebat, sit acta. Scilicet Maecenas Augusto id suppeditaverat, ut senatores, liberosque et uxores eorum, si quod crimen gravius perpetraverint, in curiam adduceret cognitionemque senatui permitteret. cf. Dio 52, 31.

Cap. 75. *Nec patrum cognitionibus satiatus.* Mollius interpretatur Sueton. Tib. c. 33. *ac primo eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret.* Dio 57, 7. *ἐπεφοίτα δὲ καὶ ἐπὶ τὰ τῶν ἀρχόντων δικαστήρια, καὶ παρακαλούμενος ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀπαράκλητος.* Vell. 2, 129.

in cornu tribunalis. Sueton. *ex adverso in parte primori.* Dio: *καὶ ἐκείνους μὲν ἐν τῇ ἑαυτῶν χώρᾳ καθῆσθαι εἶα, αὐτὸς δὲ ἐπὶ τοῦ βάθρου τοῦ κατάντικρυς σφῶν κειμένου καθίζων κ. τ. λ.*

multaque eo .... constituta. Suet. l. l. *Si quem reorum elabi gratia rumor erat, subitus aderat, iudicesque — legum et religionis et noxae, de qua cognoscerent, admonebat.*

veritati. Iudiciorum h. e. integritati; graec. *ἀλήθεια*, veritas moralis.

mole publicae viae. Praeeunte Freinshemio intelligunt haec de transvectione immanium saxorum, qua domus urbis quassas queritur Plin. Paneg. 51, 1. Alii de aggeratione et reparatione viae cogitant, ut ita *moles* sit pro *molitione.* Hoc est contra usum loquendi. Illud nimis restringit rem. Non de immanium saxorum tantum transvectione, sed etiam de alia quacunque molestia publicae viae cogitandum esse censeo, et potissimum de transvectione immanium onerum. *Moles* tum est *ἄχθος*, *Beschwerde.*

ductuque aquarum. Augusto imperante plurima eius generis opera exstructa sunt. cf. Frontin. de aquaed. c. 9. aqua Iulia, Appia restituta; c. 10. aqua Virgo; c. 11. Augusta.

aerarii praetoribus. Sic et Hist. 4, 9. Namque Augustus constituerat, ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresve transiret. Suet. Oct. c. 36. Dio 53, 2. *πρὸς τὴν διοίκησιν δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε.* Ibid. c. 32. Claudius eam curam quaestoribus restituit. Suet. Claud. c. 24. Tacit. An. 13, 28 et 29. ex quo loco praetura functos iterum a Nerone institutos cognoscimus.

erogandae p. h. p. cupiens. cf. Dio 57, 10.

Propertio Celeri. Is igitur inter paucos illos senatorum, quorum inopiam sustentavit. cf. Suet. Tib. c. 47.

pertatem petenti decies sestertium largitus est, satis comperto paternas ei angustias esse. tentantis eadem alios probare causam senatui iussit, cupidine severitatis in his etiam, quae rite faceret, acerbus. unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeposuere.

LXXVI. Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat: relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens. Sed remedium coërcendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis levari in praesens proconsulari imperio tradique Cae-

probari causam senatui iussit. Suet. l. l. *Ne pluribus opem ferret, negavit se aliis subventurum, nisi senatui iustas necessitatum causas probassent.* Vell. 2, 129. Dio 57, 10.

cupidine severitatis ... acerbus. Taxat Senec. de benef. 2, 7. Pro *his* fortasse ponendum est *iis.*

unde ceteri etc. Suet. l. l. Senec. l. l.

Cap. 76. *auctus Tiberis.* cf. Dio 57, 14. Vividam talis inundationis descriptionem vide apud Plin. epp. 8, 17.

renuit. Nutu recusavit, ut Suet. Iul. c. 82. *renuentique et gestu in aliud tempus differenti.* Plin. epp. 1, 7. *Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere voto tuo possum.* Graece ἀνανεύειν. Homer. Il. 16, 250. De re cf. Dio l. l.

perinde. Graece ἴσως.

obtegens. h. e. dissimulans, velans. Graece ἀποκρύπτειν, nos *verdunkeln*, facere ut non amplius quid valeat, honori alicuius derogare. De re cf. Suet. Tib. c. 69. et 63.

coërcendi. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *cohercendi*, ut saepe.

levari ... proconsulari imperio. Nimirum quia durius hoc quam legatio Caesaris. Nam primum proconsulare imperium erat annuum (Dio 53, 13) et quotannis provincialibus adferebat molestias cum accessu novi rectoris coniunctas. Caesaris autem provinciarum praesidibus procuratio in plures annos delegabatur. Quare Ioseph. A. I. 18, 8. Tiberium continuandis legatorum imperiis parcere sociis et provincialibus dicit. Tum proconsulum comitatus frequentior, ornatior, splendidior; oneraque inde redundantia in provincias graviora. Nec tacendum, quod proconsules sorte ibant in provincias, Caesar legatos deligebat. Inde fortuiti boni praesides; hinc res pendebant e Caesaris cura. Quare Augustus quum Asiae provinciae terrae motibus adflictae succurrere vellet, misit praesidem suffragio, non sorte lectum ad biennium. Dio 54, 30. Denique, quod potissimum est, Caesar plures provincias per unum legatum regebat, quibus singulis ante proconsules fuerant ferendi. Eaque ratione tum levabantur Achaia et Macedonia. cf. c. 80. *Prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis Achaia et Maced.* Quae porro monent viri docti de avaritia proconsulum, de invalido in eos legum auxilio, et de aliis procon-

sari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quanquam vili sanguine nimis gaudens: quod vulgus formidolosum, et pater arguisse dicebatur. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim ad osten-

sularis imperii incommodis, vera quidem sunt, huc tamen non pertinent. Parum enim honorificum senatui fuisset censere, provincias proconsulari ipsius imperio esse levandas ob malos mores praesidum a senatu missorum.

in praesens. cf. c. 80. et 5, 10. Dio 58, 25. Suet. Claud. c. 25. Claudius tamen senatui reddidit. Suet. l. l., Dio 60, 24.

edendis gladiatoribus. cf. Dio 57, 14.

quanquam vili sanguine. Accipe: nimis gaudens sanguine, quanquam vili, ut ita levem excusationem auctor adiungat, quod bene monuit Wolfius. Similia loquendi exempla sunt 11, 35. *nam etsi iustum dolorem pudor impediebat*; 14,4. *quamvis ferum animum retinebat*; 15, 24. *dii quamvis potentium populorum arbitri*; 1,13. *quamvis indomitum animum in bonum vertebat*; Hist. 1, 44. *quamvis immitem animum imagine tristi confuderat.*

quod vulgus formidolosum, et pater arguisse dicebatur. Sic cod. MS. edd. Beroald. et Rhenan. sqq. Lipsius tamen malebat: *in vulgus formidolosum*; I. Fr. Gronovius: *vulgo formidolosum.* Hoc Wolfius in textum recepit et dein plurimi editores, ut ita *formidolosum* eo sit significatu, quo utitur 13, 53. Agr. 7. et 39. At non video, cur tandem vulgo prae aliis formidolosa fuerint saevitiae indicia in Druso conspicua, nec potius civitati universae et nobilioribus potissimum. Nam vulgus omnium minime obnoxium fuit irae Caesarum. Solebat autem vulgus pro concessa sibi libertate, nec vocis continens liberius loqui de principum moribus, cum ceteri sapienter tacerent, idque hic dicit Noster, vulgus arguisse illud ut formidolosum, vulgi sermonibus formidolosum illud esse iactatum. More suo ad prius membrum Tacitus omittit verbum, ut suppleas e contextu, nempe arguebat, dicebat, iactabat. *Formidolosum* ponitur eo sensu, quo est Hist. 3, 26. *id quoque propinquis hostibus formidolosum*; Sallust. Cat. c. 19. *iam tum potentia Cn. Pompeii formidolosa erat.* *Et* ante *pater* significat *etiam*, ut c. 49. *et quidam bonorum caesi.* 2, 36. *Et certamen Gallo adversus C. exortum est.* Germ. c. 31. *Et aliis Germanorum populis usurpatum* etc. Etiam Woltmannus defendit veterem scripturam, sed vage, nec satis recte. Pichena voc. *formidolosum* capiebat significatu activo, quo est c. 62. extr. Secutus est Ricklefs (*das furchtsame Volk*). Cui tamen rationi obstat verbum *dicebatur*, uti rectissime observat Gronovius.

Cur abstinuerit sp. ipse. Abstinuisse et Dio refert 57, 14. simplici verbo: τὸν μὲν ἀγῶνα αὐτῶν οὐκ εἶδε κ. τ. λ. nullo eius rei interpretamento addito.

tristitia ingenii. Plin. 28, 2. *tristissimum hominum* dicit eundem.

quia A. comiter interfuisset. Suet. Oct. c. 45.

tandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem: quanquam id quoque dictum est.

LXXVII. At theatri licentia proximo priore anno coepta gravius tum erupit, occisis non modo e plebe, sed militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiae, ut praetoribus ius virgarum in histriones esset. intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui praebebat. valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius. De modo lucaris et adversus lasciviam fautorum multa decernuntur, ex quis maxime insignia: ne domos pantomimorum senator introiret: ne egredientis in publicum equites Romani cingerent,

movendasque. Heinsius malebat: *fovendasque.* Sed *offensiones* hic sunt adfectiones, quae apte dicuntur moveri.

materiem. h. e. occasionem, opportunitatem. cf. Suet. Oct. c. 16. *praebitam materiem exprobrandi.* Ibid. c. 32. Id. Claud. c. 4. et alibi. Ed. Beroald. *materiem. quanquam id quod dictum est, a theatri licentia proximo priore anno, coepta g. t. erupit.* Ed. Rhen. *quanquam, id quod dictum est, theatri* etc. Lipsius emendavit: *quanquam id quoque dictum est. Theatri* etc. Pichena e cod. MS. reposuit *at.*

Cap. 77. *Proximo priore anno.* Omnes enim praecedentes anni sunt priores; hinc non inepte additur *proximo.* cf. Ernest. ad h. l. Cic. Orat. c. 64. *proximum superiorem.* Id. N. D. 2, 20. *orbem proximum inferiorem.* Ibid. 3, 21. *proxime superiores.* Vopisc. Prob. c. 11. *proximo superiore anno.*

coepta. cf. c. 54. et Dio 56, 47. Ceterum intellige *theatri licentiam* non in genere, sed in specie: nempe illa theatri licentia, de qua dictum est c. 54., tum gravius erupit, estque hic actus secundus eiusdem seditionis.

e plebe, sed militibus etc. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *e plebe* (Beroald. *plaebe*) *et militibus* etc. Edd. Lips. sqq. *e plebe sed m.* Vocabulum *etiam* solet sic omitti. cf. c. 60. *non modo Cherusci, sed conterminae gentes.* 3, 1. *non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta.* Ib. c. 27. *non modo in commune, sed in singulos.* Cohortem adsidere ludis solitam discimus e loco 13, 24.

quia divus Aug. Suet. Oct. c. 45. *Coercitionem in histriones magistratibus in omni tempore et loco lege vetere permissam ademit, praeterquam ludis et scena.*

de modo lucaris. Nam ea fuit illius seditionis materia. cf. Dio 56, 47. Vid. not. ad c. 54.

ne egredientis. Ed. Ber. *ne egredientes;* edd. Rhen. Ald. *ne egredienteis.* Edd. Lips. sqq. *ne egredientis.* Senec. epp. 47. *ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum.* Id. quaest. natur. 7, 32. *mares inter se uxoresque conten-*

aut alibi quam in theatro spectarentur: et spectantium immodestiam exsilio multandi potestas praetoribus fieret.

LXXVIII. Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum. Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti: simul imparem oneri rem publicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. ita proximae seditionis male consulta, quibus sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.

LXXIX. Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verteren-

dunt, uter det latus illis (successoribus Pyladis et Bathylli). Etiam Plin. 29, 1. et Tertullian. de spectac. p. 100. A.

aut alibi. Ne domi, ne in hortis. Lips.

exsilio multandi. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *exilio mulctandi.* Seqq. edd. *multandi*, uti habet cod. Flor. litt. Langob. scr. 13, 28. et optimi libri Germ. c. 12. cf. Grotefend. Gr. lat. II. §. 182. Recentiorum alii volunt *mulctare*, alii *multare*; veteres eadem inconstantia laborant. Ceterum intellige potestatem exsilio multandi datam, si quando leviores correctiones (ut carcer infr. 13, 28) non sufficere viderentur.

Cap. 78. *Templum ut in colon. Tarrac.* etc. Duravit ad aetatem Traiani. Spartian. in vit. Trai. c. 12. in vit. Sever. c. 3. cf. Florez Medallos de España, Tabla 44, p. 583. (Brotier.).

Centesimam. Ed. Beroald. *centessimam.* De re vid. not. ad 2, 42. et Burmann. de vectigal. Rom. c. 11. Sueton. Oct. c. 49. Dio 55, 25.

militare aerarium. De quo vid. Sueton. Oct. c. 49. Dio 55, 25.

nisi vicesimo m. a. Dio 57, 6. τοῖς τε στρατιώταις τοῖς ἐν τῇ Παννονίᾳ τὰ αὐτὰ τοῖς ὑπ' ἐκείνου (Germanici) δοθεῖσιν ἐδωρήσατο. ἐς μέντοι τὸ ἔπειτα οὐ πρότερον τοὺς ἔξω τῆς Ἰταλίας στρατευομένους ἀπέλυε πρὶν τὰ εἴκοσιν ἔτη στρατεύσασθαι. Ed. Beroald. *vicessimo.*

sedecim stipendiorum finem expresserant. Brevitatis studio obscurus hic interpretibus Noster evasit. Sed accipe genitivum pro genitivo qualitatis, ut indicet qualem finem expresserint sc. sedecim annorum, ut dicimus exsilium decem annorum, diem viginti quattuor horarum. Latiori tamen Noster utitur licentia in adhibendo genitivo, more Graecorum, quibus genitivorum finis in hoc genere fere nullus, nec adeo his displicebit ἑκκαίδεκα ἐτῶν τέλος. Quae Gronovius attulit, nihil explicant. Freinshemii emendatio: *sexto decimo stipendiorum finem*, satis elegans est, minime tamen necessaria.

Cap. 79. *an ob moderandas T. ex. verterentur.* Ex mero emendandi studio Ernestius pro *ob* volebat *ad*; Heinsius *averterentur* pro *verterentur.* Immo *ob* exacte respondet loci rationi. Nam moderandas esse T. exundationes nil ambigebatur; at an ob moderandas illas flumina verterentur, quaestio erat. *Averti* autem flumina et lacus non poterant, sed tantum *verti.* Id latinitatis gnarus sentiet me non monente.

tur flumina et lacus, per quos augescit. auditaeque municipiorum et coloniarum legationes: orantibus Florentinis, ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur idque ipsis perniciem adferret. Congruentia his Interamnates disseruere: pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus superstagnavisset. Nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum. optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem ita fines dederit. spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint. quin ipsum Tiberim nolle prorsus adcolis fluviis orbatum minore gloria fluere. Seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat. ¶ Prorogatur

flumina. Strabo 5, p. 238. πληροῦται δὲ ἐκ πολλῶν ποταμῶν.

augescit. Rupertius vult *augesceret.* Vehementer errat. Hoc enim rem ita exhibet, ut senatores videantur incerti fuisse, sintne flumina et lacus, per quos Tiberis augescat, an nulli; cogitasse tamen, fieri posse, ut Tiberis per flum na et lacus augeretur. cf. not. ad c. 19.

idque ipsis perniciem adferret, Iusta et plena oratio poscebat: *Nam id ipsis perniciem adferret.* Sed prius membrum trahit alterum, ut saepissime in huius modi locis et apud Nostrum et apud alios. Negligentiam minime dixerim, sed usum loquendi. cf. infr. not. ad 11, 2. et ad 2, 58. *neu proceres* etc.

Interamnates. Sic edd. vett. In cod. MS. Pichena invenit *Antemanates*, quod legendum suspicatur *Antemnates.* Interamnatibus sane nil damni potuit adferre amnis Nar in rivos diductus, etsi superstagnaret, quippe iuxta ipsum amnem sitis. Superstagnatio inferioribus eius regionis partibus erat timenda.

fecundissimos Italiae campos. Intell. Campaniae. Strabo 5, p. 242. τὸ Καμπ. πεδίον εὐδαιμονέστατον ἁπάντων ἐστίν.

obstrui recusantes. Structura graeca ad modum verbi παραιτεῖσθαι cum inf. Herodian. 3, 5, 6. πόλεμον ἐγεῖραι παρῃτήσατο.

patriis amnibus. „*Amnes patrii* sunt a maioribus culti, quorum cultus a maioribus traditus est." Ernest. Sed hic sensus non inest. *Patrius* in eiusmodi locis est quod nos dicimus *vaterländisch.* Ovid. Met. 4, 292. *montes deseruit patrios* Virgil. Aen. 9, 672. *abietibus iuvenes patriis et montibus aequos.* Tac. An. 15, 29. *insignibus patriis.*

concederetur. MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. *concederet*, quod placebat Iac. Gronovio, intellecto *Tiberius* vel *senatus.* Edd. Lips. sqq. *concederetur.*

qui nil mutandum c. Traianus tamen fossam fecit, qua Tiberis exhauriretur. Plin. epp. 5, 17.

Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis Achaia ac Macedonia.

LXXX. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in iisdem exercitibus aut iurisdictionibus habere. Causae variae traduntur: alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse: quidam invidia, ne plures fruerentur. sunt qui existiment, ut callidum eius ingenium ita anxium iudicium. neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. qua haesitatione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.

LXXXI. De comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut, qui forent, intelligeretur: aliquando ea quoque significatione subtracta candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent,

Poppaeo Sabino. De viro vide 5, 10. 6, 39. Dio 58, 25.

ac Macedonia. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *et Mac.* Wolfius restituit *ac* e cod. MS.

Cap. 80. *in iisdem exercitibus aut iurisdictionibus.* Ernestius putat hic discerni provincias Caesaris, in quibus exercitus haberentur, et provincias senatus s. proconsulares, quarum praesides sine exercitus imperio sola iurisdictione essent praediti. At de provinciis Caesaris tantum sermo est, quod indicatur verbo *habere.* Provincias senatus etiam tum sortiebantur consulatu et praetura functi. Quare vocem *iurisdictionibus* refero ad eiusmodi provincias Caesaris, quae erant sine exercitu et procuratoribus cohibebantur. cf. Hist. 1, 11.

causae variae traduntur. Dio 58, 23. tradit, id esse factum ἀπορίᾳ τῶν διαδεξομένων αὐτούς. Honestiora refert Ioseph. Ant. 18, 6. scil. Tiberium saluti provincialium consuluisse. Suet. Tib. c. 41. incuriae eius rerum publicarum tribuit. Sed hoc valet de posteriori Tiberii aetate.

periculum sibi, a pessimis. Ed. Beroald. *periculum sibi: sibi a pessimis* etc. Victorius in suo exemplari alterum *sibi* deleverat; et sic Rhenan. sqq.

ut mandaverit ...... passurus. h. e. quos, dum mandabat, iam destinaverat urbe non egressuros. Mera igitur imago fuit mandationis. cf. Dio 58, 19. ἔργῳ μὲν μηδενὸς αὐτῶν δεόμενος, λόγῳ δὲ δὴ τιμᾶν αὐτοὺς προσποιούμενος: Sueton. Tib. c. 63. Tac. An. 6, 27.

Cap. 81. *ac deinceps.* Sc. eodem principe. Vide etiam Dion. 58, 20.

ea quoque significatione subtracta. Sc. originis, vitae, stipendiorum, ut ita subtractis nominibus

suam ad id curam pollicitus est. plerumque eos tantum apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset: posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent. speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

et omni, unde intelligi possent, significatione, in universum de candidatis loqueretur eosque hortaretur, ne etc.

suam ad id curam pollicitus est. Adroganter dictum. Tacitus haec refert e Tiberii orationibus inter acta senatus positis. Praefatus de diversitate triplicem constituit rationem, qua usum Tiberium repperat in illis orationibus: primum est, subtracta candidatorum nomina, origo vero cuiusque et vita et stipendia descripta, ut, qui forent, intelligerentur; secundum, significatio originis, vitae et stipendiorum simul cum nominibus subtracta, ut simplex hortatio ad candidatos superesset; tertium idque frequentissimum, quod *eos tantum* etc.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Initia belli Parthici. Phraates Vononis pater. 2. Vonones popularibus invisus. 3. Ab Artabano pulsus, ad Armenios profugus. 4. In Armenia mutatio regum. 5. Germanicus invidia Tiberii revocatus Germanos confestim adgredi parat. 6. Classis eius. Rhenus. 7. Inruptio in Cattos. Ara Drusi restituta. 8. Fossa Drusiana. Amisia. In rebelles Angrivarios animadversum. 9. Arminii cum fratre colloquium: 10. inde ira et iurgium. 11. Visurgim transeunt Romani. Batavorum discrimen. Cariovalda caesus. 12. Germanicus militum animos explorat. 13. Transfugis praemium pronuntiatum a Germanis, mox castris Rom. adsultatum. 14. Germanici somnium. Eiusque 15. et Arminii orationes ad suos. 16. Locus pugnae campus Idistavisus. Acierum instructio. 17. Faustum augurium. Fuga Germanorum et clades. 18. Tropaeum positum. 19. Quo dedecore accensa gens bellum resumit. 20. Acriter pugnatum. 21. Vincunt tandem Romani, quanquam ambiguo equitum certamine. 22. Monimentum et titulus rerum magnificus. 23. Milites classe revecti. 24. Ex tempestate calamitas et paene exitium. Recollecti naufragi. 25. Hac fortuna erectos denuo Germanos adgreditur Germanicus caeditque, simul aquilam Varianam recipit. 26. Tum rebus infectis avocatur a Tiberio. 27. Libo Drusus ab amico delatus. 28. Accusatus in senatu, 29. quum patronos non reperiret, 30. nec tam sceleris quam vecordiae convinci posset, novo iure servos torqueri in suum caput vidit. 31. Iam frustra orato principe Libo se ipse confecit. 32. In defunctum sententiae senatorum. Astrologi et magi ex Italia pulsi. 33. Luxus publicus leviter coërcitus, quem defendit Asinius. 34. Pisonis libertas, Urgulaniae potentia. 35. De rebus proferendis certamen in senatu. 36. Asinii sententia de comitiis a Tiberio reiecta. 37. Hortali levamentum inopiae suae poscentis orationem 38. aspere excipit Tiberius: tamen liberis eius nonnihil largitur. 39. Clementis servi facinus. Is Postumum Agrippam se mentitus principi curam iniicit, sed 40. Sallustii Crispi dolo captus occiditur. 41. Romae dedicantur nova opera.

Anno proximo triumphat Germanicus. 42. Archelaus rex Cappadocum in urbem accitus perit. 43. Oriens turbatus committitur Ger-

manico: Pisoni feroci homini Syria. 44. Drusus in Illyricum missus, Suevis contra Cheruscos auxilium petentibus. 45. Ita inter se discordes Germani accinguntur ad pugnam. Arminii ad suos oratio: 46. Marobodui item ad suos. Atrox proelium. Maroboduus pro victo. 47. Terrae motus in Asia. Eo adflictos sublevat Tiberius, 48. in alios non minus liberalis. 49. Templa quaedam dedicata. 50. Varilia maiestatis postulata. 51. De praetore substituendo contentio. 52. Tacfarinatem et Mazippam bellum in Africa moventes fundit Camillus. Triumphalia ei decreta.

53. Germanici varia itinera. 54. Consulit in reditu Clarium Apollinem. Oraculi ratio. 55. Piso et uxor Plancina Germanicum insectantur, etiam castra corrumpunt. 56. Germanicus Armeniae regem, Cappadociae et Commagenae legatos imponit. 57. Pisonis insolentia in congressu, consilio, conviviis. 58. Vonones Syria demotus.

59. Germanicus Aegyptum petit, improbante Tiberio. 60. Canopus. Thebae priscae. 61. Statua Memnonis. Pyramides et alia. 62. Germanorum discordia, astu Drusi. 63. Maroboduus vi Catualdae pulsus confugit ad Romanos. Eadem mox fortuna Catualdae. 54. Rhescuporis, Cotye fratris filio oppresso, Romanam divisionem egressus illius partem appetit, 65. ipsoque per fraudem comprehenso universam Thraciam occupat. 66. Hinc vocatus ad causam dicendam Cotyn occidit. 67. Romam perductus et damnatus. 68. Vonones fugam tentat, at deprehensus confoditur. 69. Germanicus aegrotat scelere, ut creditur, Pisonis, 70. cui amicitiam renuntiat veteri more. 71. Mandata familiaribus ultione, 72. datisque coniugi monitis moritur. 73. Alexandro M. comparatus et praelatus. 74. Sentius Syriae praeficitur. 75. Agrippina properat in urbem. 76. Pisoni Germanici casu exsultanti reditum in Syriam dissuadet filius: 77. suadet contra Domitius Celer, 78. ac persuadet. 79. Piso vim parans in successorem Sentium obviam fit Agrippinae: 80. castellum occupat: aciem struit: sed pellitur a Sentio: 81. tandem tutum ei iter Romam conceditur. 82. Ibi magna ob necem Germanici ira et luctus. 83. Honores viro decreti. 84. Livia Druso gemellos parit. 85. Scita in libidinem mulierum. Pulsa sacra Aegyptia et Iudaica. 86. Capta Vestalis. 87. Frumento pretium constitutum. Novos honores aversatur Tiberius. 88. Arminii caedes et praeconium.

Haec gesta annis quattuor,

Coss. T. Statilio Sisenna Tauro et L. Scribonio Libone. C. Caelio Rufo et L. Pomponio Flacco. Tiberio Caesare Aug. III. et Germanico Caesare II. M. Iunio Silano et L. Norbano Flacco.

I. Sisenna Statilio Tauro, L. Libone coss. mota Orientis regna provinciaeque Romanae, initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem quamvis gentis Arsacidarum ut externum aspernaban-

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *petitum Roma acceptumque regem.* Sueton. Oct. c. 21. de Parthis: *pluribus quondam de regno concertantibus, nonnisi ab ipso electum comprobaverunt.* Ed. Ald. *potitum*, et paulo ante *provinciaque*, vitiose.

Arsacidarum. Unde sint dicti, docet Iustin. 41, 5.

tur. Is fuit Vonones obses Augusto datus a Phraate. Nam Phraates, quanquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu, quam fidei popularium diffisus.

II. Post finem Phraatis et sequentium regum ob internas caedes venere in urbem legati a primoribus Parthis, qui Vononem vetustissimum liberorum eius accirent. Magnificum id sibi credidit Caesar auxitque opibus. et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova

obses Augusto datus a Ph. cf. Strabo 16, 1. 28. *τέτταρας παῖδας γνησίους ἐνεχείρισεν ὅμηρα αὐτῷ κ. τ. λ.* Vell. 2, 94. Iustin. 42, 5. Suet. Oct. c. 21.

a Phraate. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *a Phrahate.* Edd. recentt. inde ab Ernestio *a Phraate;* mira tamen inconstantia infr. 6, 32. sinunt *Phrahaten.* Mon. Ancyr. habet *Phrates.* De Phraate cf. Dio 49, 23.

quanquam depulisset exercitus ducesque. Intell. Antonium cum suis et Oppium Statianum. cf. Dio 49, 25 et 33. a. a. Chr. 32. urb. cond. 718.

cuncta venerantium off. ad A. v. Dio 54, 8. Ioseph. Arch. 18, 2, 4. Strabo l. l. Quippe signa militaria et captivos remisit.

prolis. Praeter filios etiam nepotes. Strabo l. l. et Iustin. l. l.

firmandae amicitiae. *Amicitiam* ne accipe de animi sensu, sed de rebus pacatis et foedere inter Parthos Romanosque, ut saepissime. Quare nihili est, quod interpretes crepant de amicitia obtentui sumpta. Immo amicitiam, quam dixi, revera voluit.

haud perinde ... diffisus. Dio 55, 11. ὁ δὲ δὴ Φραάτης ὕστερον κατηλλάγη, ἐπὶ τῷ τῆς Ἀρμενίας ἀποστῆναι, ἐπειδὴ τόν τε Γαΐον ἐν τῇ Συρίᾳ παρόντα ἔμαθε, καὶ τὰ οἰκεῖα ταραττόμενα μίσει αὐτοῦ ὑπετόπασε. Strabo l. l. δεδιὼς τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιτιθεμένους αὐτῷ. Igitur amicitiam Romanorum voluit ob ambiguam suorum fidem, ut Romani sibi faverent, nec sustentarent adversarios; non autem tanquam vires Parthorum Romanis impares crederet.

CAP. 2. *et sequentium regum.* Qui fuere Phraataces et Orodes II. cf. Ioseph. Arch. 18, 2 sq.

venere in urbem legati. Sueton. Tib. c. 16.

a primoribus. Infr. 15, 2. *concilium* Noster vocat; Iustin. 42, 4. *senatum.*

vetustissimum liberorum eius. Strabo *Vononem* quarto posuit loco, incertum an propter minimam aetatem. Si posuit secundum aetatem, sumendum erit, Seraspadanem, Rodaspem, Phraatem interim periisse et Vononem post finem patris solum fuisse superstitem cum minoribus aetate eiusdem liberis nepotibusve. At cum infr. 6, 31. primores Parthi Phraatem, regis Phraatis filium, Roma poscant, verisimilius est, neglecto aetatis discrimine Straboni constitutum nominum ordinem.

Caesar. Intell. Augustus. Sic c. 3. *datus a Caesare Armeniis Tigranes.*

auxitque opibus. Repetiit Tiberius. cf. Suet. Tib. c. 49. fin.

imperia. Mox subit pudor, degeneravisse Parthos: petitum alio ex orbe regem hostium artibus infectum: iam inter provincias Romanas solium Arsacidarum haberi darique. Ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Caesaris tot per annos servitutem perpessum Parthis imperitet? Accendebat dedignantes et ipse, diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura, quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine, fastuque erga patrias epulas. inridebantur et Graeci comites ac vilissima utensilium annulo clausa: sed prompti aditus, obvia comitas:

alio ex orbe. cf. Germ. c. 2. *Adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur.* Iustin. 41, 1. *Parthi, penes quos velut divisione orbis cum Romanis facta nunc Orientis imperium est.*

trucidantium Crassum. cf. Dio 40, 27. Ioseph. 14, 12. Iustin. 42, 4. aliique.

exturbantium Antonium. cf. not. ad c. 1. et Iustin. 42, 5.

raro venatu. Etenim Suet. Cal. c. 5. *regum etiam regem et exercitatione venandi et convictu Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos iustitii instar est.* cf. Xenoph. Cyrop. 8, 1, 34. Mox una Aldina *imperaret* pro *imperitet.*

segni equorum cura. Quorum eximium apud Parthos studium. cf. Dio 40, 15. Iustin. 41, 3. *Equis omni tempore vectantur: illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt: super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter servos liberosque est, quod servi pedibus, liberi nonnisi equis incedunt.*

lecticae gestamine. Malebant equo.

fastuque erga patrias epulas. Ernestius cogitat de fastidio, quo repudiaverit simplicem victum popularium, adsuetus Romae delicatioribus. Wolfius accipit de more convivandi cum Megistanibus. Suet. l. l. Uterque conciliari potest. Namque fastidiit epulas et morem convivandi popularium, quippe delicatiori victui adsuetus. Parthi carne nonnisi venatibus quaesita vescuntur; in cibum parci sunt. cf. Iustin. l. l.

Graeci comites. Intell. philosophi, grammatici eiusque generis alii homines, quos eleganter vivendi ratio, quam Romae didicerat, comites poscebat. cf. Sueton. Tib. c. 56. *convictores Graeculi.* Noster infr. 4, 58.

vilissima utensilium annulo clausa. De *utensilibus* vid. not. ad 1, 70. *Annulus* intelligendus signatorius, quo Romani cellas obsignare solebant, ne quid furtim surriperetur. cf. Lips. in excurs. B. Ridicula ea Parthis visa est parcimonia. Ceterum cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. *anulo;* edd. recentt. inde ab Oberl. *annulo.* Quae sit vera scriptura, lis adhuc est sub iudice. cf. Baumgarten-Crusius in clave Sueton. qui vult *anulus:* et Goerenz ad Cic. Fin. 5, 2, 3. qui praefert *annulus.*

ignotae Parthis virtutes, nova vitia, et quia ipsorum maioribus aliena, perinde odium pravis et honestis.

III. Igitur Artabanus Arsacidarum e sanguine, apud Dahas adultus, excitur, primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur. Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii, qui Artavasden regem Armeniorum specie amicitiae inlectum, dein

ignotae Parthis virtutes, nova vitia. Virtutes, ut promptitudo in aditu praebendo, comitas in obvios; *Parthis ignotae* sc. in regibus et propterea nullius pretii; maiestate regia indignas potius habebant (infr. 15, 21. *Quaedam immo virtutes odio sunt*). *Vitia* contra, quae ex urbe attulerat, quanto Parthis nova, tanto erant intolerabiliora. Alii ignotas Parthis virtutes nova vitia dici non satis recte putant.

ipsorum maioribus. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. probavitque Pichena. Muretus, Lips., Freinsh., Heins., Gronov. et recentiores omnes praeferunt *moribus*, quae emendatio, a Berneggero in textum recepta, elegantior et Tacito dignior esse dicitur. Utinam addidissent, ubi sit elegantius illud et dignius. Neque in verbis video neque in re. Parthi, ut Orientis gentes solent, in omnibus rebus obstinate retinebant patrios mores; maioribus aliena, sive virtutes sive vitia, aspernabantur. Quare et regem *a maiorum institutis diversum* dedignabantur. Hinc sine dubio Parthorum moribus aliena eadem sunt aliena maioribus ipsorum. Non igitur satis idonea erat causa mutandi. *Maioribus* restitui etiam Kiesslingio placuit.

Cap. 3. *Igitur Artabanus.* Secundus numero, ex quo altera Arsacidarum series coepit. cf. Ioseph. 18, 3 sqq. Ed. Beroald. *Arthabanus.* Edd. Rhenan. sqq. *Artabanus.*

Arsacidarum e sanguine. Diversus tamen a Phraatis domo. cf. infr. 6, 42. *simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsaciden, cetera degenerem.*

apud Dahas. cf. infr. 11, 10. gens Scythica. Plin. 6, 17. Strabo 11, p. 352.

regnoque potitur. cf. not. ad 1, 33.

ob scelus Antonii. cf. Dio 49, 25 sqq. Vell. 2, 82. Plutarch. in Anton. p. 939. Strabo 11, p. 524. 530. Liv. epit. 131. Artavasdes II. (Graecis *Artabazes* audit) Antonii legatum Oppium Statianum, a Parthis oppressum, auxilio destituerat (Dio 49, 25. fin.). Eam perfidiam Antonius ut ulcisceretur, aptum tempus exspectabat, pressa primum ira et blandimentis in regem cumulatis, quoniam in Armenia hiemabat pecuniaque et alimentis indigebat (Dio 49, 31.). Alexandriam reversus et foedere cum Mediae rege contra Armenium clam inito Antonius hunc amice evocavit in Aegyptum, ut sine labore occideretur. Ille tamen mali quid suspicatus non paruit (Dio 49, 33.). Deinde quum Antonius, ut suspicionem regi eximeret, filiam eius in matrimonium filio suo Alexandro posceret, Nicopolim Pompeii profectus id tandem impetravit, ut rex in castra veniret. Ibi catenae huic iniectae (Dio 49, 39.). Postremo cum coniuge et liberis inter captivos triumphum Antonii ornavit, quem hic ducebat Alexandriae: et quoniam eo adduci nequibant, ut Cleopatrae supplices se ostenderent, durius tractati sunt (Dio 49, 40.).

catenis oneratum, postremo interfecerat. Eius filius Artaxias memoria patris nobis infensus Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. occiso Artaxia per dolum propinquorum datus a Caesare Armeniis Tigranes deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quanquam sociatis more externo in matrimonium regnumque.

IV. Dein iussu Augusti impositus Artavasdes et non sine clade nostra deiectus. Tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere: tentato-

catenis. Argenteis tamen primum in castris (Dio c. 39.) et aureis in triumpho (ibid. c. 40.). Vell. 2, 82. de triumpho tantum cogitans aureas habet.

interfecerat. Non statim post triumphum. Nam postero etiam tempore ut vinctus et in vivis memoratur. cf. Dio 50, 1 et 27. Post pugnam Actiacam demum Cleopatra, ut auxilia ab Medorum rege impetraret, caput Artavasdis ad illum misit. Dio 51, 5. Filios Augustus retinebat propter iniurias per Artaxem Romanis inlatas. Dio 51, 16.

Artaxias. Maximus natu inter eius filios, ab Armeniis constitutus in locum patris, quem Antonius vinxerat. cf. Dio 49, 39. apud quem audit Ἀρτάξης; Ἀρταξίας apud Ioseph. 15, 5.

Arsacidarum vi .. tutatus est. Partem Armeniae ab Antonio Mediae rex et idem Artavasdes nomine acceperat; Polemon, rex Ponti, Armeniam minorem. Antonio autem contra Caesarem profecto cum exercitu, Medus a Parthis et Artaxia superatus Armeniam simul cum Media amisit. Dio 49, 44.

occiso Artaxia .... Tigranes. Pro Artaxia s. Artaxe Dio (54, 9.) ut Tigranis antecessorem fratremque nominat Artavasdem, quanquam alio loco (49, 39.) Artaxem dixerat. Velleius autem (2, 94.) regnum Armeniae non Tigrani, sed Artavasdi datum a Tiberio refert; errore an locus sit depravatus, incertum est.

deductusque in r. a Tib. Nerone. cf. Dio et Vell. l. l. et Sueton. Tib. c. 9.

nec Tigrani etc. Tigranes igitur mox interiit interque eius liberos, ut mos apud barbaros illos, altercationes exortae sunt de regno, quibus se immiscuit Parthus. Ita videtur. Nam scriptores rem non satis accurate enarrant. Dein Augustus, ut turbis Armeniorum finem imponeret, regem dedit Artavasdem, qui non sine clade Romanorum deiectus, scilicet per Parthos et Tigranem quendam, qui regno potiebatur. cf. Zonaras p. 539. τῶν Ἀρμενίων δὲ νεωτερισάντων καὶ τῶν Παρθῶν αὐτοῖς συνεργούντων κ. τ. λ. Dio 55, 11. qui ibi in historiae damnum mutilus est.

Cap. 4. *tum C. Caesar* etc. Vid. not. ad 1, 3.

is Ariobarzanem. cf. Zonar. l. l. Scripturam *Ariobarzanem* induxit Lipsius. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *Ariobarzanen.* Quid Tac. scripserit, vix definies. Libris de tali re parum est fidei.

que feminae imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa incerti solutique et magis sine domino quam in libertate profugum Vononem in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus et parum subsidii in Armeniis, vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat: rector Syriae Creticus Silanus excitum custodia circumdat, manente luxu et regio nomine. quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

V. Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret. At ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior tractare proeliorum vias et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenis-

Vononem. Cod. MS. ed. Iac. Gronovii *Vononen.*

sed ubi minitari Artabanus. cf. Ioseph. 18, 4.

in loco reddemus. cf. c. 68. Ante *Sillanus* edd. vett. c. Ald. *Silanus* edd. recentt. inde a Lipsio et Pichena et sic MS. Flor. litt. Langob. scr. 13, 1. Vide ibi not. *Sullanus* ed. Lips. 1574.

Cap. 5. *obiectaret.* Virg. Aen. 2, 751. *caput obiectare periclis.*

quanto etc. De structura cf. not. ad 1, 57.

tractare proeliorum vias. Ernestius interpretatur *modum, rationem belli gerendi.* Sic Cic. ad Quint. Fr. 1, 1, 5. *quidam omnes vias pecuniae norunt.* Lallemandus et Wolfius *vias* proprie intelligunt, ut ita Germanicus cogitasse dicatur, quibus viis hostem ad pugnam eliceret. At utrique explicationi obstant sequentia: *quae sibi ... evenissent.* Haec enim ad idem verbum *tractare* pertinere, non est quod moneam. Iam *tractare, quae sibi ... evenissent,* non potest significare nisi: in animum revocare, reputare, quae etc. Hinc eodem significatu id verbum ad prius membrum accipiendum erit, ut *tractare proeliorum vias* sit in animum revocare et reputare vias, quas hucusque erat secutus in expeditionibus contra Germanos. Plane inutilia sunt, quae coniecere Heinsius: *proeliorum dubia*, et Ernestius: *proeliorum vices.*

tertium iam annum belligeranti. M. Lepido et Stat. Tauro coss. (an. u. 764.) Germanicus primum cum imperio profectus est contra Germanos. Dio 56, 25. Romam reversus anno insequenti (765.) consulatum gessit, bello Germanico dux iam tum ab Augusto destinatus. Dio ib. c. 26. Ad quod bellum an. 766. profectus est et inde tres anni sunt computandi. Nam ante consulatum non solus, sed Tiberii auspiciis belligeravit, nec ullo tum proelio hostem vicerunt, nec quidquam memoratu dignum fecerunt. Dio 56, 25.

saeva. Graece τὰ χαλεπά. Xenoph. Cyrop. 4, 1, 8. πάντα μὲν

sent: Fundi Germanos acie et iustis locis: iuvari silvis, paludibus, brevi aestate et praematura hieme: suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum, damno armorum adfici: fessas Gallias ministrandis equis: longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. at si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam: simul bellum maturius incipi legionesque et commeatus pariter vehi: integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore.

VI. Igitur huc intendit. missis ad census Galliarum P. Vitellio et C. Antio Silius et Anteius et Caecina

γὰρ ἦν χαλεπά, de rebus adversis in bello. Infeliciter Lips. coni. *scaeva.*

iustis locis. Broterius coniecit *aequis locis.* Frustra. Nam *iustum* est, quod est, quale esse in suo genere debet, ut *iusta acies*, *iustus exercitus.* Hinc loca sunt *iusta* sc. ad aciem, quae iustam aciem admittunt; opp. silvis, paludibus. Ceterum haec reputatio est, quam ante Noster dixit *tractare proeliorum vias.*

damno armorum. Male Boxhorn. *armentorum.*

fessas Gallias min. eq. cf. supr. 1, 71.

promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam. *Possessio* vulgari latinitate est *Besitz, Besitzung.* Actionem τοῦ κτᾶσθαι i. e. occupandi (a *possidĕre*) rarius exprimit. Utitur tamen eo significatu apud Nostrum hic et Agric. c. 18. e graecismo. Nam et κτῆσις triplici modo usurpatur. Cf. Caes. B. G. 4, 7. Liv. 24, 45. et 31, 31. Tacit. An. 14, 21. *possessa Achaia;* Hist. 3, 8. *possessa ipso transitu Vicetia.* Ibid. 3, 59. Iam possidere locum sensu militari est occupare, ut teneatur ad usus militares, non ad incolendum. *Ignotam hostibus* h. e. nondum expertam ideoque inopinam. Nam quanquam Drusus, eadem ausus (infr. c. 8.), iam prius via maritima Germaniam adgressus erat, hic tamen non contra Cheruscos, sed contra Frisios tum ivit.

bellum maturius incipi, Potissimam causam, ut bene vidit Lipsius, adiungit verbis: *legionesque et commeatus pariter vehi.* Igitur non exspectanda erant frumentorum et pabulorum incrementa paulo tardiora sub illo coelo. Aliquod tamen momentum etiam fuisse credo in celeriori et maturiori itinere, quod dabatur per mare.

Cap. 6. *C. Antio.* Sic cum Broterio dedit Wolfius ex coniectura Ursini, cui et Ryckius patrocinabatur. Prius legebatur *Cantio*, quod viros doctos offendit et propter defectum praenominis et propter nominis obscuritatem. Levi igitur mutatione utuntur, ut habeant nomen in inscriptionibus nummisque obvium. cf. Gruter. 50. nr. 9. At de ipso viro aeque parum constat atque de *Cantio.* Alii audacius progrediuntur in coniecturas: *Scantio*, ut Lipsius; *Canutio*, *Calventio*, *Calvisio*, ut Aurelius; *Sentio*, ut Freinshemius. Et hic veritati omnium proximus videtur esse.

fabricandae classi praeponuntur. Mille naves sufficere visae properataeque: aliae breves, angusta puppi proraque et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent: plures adpositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent: multae pontibus stratae, super quas tormenta veherentur, simul aptae ferendis equis aut commeatui: velis habiles, citae remis augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum in quam convenirent praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et tramittendum

Nam *Cn. Sentium* inter Germanici legatos invenies infr. c. 74. Sunt tamen et *Cantii* Liv. 10, 26. et in inscriptionibus. Mox *Caecinna* ed. Ald.

aliae ... quaedam ... plures ..., multae. cf. Sueton. Oct. c. 100. *quidam ... alii ... nonnulli.* Item Tib. c. 17. Galb. c. 3.

planae carinis. cf. Caes. B. G. 3, 13. *Carinae aliquanto planiores — quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent.*

adpositis. cf. Hist. 3, 47. *pari utrimque prora et mutabili remigio.* Germ. c. 44. *utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit.* Suidas id genus describit hisce verbis: *Τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς πρύμνης καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκατέρωθεν πηδαλίοις ἤσκηντο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι καὶ ἐπιπλέωσι καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν.*

super quas. Ernestius malebat *super quos.* At non de pontibus rationem redditurus erat auctor, quasi aliae naves alia re stratae fuerint, sed de navibus, ut constet, cur pontibus stratae sint. Pronomen relativum saepius referri ad remotius vocabulum supra vidimus ad 1, 74.

velis habiles, citae remis. Haec epitheta ad omnes naves referenda sunt, quare pleniorem distinctionem ante *velis* posui.

augebantur alacritate m. in sp. ac t. *Augeri* dicuntur, quibus aliquod incrementum accedit, sive incrementum temporis h. e. numeri, sive substantiae h. e. finium; sensu autem morali *augeri* absolute est incrementum dignitatis, potentiae etc. capere, ornari. Sic *naves augebantur al. m.* h. e. incrementum navibus accessisse ex alacritate militum, quod quo respiciat, indicatur verbis: *in speciem ac terrorem*, graece εἰς τό. cf. Agric. c. 35. *Britannorum acies in speciem simul ac terrorem — constiterat.* Germ. c. 38. *in altitudinem quandam et terrorem — compti.* Roth. (p. 25.) utramque vocem dictam putat per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Immo *species* significat dignitatem formae, ornamentum. cf. 15, 9. et Agr. l. l. *terror* indicat formam, quae metum iniicit hosti eumque terret. Erat igitur classis illa iucunda simul et terribilis aspectu.

insula Batavorum. cf. Hist. 4, 12. Caes. B. G. 4, 10. Plin. 4, 15. Cod. MS. *Batuorum*, omissa littera *a*, quae tamen mox in eodem vocabulo additur.

tramittendum. Graece διαπέμπειν, sc. in hostium terram. cf. Hist. 2, 17. *Aperuerat iam Italiam, bellumque tramiserat.* Ovid. Met. 12, 25. *bellaque non transfert.* Plin. Panegyr. 12, 3. *duratus glacie* (Danubius) *ingentia tergo bella*

ad bellum opportuna. Nam Rhenus, uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens. verso cognomento Vahalem adcolae dicunt: mox id quoque vocabulum

transportat. Edd. omnes *ad transmittendum.* Quod dedimus est e consuetudine Tac.

nam Rhenus etc. De Rheno cf. Caes. B. G. 4, 10. Mela 3, 2. Plin. 4, 15.

qua Germaniam praevehitur. cf. infr. c. 63. *transgressus Danubium, qua Noricam provinciam praefluit.* Hist. 4, 71. *dum missilia hostium praevehuntur.* cf. Krebs, gram. lat. §. 300. Ed. Ald. *quam Germania pr.*

donec Oceano misceatur. Ernestius malebat *miscetur;* concedit tamen aliis etiam locis coniunctivum particulae *donec* sic iungi. Bene igitur a mutatione abstinuit. Nam vulgare illud quorundam grammaticorum commentum de particula *donec* egregie falsum est. Dicunt eam poni cum indicativo, ubi terminum significat; cum coniunctivo, ubi consilium animumque agentis. Ne credas. *Donec* nunquam consilium aut animum agentis significat, semper terminum. Quod autem de consilio et animo agentis scribunt, id non est in particula *donec*, sed in totius enuntiationis modo ac ratione. Hoc sibi volunt, indicativum poni, ubi agitur res certo quodam tempore certisque auctoribus facta vel facienda; coniunctivum vero, ubi terminus est in re non certo quodam tempore, non certis auctoribus, sed saepius et a pluribus facta vel facienda, sive in re, quae fieri quidem potest, adhuc vero pendet ex mera cogitatione. De indicativo cf. An. 1, 5. 15, 10. 54. 16, 34. Hist. 1, 9. 37. 82. de coniunctivo An. 1, 1. 13. 32. 37. 51. 64. 15, 11. 59. Hist. 1, 13. 35. 46. Iam Rhenum Oceano misceri, satis quidem certa est res per se spectata, hic tamen non per se constat, sed ita pendet e verbis: *servatque nomen* etc., ut cogites Rhenum servare nomen dici ea conditione vel limitatione, quae additur: *donec O. misceatur.* Graeci dicerent ἕως ἂν ἐςβάλῃ εἰς τὸν Ὠκεανόν. cf. Strabo 15, p. 690. de arboribus Indicis: εἶτα τὴν λοιπὴν αὔξησιν κατωφερῆ λαμβάνουσιν, ἕως ἂν ἅψωνται τῆς γῆς. Noster in Germ. c. 1. *donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat.* Vid. ibi not. Ibid. c. 35. *donec in Cattos usque sinuetur.* Quodsi scribis: *donec Oceano miscetur;* tum dicis: primum Rhenum servare nomen, dein misceri Oceano, ut ita alterum ex altero non pendeat, sed constet per se.

latior et placidior adfluens. Sic edd. Beroald. Rhen. sqq. et nuper Bekkerus. Ernestius et qui eum secuti sunt ante *adfluens* addunt *et*, quod, si libri vett. addicerent, non plane ineptum esset. Iam enim tria essent epitheta: *latior*, *placidior*, *adfluens* h. e. abundanti aqua fluens. cf. Ambros. serm. 81. p. 379. *adfluentissimus fluvius.* Noster infr. 15, 54. *adfluentius solito convivium;* Hist. 1, 57. *praesentia ex adfluenti.* Ceterum totus locus melius distinguendus erat, quod fecimus. Ad verba: *ad Gallicam — adfluens*, intellige verbum substantivum, tum anacoluthon, quod Wolfio videbatur, nullum est.

Vahalem. Sic edd. Ber. Rhen. sqq. I. Gronovio testante cod.

mutat Mosa flumine eiusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.

VII. Sed Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Cattos facere iubet: ipse, audito castellum Luppiae flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam praedam et Arpi principis Cattorum coniugem filiamque raperet: neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere ad famam adventus eius dilapsi. tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit: tumulum iterare haud visum. et

MS. habet *Vahalem*, [illegible] forma alibi non invenitur. Caes. B. G. 4, 10. *Vahalis*. Sidon. Apollinaris Carm. 23, 52. *Vachalis*.

mutat Mosa flumine. [illegible] h. e. [illegible] ut apud Graecos [illegible] cf. Matthiae Gram. § [illegible] An. [illegible] *Mutare* [illegible] [illegible]

Cap. 7. *adiguntur*. [illegible] *castellum* [illegible] cf. Dio 54, 33.

[illegible]

Anab. 6, 4, 9. Ed. Ald. dat *tumultum* pro *tumulum*.

veterem aram Druso sitam. Quaeritur, utrum verba: *Druso sitam*, sint pro: *a Druso sitam*, an pro: *in honorem memoriamque Drusi sitam*. Qui illud probant cum Freinshemio, perperam in auxilium vocant locum An. 6, 41. cf. ibi notata. Hic autem alter dativus prioris membri *Varianis legionibus* satis indicat, quo sensu dativus *Druso* sit accipiendus, nempe *in Drusi memoriam*. Eundem dativum commodi id vocabulum habet Hist. 4, 22. *vallum, quod duabus legionibus situm*. An. 4, 55. *aede Augusto ibi sita*. Absurdior etiam videtur legionum decursio esse ad illam aram facta, ni sumas aram in Drusi memoriam positam. Deinde inquirunt, an vetus illa ara sit *κενοτάφιον*, de quo Dio 55, 2. aut *tumulus honorarius*, de quo Sueton. Claud. c. 1. At diversam ab hoc aram nostram facile cognosces. Nam Dio *κενοτάφιον* illud disertis verbis ponit *πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ*, quod accipiendum est de ripa Gallica. Hinc Suetonius refert, circa tumulum illum stato die quotannis militem decurrere, Galliarumque civitates publice supplicasse. Quod fieri non potuit apud aram sitam inter Luppiam et Visurgim, nisi si putes

cuncta inter castellum, Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.

VIII. Iamque classis advenerat, cum praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus fossam, cui Drusianae nomen, ingressus precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae relicta

Galliarum civitates in finibus hostium quotannis supplicasse. Quod autem attinet ad aram, de qua nunc sermo est, suspicor eam fuisse sitam in eo loco, ubi Drusus vita decessit. Obiit enim πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν. Dio 55, 1. Et mirum sane esset, si illum locum nullo monimento in memoriam tam gravis casus constituto reliquissent. Tali demum arae eximie convenit decursio legionum: cuius descriptionem vide apud Herodian. 4, 2, 19. exemplum in funere Augusti apud Dion. 56, 42. Cf. etiam Kirchmann. de fun. Rom. 3, 3. p. 212 sq. Adam, antiq. Rom. ed. Meyer II. p. 310. et p. 96.

cuncta inter castellum, Alisonem ac Rhenum. Sic locum distinguendum esse cum Vertranio censeo. *Castellum* intelligit, quod paulo ante dixerat Luppiae flumini adpositum, et propterea accuratiori eiusdem significatione non opus erat. *Alisonem* accipe fluvium. Quodsi voluisset dicere Alisonem castellum (quod an detur diversum ab illo, satis dubium est), posuisset *Alisonem castellum*, non *castellum Alisonem.*

Cap. 8. *fossam, cui Drusianae nomen.* Sueton. Claud. c. 1. *fossas Drusianas* vocat numero plurali. Sic et apud Pomp. Mel. 2, 5. *fossa Mariana* est in Gallia, quae Plinio 3, 4. sunt *fossae Marii nomine insignes*, ut in opere maiori solent. Paulo ante ed. Ald. *praemissio* pro *praemisso.*

eadem ausum. cf. Dio 54, 32. ubi de Druso: ἔς τε τὸν ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρεισίους ᾠκειώσατο κ. τ. λ. Sueton. Claud. c. 1. Ceterum Ernestius volebat *ausurum* pro *ausum*. Male. Nam hodie res trita est, participia depon. praeter. ἀορίστως recte sic poni. cf. Walch. ad Agr. c. 33. p. 353. Ramshorn. Gr. §. 171. p. 465. Not. 1.

lacus inde. cf. not. ad 1, 60.

Classis Amisiae relicta laevo amne. Variae sunt interpretum de hoc loco opiniones atque tantopere invicem contrariae, ut tandem tenebras oculis obfundant. Quaeritur, quo respectu amnis dicatur *laevus*, utrum sui ipsius, an navium Amisiae relictarum. Hoc si admittis, inter multiplices locus vagatur interpretationes. Alii enim laevum amnem intelligunt, qui classi laevus esset. Classem aiunt relictam in ulteriori latere, ubi nunc est Amisia (*Emden*): naves stetisse proris in Oceanum versis, itaque amnem classi ad laevam fuisse. cf. Lipsius ad h. l. Potest tamen amnis eodem iure laevus dici, si cogitas classem in citeriori latere constitutam hominumque ora in navibus versantium ad terram versa ut egredientium. Alii *laevum* dici amnem putant respectu classis adventantis, quippe cui id latus fuerit laevum, quod ultra est; vocem *Amisiae* accipiunt de civitate, quae hodie est *Emden.* cf. Rick-

mutat Mosa flumine eiusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.

VII. Sed Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Cattos facere iubet: ipse, audito castellum Luppiae flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam praedam et Arpi principis Cattorum coniugem filiamque raperet: neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere ad famam adventus eius dilapsi. tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit: tumulum iterare haud visum. et

MS. habet *Vahalam*, quae tamen forma alibi non invenitur. Caes. B. G. 4, 10. *Valis;* Sidon. Apollinaris Carm. 13, 31. *Vachalis.*

mutat Mosa flumine. Mutat h. e. *wechselt.* Additur ablativus, ut apud Graecos genitivus. cf. Matthiae Gram. §. 342. An. 16, 12. *Maius Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutantur.*

Cap. 7. *adiguntur.* ἐπάγονται.

castellum L. fl. adp. cf. Dio 54. 33.

duxit. Ernestius vult *ducit*, propter praecedens *iubet.* Wolfius non adsentitur, quoniam pluribus locis sint similia. cf. infr. c. 20. *Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque: peditum aciem ita instruxit, ut pars aequo* etc. 1, 39. *imperat — recepitque.* Sunt qui negligentiae scriptoris talia tribuant. At egregius ut artifex et consulto haec ita concinnasse mihi videtur, atque sapienter satisque erudito sensu distinxisse, quae verba alacriori, quae tranquilliori cursu deberent fluere.

tumulum... structum. cf. supr. 1, 62. κενοτάφιον vero, quod Lipsius putat, tumulus ille non fuit; nam ossa medio campi albentia legerant et humo texerant. Inanis igitur tumulus ille non erat, ut Virgil. Aen. 3, 303. et Xenoph. Anab. 6, 4, 9. Ed. Ald. dat *tumultum* pro *tumulum.*

veterem aram Druso sitam. Quaeritur, utrum verba: *Druso sitam*, sint pro: *a Druso sitam*, an pro: *in honorem memoriamque Drusi sitam.* Qui illud probant cum Freinshemio, perperam in auxilium vocant locum An. 6, 41. cf. ibi notata. Hic autem alter dativus prioris membri *Varianis legionibus* satis indicat, quo sensu dativus *Druso* sit accipiendus, nempe *in Drusi memoriam.* Eundem dativum commodi id vocabulum habet Hist. 4, 22. *vallum, quod duabus legionibus situm.* An. 4, 55. *aede Augusto ibi sita.* Absurdior etiam videtur legionum decursio esse ad illam aram facta, ni sumas aram in Drusi memoriam positam. Deinde inquirunt, an vetus illa ara sit κενοτάφιον, de quo Dio 55, 2. aut *tumulus honorarius*, de quo Sueton. Claud. c. 1. At diversam ab hoc aram nostram facile cognosces. Nam Dio κενοτάφιον illud disertis verbis ponit πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ, quod accipiendum est de ripa Gallica. Hinc Suetonius refert, circa tumulum illum stato die quotannis militem decucurrisse, Galliarumque civitates publice supplicasse. Quod fieri non potuit apud aram sitam inter Luppiam et Visurgim, nisi si putes

cuncta inter castellum, Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.

VIII. Iamque classis advenerat, cum praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus fossam, cui Drusianae nomen, ingressus precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae relicta

Galliarum civitates in finibus hostium quotannis supplicasse. Quod autem attinet ad aram, de qua nunc sermo est, suspicor eam fuisse sitam in eo loco, ubi Drusus vita decessit. Obiit enim πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν. Dio 55, 1. Et mirum sane esset, si illum locum nullo monimento in memoriam tam gravis casus constituto reliquissent. Tali demum arae eximie convenit decursio legionum: cuius descriptionem vide apud Herodian. 4, 2, 19. exemplum in funere Augusti apud Dion. 56, 42. Cf. etiam Kirchmann. de fun. Rom. 3, 3. p. 212 sq. Adam, antiq. Rom. ed. Meyer II. p. 310. et p. 96.

cuncta inter castellum, Alisonem ac Rhenum. Sic locum distinguendum esse cum Vertranio censeo. *Castellum* intelligit, quod paulo ante dixerat Luppiae flumini adpositum, et propterea accuratiori eiusdem significatione non opus erat. *Alisonem* accipe fluvium. Quodsi voluisset dicere Alisonem castellum (quod an detur diversum ab illo, satis dubium est), posuisset *Alisonem castellum*, non *castellum Alisonem.*

Cap. 8. *fossam, cui Drusianae nomen.* Sueton. Claud. c. 1. *fossas Drusianas* vocat numero plurali. Sic et apud Pomp. Mel. 2, 5. *fossa Mariana* est in Gallia, quae Plinio 3, 4. sunt *fossae Marii nomine insignes*, ut in opere maiori solent. Paulo ante ed. Ald. *praemissio* pro *praemisso.*

eadem ausum. cf. Dio 54, 32. ubi de Druso: ἔς τε τὸν ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρεισίους ᾠκειώσατο κ. τ. λ. Sueton. Claud. c. 1. Ceterum Ernestius volebat *ausurum* pro *ausum*. Male. Nam hodie res trita est, participia depon. praeter. ἀορίστως recte sic poni. cf. Walch. ad Agr. c. 33. p. 353. Ramshorn. Gr. §. 171. p. 465. Not. 1.

lacus inde. cf. not. ad 1, 60.

Classis Amisiae relicta laevo amne. Variae sunt interpretum de hoc loco opiniones atque tantopere invicem contrariae, ut tandem tenebras oculis obfundant. Quaeritur, quo respectu amnis dicatur *laevus*, utrum sui ipsius, an navium Amisiae relictarum. Hoc si admittis, inter multiplices locus vagatur interpretationes. Alii enim laevum amnem intelligunt, qui classi laevus esset. Classem aiunt relictam in ulteriori latere, ubi nunc est Amisia (*Emden*): naves stetisse proris in Oceanum versis, itaque amnem classi ad laevam fuisse. cf. Lipsius ad h. l. Potest tamen amnis eodem iure laevus dici, si cogitas classem in citeriori latere constitutam hominumque ora in navibus versantium ad terram versa ut egredientium. Alii *laevum* dici amnem putant respectu classis adventantis, quippe cui id latus fuerit laevum, quod ultra est; vocem *Amisiae* accipiunt de civitate, quae hodie est *Emden.* cf. Rick-

laevo amne, erratumque in eo, quod non subvexit. transposuit militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. Et eques quidem ac legiones prima aestuaria nondum adcrescente unda intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen Bataviique

lefs ad h. l. At nonne amnis adventanti classi tum etiam laevus fuit, si adpulerunt ad citerius latus? Nam fac naves constitisse, ubi nunc est *Delfzyl*, tum sine dubio oram citeriorem habuerunt dextram, amnem laevum. Vides sic nimiam esse ambiguitatem opinandi. Sin vero amnis *laevus* dicitur respectu sui ipsius, *laevus* amnis non potest esse nisi laevum amnis latus, quod opponitur dextro. Sic vulgo loquimur de dextris et laevis fluviorum ripis. Tum classem intelligas constitutam in latere occidentali eius sinus, in quem effunditur Amisia, ubi nunc est *Delfzyl*; vocem *Amisiae* accipias de loco stationis, oppido aut vico, contra Amisiam civitatem, quae hodie est, sito. Hanc explicationem dederunt Mannert (in *Geogr. Ant.* III. p. 104), Wilhelm (*Ueber Germanien.* Weimar 1823), Cluverius, Freinshemius, Ernestius aliique. Neque dubites, hos verum vidisse. Nam aperte *laevus amnis* et *dextrae terrae* hic invicem sibi opponuntur. *Dextrae* autem *terrae* non possunt intelligi nisi terrae in dextra Amisiae ripa obviae inter Amisiam et Visurgim, in quas itum esse constat e sequentibus.

erratumque in eo, quod non subvexit. Sc. intra fluminis ora usque ad eum locum, ubi militem e navibus in dextram amnis ripam exponeret. Tum evitasset incommoda cum transpositione coniuncta. *Subvehere*, ἀνάγειν, adverso flumine vehere. cf. infr. c. 60. *Nilo subvehebatur.* Sueton. Cal. c. 15. *inde* (Ostia) *Romam Tiberi subvectos.* Iam interpretes hic inveniunt nescio quid impedimenti, quo minus bene procedat oratio; Ernestius vel in detrimentum verbi *transposuit* sententiam tulit. At nihil locus laborat, nisi breviloquentia. Post *subvexit* exspectas, scriptorem redditurum esse rationem, cur erratum esse dixerit. Omittit tamen more suo hanc prolusionem, pergitque in rebus dicendis, quae cohaerent sic: *Non subvexit*, sed classem reliquit in statione. Iam quaeritur, quomodo miles dextras in terras iturus eo pervenerit. Respondet auctor: *transposuit militem* etc. Igitur transpositio opponitur subvectioni, et ceteris vocabulis praeponitur verbum *transposuit*, quia praecipua ei inest vis: transposuit, quum debuisset subvehere. Germanice: *Die Flotte ward zu Amisia am linken Ufer zurückgelassen und darin gefehlt, dass er nicht aufwärts fuhr. Er setzte die Mannschaft hinüber, welche in das Land rechts sollte.* Alii miro haec confundunt: et Lipsius quidem opinione sua deceptus, qua classis stationem ad dextrum amnis latus fuisse contendit. Freinshemius dupliciter erratum putat, primo quod non subvexit, deinde quod non transposuit, ut ita hoc verbum adhuc pendeat e particula *quod.* At tum copula erat addenda, quae hic omitti nequibat. Sunt etiam qui intelligant *sed* ante *transposuit.* Maluerim: *nimirum*, *scilicet.* Punctum, quod ante *transposuit* reponimus, iam pridem erat in vett. edd.

efficiendis pontibus. Ernestius per enallagen accipit de uno ponte, quo Amisiam amnem iunxerit. Res tamen postulat, ut cogitemus de pontibus non solum super Amisiam, sed etiam super aestuaria paludesque positis. Sic 1, 61. *Caecina praemissus, ut pontes et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret.*

in parte ea, dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati et quidam hausti sunt. Metanti castra Caesari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: missus illico Stertinius cum equite et armatura levi igne et caedibus perfidiam ultus est.

IX. Flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset? postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre colloqui,

in parte ea. h. e. in auxiliorum agmine. cf. Sallust. Iug. c. 60. *nam is in ea parte curabat.* Caes. B. G. 1, 12. *ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat.* Broterius verba: *in parte ea,* perperam refert ad aestuaria. Nam id per se intelligitur de transitu aestuariorum sermonem esse.

dum insultant. cf. Ramshorn. Gr. §. 189. I. 1., p. 573.

hausti sunt. cf. 1, 70. *hauriuntur gurgitibus.*

metanti castra Caesari Angriv. defectio a tergo nuntiatur. Angrivarios Wolfius censet haud multo ante in societatem Rom. perductos a Germanico eorum sedes peragrante, idque Tacitum ex hac narratione suspicandum nobis reliquisse. Ricklefs tamen aliique hic lacunam deprehendunt. Et profecto inter ea, quae de transpositione militum Tacitus narravit et quae nunc de castrorum metatione incipit, necesse est fuisse plurium dierum spatium. At quis tandem adfirmabit, illis diebus memoratu dignum aliquid accidisse? Quid, si praeter ea, quae in itinere inoffenso fieri solent, nihil evenit? Num putas Tacitum enarraturum esse, quae milites in via confabulati, iocati, epulati sint? Germanicus agmen duxit per nationes pacatas aut nil contra ipsum molientes; hinc factum est, ut inlacessitus ad Visurgim perveniret, ubi hostes erant, quos petebat. Ibi castra metatus est, sc. castra stativa et rite permunita. Id primum tunc memoratu dignum accidit post superatam Amisiam. Nam in itinere, ubi nimia necessitas non premeret, castra iusta munitione circumdata non fiebant; caespites circumdabantur et inde velut murus struebatur, altus tribus tantum pedibus super terram. Neque metabantur huius generis castra, sed secundum locorum rationem nunc rotunda, nunc triangula, nunc quadrata faciebant. cf. Vegetius 3, 8. et 1, 24. Sallust. Iug. c. 45. *castra — iusta, acsi hostes adessent, vallo atque fossis munire.* Quae si reputas, verba: *metanti castra Caesari*, egregie explent lacunam. Innuunt Caesarem confecto itinere eo pervenisse, ubi hostes imminerent et castra essent metanda. Iam Angrivariorum defectio haud dubie nos iubet suspicari, eam gentem prius pacatam; neque tamen verisimile est, id hoc quidem itinere a Germanico esse factum. Tacitus non tacuisset propter subitam defectionem deinde secutam. Videntur potius priori anno cum Germanico pepigisse, Chauci saltem, contermina Angrivariis gens, secundum An. 1, 60. tum in commilitium adsciti sunt. Quare et idem Stertinius nunc mittitur, qui priori anno inter easdem gentes rem gesserat. Quanquam defectionis nomine quicunque Germanorum conatus dici solet, quo libertatem suam contra Romanos tuerentur. Sic infr. c. 13. Cherusci etiam dicuntur *perfidi et ruptores pacis.*

oravit. Erat is in exercitu, cognomento Flavius, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. tum permissum, progressusque salutatur ab Arminio: qui amotis stipatoribus, ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent, postulat, et postquam digressi, unde ea deformitas oris? interrogat fratrem. illo locum et proelium referente: quodnam praemium recepisset? exquirit. Flavius aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat, inridente Arminio vilia servitii pretia.

X. Exin diversi ordiuntur: hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam: neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: ille fas patriae, libertatem avitam, penetralis Germaniae deos, matrem precum sociam, ne propinquorum et adfinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet. Paulatim inde ad iurgia prolapsi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius adcurrens plenum irae armaque et equum poscentem Flavium attinuisset. cernebatur contra minitabundus Arminius proeliumque de-

Cap. 9. *Flavius.* Sic edd. omnes nisi quod ed. Ald. habet *Fauius;* mox eadem *Flauius.* Cod. MS. *Flavus.* Sed infr. 11, 16. bis est *Flavius*, neque proditum codd. MSS. variare.

tum permissum. Sic cod. MS. edd. vett. et recentt. Frustra Heinsius: *tum, ut permissum;* frustra vir doctus apud Ryckium: *id tum permissum;* male Herrmannus: *duce Tiberio tum. Permissum* etc. Nam *tum* hic est *τότε μέν* s. *τότε μὲν οὖν*, quod Graeci frequentant transeuntes ad aliam narrationis partem. cf. infr. 11, 31. *Tum potissimum quemque amicorum vocat* etc. 4, 10. *ea fraude tum senem.*

Cap. 10. *diversi ordiuntur. diversi, ἐναντίοι, gegen einander stehend.* cf. infr. 13, 57. *diversam aciem.* 14, 30. 15, 15. *nostri per diversum ivere.* 16, 30. *steteruntque diversi.* Agr. c. 11. *procurrentibus in diversa terris.* Wolfius non satis recte: „Uterque causas suas et consilia proferre coepit, diversa inter se et contraria." *Ordiuntur* sc. loqui, colloqui, disserere. Sic 1, 41. *apud circumfusos ita coepit;* 1, 34. *a veneratione Augusti orsus.*

penetralis G. deos. cf. infr. 11, 16. *non alium infensius arma contra patriam ac deos Penates, quam parentem eius* (Flavium) *exercuisse.* *Penetrales* dicuntur, quia sunt rerum custodes intimarum. cf. Cic. N. D. 2, 27.

cohibebantur, ni ... attinuisset. cf. not. ad 1, 35.

nuntians. nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

XI. Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Caesar nisi pontibus praesidiisque impositis dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus equitem vado tramittit. praefuere Stertinius et e numero primipilarium Aemilius, distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. qua celerrimus amnis, Cariovalda dux Batavorum erupit: eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxere: dein coorti et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Cariovalda diu sustentata hostium saevitia hortatus suos, ut ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos inrumpens congestis telis et suffosso equo labitur ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites cum Stertinio Aemilioque subvenientes periculo exemere.

XII. Caesar transgressus Visurgim indicio perfugae cognoscit delectum ab Arminio locum pugnae: convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. habita indici fides. et cernebantur ignes: suggressique pro-

Cap. 11. *imperatorium*. στρατηγικόν, ἡγεμονικόν.

diducerent. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *deducerent.* In castigatt. Rhenan. emendat *diducerent.* Hinc recte Lips. seqq. edd. *diducerent.* cf. 1, 60. *Caecinam — distrahendo hosti — mittit.* cf. Hist. 4, 46. *Eos Mucianus diduci iubet.* Quo in loco male libri quidam vett. habent *deduci.* Vide etiam Quintil. Instit. 4, 2, 82. et 5, 13, 13. Mox cod. MS. *Chariovalda.*

collectosque in orbem. Res notissima. cf. Caes. B. G. 5, 33. 4, 37. Liv. 4, 28. 39. 28, 22.

saevitia. χαλεπότης, δεινότης. cf. 1, 67. et not. ad 2, 5.

frangerent. Sic edd. Lips. Pich. Grut. sqq. *fringerent* edd. Ber. Rhen. Ald.

Cap. 12. *silvam Herculi sacram.* De Hercule Germanorum vid. Tac. Germ. c. 9. et not. ad Germ. c. 3 et 34. Novissimi interpretes (cf. Ricklefs et Herrmann. ad h. l.) intelligunt montes, qui hodie audiunt *Suntelgebirge*, in quorum cacumine (*der Hohnstein*) supersunt veteris arae reliquiae, nomine *Trudenstein.* Vocabulum *Suntel* interpretantur *Sühnthal;* Herculis mentionem referunt ad vocem antiquam *Heark*, lucus. Hoc tamen parum fidei habet propter Germ. c. 3. 9. 34.

pius speculatores audiri fremitum equorum immensique et inconditi agminis murmur attulere. Igitur propinquo summae rei discrimine explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat: Tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare: libertorum servilia ingenia: amicis inesse adulationem: si concio vocetur, illic quoque, quae pauci incipiant, reliquos adstrepere. penitus noscendas mentes, cum secreti et incustoditi inter militaris cibos spem aut metum proferrent.

XIII. Nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis fruiturque fama sui: cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per iocos eundem animum laudibus ferrent reddendamque gratiam in acie faterentur: simul perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. Inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo voce magna coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras: veniret dies, daretur pugna, sumpturum

foret. Heinsius emendat *ferret*, quod placet Ernestio; Wolfius id non satis latinum esse scribit; et melius haud dubie vulgatum *foret*, quod sic ponitur pro *fieret*.

militaris. Sic edd. Ber. Rhen. Lips. sqq. *militares* ed. Ald. et nuper quidam editores.

Cap. 13. *egressus augurali. Augurale* (s. *auguratorium* s. *auguraculum*) secundum Hyginum parte dextra est praetorii ad viam principalem, ut dux in eo augurium recte capere possit. Ablativus *augurali* viam indicat, qua egressus est. cf. not. ad 1, 60. Igitur egressus est, non qua solebat egredi, sed per augurale, unde egredi insolitum. Frustra coniectaverunt quidam, a sanctiore parte hic totum praetorium dici augurale; frustra Vertranius, legendum esse *augustali* pro *augurali*. Verba: *per occulta et vigilibus ignara*, alii referunt ad praecedentia, ut explicandi causa addita esse videantur; alii, ut Ricklefs, rectius coniungunt: *per occulta — adit.* Non enim porta solum insolita egressus est praetorio, sed deinde etiam per occulta et vigilibus ignara ad castrorum vias pervenit.

comite uno. cf. 1, 5.

ferina pelle. Ut habitum mentiretur Germanorum, quorum multi in castris. Lips. cf. Germ. c. 17.

patientiam. καρτερία. Sueton. Iul. c. 68. *ne patientia et pertinacia hostis animi suorum frangerentur.*

militem Germanorum agros, tracturum coniuges: accipere omen et matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare. Tertia ferme vigilia adsultatum est castris sine coniectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere.

XIV. Nox eadem laetam Germanico quietem tulit: viditque se operatum et sanguine sacri respersa praetexta pulchriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis vocat concionem et quae sapientia praevisa aptaque imminenti pugnae disserit: Non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed, si ratio adsit, silvas et saltus. nec enim immensa barbarorum scuta, enormis hastas, inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori

matrimonia ... praedae destinare. Sc. uxores rapiendo, sive auferendo uxores matrimoniis hostium. Ernestius et qui illum sequuntur, non satis recte *matrimonia* hic pro ipsis uxoribus dicta accipiunt, quod ab hoc certe loco alienum est, quanquam nemo infitiabitur, vocem ad uxores spectare praedae destinandas.

nihil remissum. Graece οὐδὲν ἀνειμένον. Nam *remissum* exacte respondet τῷ ἀνειμένον Graecorum, qui quomodo sic participiis utantur, vide apud Matth. Gr. §. 570.

Cap. 14. *operatum.* Sacrorum verbum. cf. Tibull. 2, 5, 95. Curtius 8, 10. Pro *viditque* Muretus volebat *vidit;* Acidalius et Heinsius *vidit quippe.* Frustra; nam *que*, sicut *et*, eadem utitur explicandi vi. cf. infr. c. 59. *levavitque.*

sanguine sacri. Sic cod. MS. testante I. Gronovio. — Edd. vett. et recentt. *sanguine sacro.* Sed non erat causa, cur ab antiquo recederetur. Nam *sacrum* pro *sacrificio* dici nemo nescit; non aeque pro *hostia.* Iam *sanguis sacri* (*Opferblut*) est sanguis, qui inter sacrificandum fluit. Idque Tacitus hic sibi vult, nempe inter operandum sanguine respersam esse praetextam; non autem quaeritur, quali sanguine sit respersa. cf. Sueton. Calig. c. 57. *Sacrificans respersus est phoenicopteri sanguine.*

addicentibus auspiciis. Auspicia hic, ut infr. c. 17. *augurium*, sunt ipsa signa et omina, de quibus non minus bene quam de avibus verbum *addicere* usurpatur. Liv. 1, 36.

quae sapientia praevisa. Freinsh. Gronov. Ryck. Heins. et Ernestius volunt *provisa.* Sed recte contra illos Wopkensius monet: „Nullum in tota concione Germanici verbum est, quo commoda a se parata aut quidquam providentia sua curatum memoret. Ut potius sese parent futurae necessitati, milites suos hortatur, ea disserens, quae sapienter praeviderat et animadverterat ex usu futura." Aliter se res habet infr. 4, 25. *cuncta proelio provisa;* Hist. 5, 17. *quae provideri astu ducis oportuerit, providisse;* An. 11, 7. ubi vide notata.

ratio. cf. Agr. c. 18. *ratio et constantia ducis transvexit.*

tegmina, denserent ictus, ora mucronibus quaererent: non loricam Germano, non galeam: ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis, fucatas colore tabulas: primam utcunque aciem hastatam, ceteris praeusta aut brevia tela. iam corpus, ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum abire, fugere: pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani iuris memores. Si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quam Rhenum, neque bellum ultra: modo se patris patruique vestigia prementem iisdem in terris victorem sisterent.

XV. Orationem ducis secutus militum ardor: signumque pugnae datum. Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari: Hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint: quorum pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus et pro-

denserent. Sic cod. MS. testante I. Gronovio. Recepit Wolfius sqq. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *densarent.* Solent sic libri veteres variare inter utramque formam. cf. virorum doctorum notas ad Virgil. Georg. 1, 248. Horat. Od. 1, 28, 19. Ovid. Fast. 3, 820. Paulo ante unus Aldus inter veteres *enormes*; ceteri *enormis*.

non loricam etc. cf. Germ. c. 6.

vel tenuis. Sic edd. Ber. Rhen. Ald. sqq. usque ad an. 1672., ubi Gronovii edidere *sed tenuis*, lapsu operarum, ut videtur. Obtemperaverunt tamen sqq. edd. omnes.

iam corpus .... validum. cf. Germ. c. 4. *magna corpora et tantum ad impetum valida.*

patris patruique. Drusi et Tiberii. At Tiberius et ipse pater Germanici adoptione. Quare supr. 1, 42. *hunc ego nuntium patri — feram?* Hic vero utitur patrui appellatione, ut utrumque patrem distinguat.

Cap. 15. *onusta vulneribus tergum.* Revocavi cod. MS. et vett. edd. scripturam, Wolfii cura reiectam et inde omnibus editoribus spretam. *Tergum* mutant in *terga*, ut *onusta vulneribus terga* aeque ac verba: *fractos artus* referantur ad verbum *obiiciant*, quod absurdum esse videtur. Sermo est de Romanis ad proelium se accingentibus signaque admoventibus. Quid igitur Germani glorientur de tergis hostium sibi obiectis, non video. Num milites ad pugnam procedentes *terga* hostibus obiiciunt? Immo faciem. Sed fortasse Germani adroganter loquuntur, tanquam Romanos mox fugatos persecuturi eorumque tergis haesituri. At ne sic quidem terga *obiici* possunt dici. Nam qui fugit, non obiicit tergum, sed, quantum fieri potest, subtrahit. Iam vero de fugientibus om-

cellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis diis obiiciant, nulla boni spe: classem quippe et avia Oceani quaesita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. meminissent modo avaritiae, crudelitatis, superbiae: aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium?

XVI. Sic accensos et proelium poscentes in campum, cui Idistaviso nomen, deducunt. Is medius in-

nino non est sermo, sed de hostibus propinquantibus, qui quomodo terga obiicere possint, nisi si retrorsum accedant, non intelligo. Quae cum ita sint, redeo ad veteres libros. Duplici modo accipi haec possunt. Intellige *sit* ad prius membrum, ut ita verba: *quorum pars* (sit) *onusta vulneribus tergum*, per se consient neque cohaereant cum verbo *obiiciant*. Quod si tibi non placet, apte etiam utrumque membrum coniungi potest sine *sit*, dum leve anacoluthon esse statuas. Nempe in animo erat scriptori dicere: *quorum pars onusta vulneribus tergum — infensis rursum hostibus, adversis diis se obiiciant.* Iam vero propter vocabulum *artus*, quo utitur in altero membro, *se* otiosum evadit omittiturque; nam *artus obiicere* idem est ac *se obiicere*, quoniam *artus* dicuntur pro corpore. cf. infr. c. 21. Hist. 4, 81. Virgil. Aen. 2, 254. Sensus igitur totius loci est hic: *hos esse, quorum pars licet onusta sit vulneribus tergum, pars licet fluctibus et procellis fractos habeat, artus infensis rursum hostibus — obiiciant.* Impeditior sane structura, sed ad modum Graecorum, quorum vestigiis Noster haeret et qui multo impeditiora habent. Quod Tacitus scribit *tergum*, non *terga*, quamvis de pluribus, exemplum aliud est Hist. 5, 16. *qui vulnera tergo ferant.* Vulgaris autem apud illius aetatis scriptores est graeca structura, quae exstat in *onusta vulneribus tergum*, cf. Sueton. Oct. c. 20. *dextrum genu lapide ictus — crus et utrumque bracchium ruina pontis consauciatus.* Noster in Germ. c. 17. *nudae bracchia ac lacertos.* ibid. *cetera intecti.*

adversis diis. Sic cod. MS. (*dis*) edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. sqq. Ante Lipsium nescio qui ediderat *adversis odiis.*

nulla boni spe. Ernestius emendabat: *nulla bona spe.* Sed vulgatum egregie defenditur loco Cicer. post red. in sen. c. 5. *Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo.*

aliud sibi reliquum. Rhenan. Vertran. Ferret. volunt addi *nihil* vel *non*; Heinsius *haud*; Lipsius *an*; Acidalius et Ryckius *nec*; Ursinus *quid.* Grotius legit *aliud quid*; Ernestius *quid* pro *aliud.* Wolfius auctore Wopkensio interrogationem admittit, omissa ut saepius particula interrogationis; et sic vett. edd. Recte, dum accipias non pro vulgari interrogatione, sed ut ironice dictam: *Es bleibe ihnen wohl etwas anderes übrig als* etc. Hoc enim interrogationis genus particula interrogandi caret, quoniam revera nihil quaeritur, sed potius ut certissimum aliquid ponitur. Sic infr. 13, 21. *Vivere ego Britannico potiente rerum poteram.* cf. not. ad 12, 37. et 4, 70. Censeo signum interrogationis in eiusmodi locis melius omitti.

Cap. 16. *cui Idistaviso nomen.* Eum campum Lipsius repperisse sibi videbatur circa pagum, qui *Vegesack* dicitur, infra Bremam.

ter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. pone tergum insurgebat silva editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos. Campum et prima silvarum barbara acies tenuit: soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte: post quos pedites sagittarii: dein quattuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar: exin totidem aliae legiones et levis armatura cum equite sagittario ceteraeque sociorum cohortes.

Austro propiorem rectius alii ponunt. Broterius quaerit prope Hamelen trans Visurgim; Mannert inter oppida Minden et Vlotho; Cluver. ant. Germ. III. p. 50. inter Minden et Oldendorf; Strombeckius inter Holzminden et Fürstenberg; Ricklefs inter Hausbergen, Wittenhausen, Vennebeck et Holtrup. cf. Wilhelm, *Germanien* p. 164. Strack et Münchhausen (in libro *Wegweiser durch die Gegend um Eilsen.* 1817) circa Oldendorf, quo alii referunt alterum Germanici proelium; Reichard in lib. laud. p. 228. inter Bückeburg, Stadthagen et Wiedersahl. Iudicent, qui terras viderunt. Vocabulum *Idistavisus* sunt qui Romanis male perceptum putent pro voce Germanica: *hi sta wi*, vel: *it is a Wisk*, vel: *et is stah wisse.* Perzius (*italien. Reise* p. 44—46), qui vidit codicem MS., prodidit ibi esse: *dui id i sta viso.* cf. Pfister, Gesch. d. T. I. p. 97.

ut ripae fluminis cedunt. Vocabulum *ripae* accipe in dativo; qui *cedunt*, sunt *colles*; *prominentia montium* sunt, quae *resistunt.* Sic aequalitatem accipit descriptio loci. Campus sinuatur non fluvium, sed colles versus. Qui *ripae* cum Ernestio habent pro subiecto verbi *cedunt*, dupliciter peccant. Primum intolerabilem huic descriptioni intrudunt inconstantiam, ut ad extremum nescias, quid sibi velit scriptor. Campus, ait, inaequaliter sinuatur; nunc enim ripae fluminis cedunt sc. collibus h. e. longius inde distant, ut ita latior evadat campus; nunc prominentia montium resistunt, sc. fluvio, dum longius prominent in campum. Resistitur igitur ei, qui cedit? Mirum. Exspectaveras potius, auctorem, uti ripas fluminis cedere dixerat, ita easdem rursum accedere montibus fuisse dicturum. Iam vero nunc loquitur de fluvio collibus cedente, mox transilit ad montes fluvio resistentes. Sic ipsa campi descriptio satis inaequaliter sinuatur. Deinde et illud contortum est, quod in hac descriptione cogitant de *ripis* fluminis, quum de una tantum ripa sermo esse possit, altera vero non pertineat ad campum citra positum. Satis in hac re constantem sibi invenies Tacitum. cf. supr. c. 9. *eius in ripa.* Germ. c. 17. et 23. *proximi ripae;* c. 28. *ipsam Rheni ripam;* c. 29. *non multum ex ripa.* Omnino autem hic non *ripae* dicendae erant cedere, sed fluvius. Oberlini ratio, qui *colles* ad utrumque verbum refert, nemini placebit, nisi quis delectetur ambagibus illis: *colles prominentia montium resistunt.* Mox ed. Ald. *puro humo.*

praetoriis cohortibus. Intellige cohortes, quae custodiae causa praetorio ducique aderant. cf. Caes. B. G. 1, 40. Sallust. Catil. c. 60.

Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret.

XVII. Visis Cheruscorum catervis, quae per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium octo aquilae petere silvas et intrare visae imperatorem advertere. exclamat, irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina. simul pedestris acies infertur et praemissus eques postremos ac latera impulit: mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant. medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur: inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam: incubueratque sagittariis illà rupturus, ni Raetorum Vinde-

ut ordo agminis in aciem adsisteret. h. e. ut ordo agminis, quando agmen sisteretur, aciem statim formaret, sive: ut ordo agminis, quando adsisteret, adsisteret in aciem. Sunt editiones prioris aetatis, quae male distinguunt: *ut ordo agminis, in aciem adsisteret.* Quae quum bonum sensum non funderent, Lipsio videbatur legendum *adstitere*; Grutero et Acidalio *adsisterc* vel *adstiterat.* Meliorem rationem, quae etiam est in edd. Beroald. Rhenan. et Ald., revocavit I. Fr. Gronovius.

Cap. 17. *tergaque.* Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *tergave;* edd. Lips. seqq. emendatius *tergaque.*

octo aquilae. Propter illius regionis naturam aquilas non gignentis non de aquilis, sed de pycargo cogitandum esse dicunt, qui Linnaeo est vultur albicilla. Id tamen levissimum est et bene quidam monent, ex illo tempore ad hunc diem multa in hac re esse immutata. Et illud miraculum fuit.

propria legionum numina. cf. Hist. 3, 10. *conversus ad signa et bellorum deos.* Dionys. Halic. 6, 45. Plin. 10, 3 et 4.

insignis Arminius manu, voce, vulnere. Ablativi pendent e vocabulo *insignis*, non e verbo *sustentabat*, uti vulgo accipiuntur, quasi vulnere suo demonstrando, quo ad imitationem fortitudinis incenderentur, pugnam sustentasset. (Ricklefs: *durch Wundenzeigen*, mirum dictu!) Immo *insignis* fuit Arminius (h. e. noscebatur Romanis et suis) *manu*, qua signa dabat, *voce*, qua ceteris imperitabat, *vulnere*, quod inter pugnam tum acceperat. Simillimum exemplum vide Hist. 3, 17. ubi Antonius dicitur *consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis.* Ibid. c. 29. *conspicuus manu ac voce.* Sallust. Iug. c. 60. *sicuti audiri aut cerni possent, monere alii, alii hortari aut manu significare.*

illa rupturus. sc. aciem Romanam. *Illà* ut Agr. c. 28. *mox hac atque illa rapti.* Germ. c. 34. *Oceanum illa tentavimus.* Hist. 3, 8. *ne pervium illa G. exerc. foret.* Hist. 5, 18. *solidum illa. Rumpere* hic est synonymum verbo *scindere* 1, 65. Alibi Tacitus frequentat *perrumpere.* Hist. 3, 29. 4, 71.

licorumque et Gallicae cohortes signa obiecissent. nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. quidam agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit: ceteri passim trucidati. et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere. quidam turpi fuga in summa arborum nisi ramisque se occultantes admotis sagittariis per ludibrium figebantur: alios prorutae arbores adflixere. Magna ea victoria neque cruenta nobis fuit.

XVIII. Quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem millia passuum cadaveribus atque armis opplevere, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. Miles in loco proelii Tiberium imperatorem salutavit, struxitque aggerem et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuit.

XIX. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species dolore et ira adfecit. qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt: plebes, primores, iuventus, se-

An. 4, 40. et quidem sensu intransitivo, ita tamen ut facile intelligatur, quid sit, quod rumpant aut perrumpant, ut hic *aciem Romanam*. Nam hi Germanos tum undique circumsepserant. Igitur *rumpere* est rupturam, ut ita dicam, facere. Una ed. Ald. *erupturus*, quod volebat Muretus. Sed *erumpendi* notio ab hoc loco aliena est; id verbum dicitur de iis, qui cum vi surgunt e castris vel alia sede ad impetum faciendum, cf. supr. 1, 36 et 67. Mox ed. Ald. *nissu* pro *nisu*; et deinde *nissi* pro *nisi*.

agnitum. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *adgnitum*; edd. Lips. sqq. *agnitum*.

alios prorutae arbores adflixere. h. e. alii prorutis arboribus adflicti sunt. Dio 37, 2. οὗτοι ὑποτμηθέντων τῶν δένδρων ἐφθάρησαν. De securibus ad hunc usum apud militem paratis vide infr. 3, 46.

Cap. 18. *repertis . . . . catenis*. Similis adrogantiae exempla Lipsius adfert e Flor. 3, 7. Polyb. 3, 82.

in Romanos. E graecismo, εἰς τοὺς Ῥωμαίους, *für die Römer*. Sic apud Plutarch. Xenocrates: ἐμοὶ μὲν γὰρ, ἔφη, μόλις ὁ Δαρείου πλοῦτος εἰς τοὺς φίλους ἤρκησεν. cf. not. ad 5, 7.

Tiberium imperatorem salutavit. Prisco more. cf. not. ad 1, 2.

tropaeorum. Edd. Ber. Rhenan. Ald. sqq. *trophaeorum*. Hodierna scriptura coepit a Gronoviorum ed. 1672.

Cap. 19. *luctus*. Sc. de morte propinquorum.

nes agmen Romanum repente incursant, turbant. postremo deligunt locum flumine et silvis clausum, arta intus planitie et humida: silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur. hic pedes adstitit: equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvam legionibus a tergo foret.

XX. Nihil ex his Caesari incognitum: consilia, locos, prompta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque: peditum aciem ita instruxit, ut pars aequo in silvam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur: quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. quibus plana evenerant, facile inrupere: quis impugnandus agger, ut si murum succederent, gravibus

locum flumine et silvis clausum. Mannert in Geogr. III. p. 113. locum ponit inter Visurgim et lacum Steinhuderium prope Lockum. A quo diversi Wilhelm (*Germanien* p. 164 sq.) et Ricklefs ad h. l. opinantur locum esse quaerendum prope oppidum Kohlenstaedt, ab Oldendorf occasum versus; nam ibi inventa esse illius proelii vestigia, et pagos *Engern* et *Landwehr* indicare nominibus suis aggerem Angrivariorum, qui mox dicitur.

planitie. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *planicie.* Hodierna scriptura coepit a Lips.

Cap. 20. *Nihil ex his.* Sic edd. Oberlin. sqq. Priores omnes *nihil ex iis.* Sed pervulgaris est utriusque pronominis in vett. libris confusio, cuius rei innumera supersunt in seqq. exempla.

prompta. Graece πρόχειρα. Vocabulum respicit ad peditem, qui in planitie adstitit; *occulta* referas ad equitem propinquis lucis tectum.

quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. Duriorem syllepsin Ernestius dicit. Multo durior tamen videtur esse apud Herod. 4, 106. ἐσθῆτα δὲ φορέουσι τῇ Σκυθικῇ ὁμοίαν, γλῶσσαν δὲ ἰδίην. Vid. not. ad 1, 35. sub verbo *quaeruntur*, infr. 2, 58. 4, 23 et 49. et alibi passim. Mox ed. Ald. *queis* pro *quis.*

murum succederent. Ne in formula offendas, distingue varios huius verbi usus. *Succedere alicui* i. q. successorem esse alicuius; *succedere alicui rei*, quae talis est, ut feratur, toleretur e. g. *oneri.* Virg. Aen 2, 723. *pugnae*, ibid. 11, 826. vel quae talis est, ut intus aut sub illa esse possis, ut *antro*, Virg. Ecl. 5, 6. *urbi*, id. Aen. 8, 76. *tecto*, ibid. 2, 478. *Succedere* c. praepos. *ad*, *in.* Curt. 4, 3, 2. *navis ad molem successit*; ibid. 4, 5, 19. *ad portus claustra successit.* Virg. Aen. 9, 663. *ipsi in certamina rursus succedunt.* Qua in formula *sub* simpliciter indicat, *cedi s. iri* in s. ad aliquem locum, ad similitudinem τοῦ ὑπό in ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον, ὑπὸ δικαστήριον ἄγειν τινά, ita tamen ut is, qui successit, plerumque cogitetur esse sub illo loco. Iam Graeci haud raro verba composita cum accusativo coniungunt sine praepositione, quoniam praepositio verbis adhaerens eum casum requirit. Herod. 5, 34. τεῖχος ἐσάξαντο pro ἐς τεῖχος ἐσάξαντο. Sic etiam Latini *succedere murum* pro *succedere sub* vel *ad murum.* Liv. 31,

superne ictibus conflictabantur. Sensit dux imparem cominus pugnam, remotisque paulum legionibus funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem iubet. missae e tormentis hastae, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti. Primus Caesar cum praetoriis cohortibus capto vallo dedit impetum in silvas: collato illic gradu certatum. hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant: utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.

XXI. Nec minor Germanis animus: sed genere pugnae et armorum superabantur, cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium: contra miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet viamque strage hostium aperiret, impromto iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin et Inguiomerum tota volitantem acie fortuna magis quam virtus deserebat. et Germanicus, quo magis agnosceretur, detraxerat tegimen capiti orabatque, insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore. Iamque sero diei subducit ex acie le-

45. *portas succedunt*, Caes. B. G. 2, 6. Similiter Tac. Hist. 3, 29. *quos inciderat* pro *in quos ceciderat*. Frustra igitur Muretus emendabat: *ut si muro succederent*, quanquam ea quoque structura exemplum habet apud Liv. 23, 44. *Quem ut successisse muris Marcellus vidit*.

libratoresque. In cod. MS. I. Gronovius invenit *libritoresque*; sic etiam in cod. Flor. litt. Lang. scr. 13, 39., quod ille defendit propter analogiam in *librile*, *libripens*. Ernestius non recepit, quia apud Plinium omnes libri habeant *libratores*, iidemque sint in Cod. Theodos. L. 13. t. 4. l. 2. Cod. Iust. Lib. 10. t. 64. l. 1. nec dicantur a *libra*, sed a *librando*. Vulgatum habent edd. Ber. Rhen. Ald. sqq.

Cap. 21. *genere pugnae et armorum*. cf. supr. c. 14.

insidens capulo manus. Capulum intellige ad tegendam manum munimento quodam instructum.

nuda ora. cf. Germ. c. 6. *vix uni alterive cassis aut galea*.

imprompto iam Arminio. Vocabulum *Arminio* deest in cod. MS. et ed. Beroald. in qua est lacuna. Edd. sqq. habent e coniectura Beroaldi. Mox edd. vett. *adgnosceretur*.

gionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. equites ambigue certavere.

XXII. Laudatis pro concione victoribus Caesar congeriem armorum struxit superbo cum titulo: DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TIBERII CAESARIS EA MONIMENTA MARTI ET IOVI ET AUGUSTO SACRAVISSE. de se nihil addidit, metu invidiae, an ratus conscientiam factis satis esse. Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent. atque illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere.

XXIII. Sed aestate iam adulta legionum aliae itinere terrestri in hibernacula remissae: plures Caesar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit.

equites ambigue certavere. Interpretantur: *die Reiterei focht nicht entscheidend*, quasi dubia fuerit ab illa parte victoria, quod ab hoc loco alienum esse videtur. Nil in ea victoria anceps fuit. Sin fuisset, non obiter et suo loco auctor monuisset. Immo supra scripsit: *quibus plana evenerant, facile inrupere*, et hi sunt equites. Hinc *ambigue certavere* potius significat, ambiguo animo, ambigua fide certavisse, quod satis est credibile; nam equites plerique sumebantur e sociis, Gallis Germanisque. *Ambiguum* igitur *equitum certamen* opponitur saevitiae legionum, quae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. Sic 13, 34. *ambigua fides*; Hist. 3, 35. *ne — ambigue agerent.*

Cap. 22. *armorum.* Sic edd. Rhenan. sqq. Beroaldus ediderat *marmorum*, quod Victorius in suo exemplari correxit in *armorum.* Mox edd. vett. *munimenta*; edd. Lips. 1574 sqq. *monimenta.* Dein restitui *addidit*, pro quo Oberl. sqq. dedere *addit*, vit. typ.

conscientiam factis satis esse. Sic cod. MS. edd. Beroald. et Rhenan. Mox ab Aldo pro *factis* editum *facti*, quod praeter Broterii editionem per omnes posterioris aetatis libros vulgatur. Falso. Nam vocabulum *facti* significat unum aliquod factum, et *conscientia facti* longe abest, ut sit conscientia rerum gestarum. De *factis* hic agitur, non de *facto*; his conscientiam satis esse putat Germanicus h. e. facta sua non alio indigere monimento, ut sibi satis fiat. Similis sententia est apud Plin. epp. 7, 33. *honeste factis veritas sufficit. Conscientia* simpliciter sic ponitur sexcentis locis, ut opponatur famae et laudibus vulgatis. Germanice: *achtend, das Bewufstseyn genüge seinen Thaten.* *Factis* etiam Kiesslingius reposuit.

mandat, ni deditionem properavissent. Ernestius et cum illo Rupertius volunt *mandabat.* Oberlinus vulgatum non satis apte defendit. Nam locus Ovid. Met. 3, 311. *intonat et misit* huc non facit. *Mandat* hic eodem iure ponitur, quo est *tradit* 1, 56. *mittit* 1, 60. *iubet* 2, 7 et 17. Est praesens historicum pro perfecto positum. Inter *mandat* et *ni* vulgaris illa ellipsis est, de qua diximus ad 1, 35. Supple: *bellum mandat et vi in eos usus esset, ni* etc.

Cap. 23. *aestate iam adulta.* cf. infr. 11, 31. *adulto autumno.* 13, 36. *adultum ver.* Servius ad

[illegible] remis strepere [illegible] effusa grando: [illegible] fluctus prospectum [illegible] pavidus et ca- [illegible] nautas vel intem- [illegible] corrumpebat. Omne [illegible] cessit, qui tu- [illegible] amnibus immenso

[illegible]

[illegible] Quae quum [illegible] inutilis [illegible] Schützii emendatio, [illegible] vertit in *aestum*. cf. [illegible] 1781., Biblioth. [illegible] nr. 5. p. 400. [illegible] de illo, quisquis [illegible] coelum et [illegible] cessit, optime certe [illegible] vento; nam is rapit [illegible] naves; in eum omne [illegible] cedere apte dici potest. De [illegible] satis bene haec va- [illegible]

[illegible] *Germaniae terris.* [illegible], graece [illegible], dicuntur [illegible] humiditate, [illegible] turgent. cf. [illegible] 2, 324. *vere tument* [illegible] *terrae* sunt, [illegible] dicuntur [illegible], [illegible] *Boden.* cf. [illegible] 5, 2, 14. Op- [illegible] terris levi aridoque solo [illegible] non [illegible] solent. Iam [illegible] nubesque potissi- [illegible] campis vastisque et [illegible] Quare No- [illegible] immenso nubium [illegible] dicit, tumidis Ger- [illegible] terris, profundis amnibus [illegible] Germaniae terras, [illegible] causam esse im- [illegible] tractus, quo auster [illegible] Eadem structura [illegible] c. 24. [illegible] *illic hominum* [illegible] Male [illegible] priores ablativos cum *validus* [illegible] Rhenani et Faërni [illegible] pro *tumidis* [illegible] parum necessaria

nubium tracta validus et rigore vicini septentrionis horridior rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaurire inrumpentis undas poterant: equi, iumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera et fluctu superurgente.

XXIV. Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia coeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum lito-

est. *Tumidis* ut cum Pichena interpreteris *montosis*, non patitur loci contextus. Nam licet montes etiam faciant ad immensum nubium tractum gignendum et tempestatem excitandam (cf. Agric. c. 10.); Germaniae terrae non tamen montosiores, immo Oceanum versus planiores sunt, quam aliae terrae. Herrmann. dat: *qui*, *tumidus* etc.

insulas. Intellige insulas, quae inter Amisiae et Visurgis ostia litori praetenduntur. In has enim auster debuit rapere naves, quae conflictabantur iuxta litus Frisiorum. Possis etiam cogitare de insulis Daniae iuxta chersonesum Cimbricam occidentem versus sitis. Britanniae insulae male a nonnullis huc trahuntur. Nam aut in aperta Oceani (*Nordsee*) aut in insulas infestas raptae sunt naves et disiectae. Igitur quae in insulas inciderunt, in aperta Oceani non sunt raptae. Britannicae tamen insulae sunt trans Oceanum illum. Diserte etiam Noster cap. sq. insulas longius sitas distinguit ab his, de quibus nunc sermo est.

abruptis. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Restituit Pichena, quum ante eum ederetur *abruptas*; nam sic edd. Lips. 1574. sqq.

mutabat aestus. H. e. Oceanus refluebat; graece *μεταβάλλειν*, *wechseln*. cf. 12, 29. Xenoph. Cyrop. 6, 2, 27. Sic *ferebat* graece *φέρειν*. Lucian. Timon. c. 77. *Eodemque* cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Restituit Pichena, quum priores quidam (edd. Lips.) omisissent *que*.

praecipitantur. Male Ernestius *praecipitabantur* propter *poterant* et *levarentur*. Nam imperfecto tempori hic non est locus. Debuisset coniici *praecipitata sunt*. Sed *praecipitantur* idem est. *Levarentur* vero rectissime se habet; optativus enim requiritur, non coniunctivus. Vide not. ad 1, 19. Mox Aldus suo more emendat *irrumpentes* pro *inrumpentis*, quod est in edd. Ber. et Rhen.

manantes. *Manare* dicuntur et ipsa liquida et ea, quae liquidis manant. cf. Liv. 1, 59. *cultrum cruore manantem*. *Alvei* autem duplici ratione manasse hic leguntur, et *per latera* sc. corrupta et *fluctu superurgente*. Sunt qui id non satis distinguant. Rupertius vix dubitat Tacitum scripsisse: *manante per* vel potius *super latera fluctu et superurgente*. Frustra Lipsius: *nantes*, et Heinsius: *alternantes latera* vel *innatantes alterno latere*.

CAP. 24. *excessit*. Absolute dictum, ut Vell. 2, 68. *In hoc ta-*

Ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis impelli: mox atro nubium globo effusa grando: simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milesque pavidus et casuum maris ignarus, dum turbat nautas vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc coelum et mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus immenso

Virg. Georg. 1, 43. *Veteres per singula tempora anni, quae in tres menses dividuntur, observant, ut sic dicant: primum mensem, novum ver; secundum adultum; tertium praeceps. Ita de hieme, aestate, autumno.* cf. Iul. Pollux in Onomast. lib. 1. c. 7, 4. περὶ τῶν τεττάρων ὡρῶν, ubi θέρους ἀκμή adulta est aestas. Thucyd. 2, 19. τοῦ θέρους ἀκμάζοντος.

placidum aequor. Virg. Aen. 10, 103. *placida aequora.* Ibid. 8, 96.

impelli. cf. Virg. Georg. 1, 254. *remis impellere marmor.* Ovid. Met. 8, 657. *Velis* tamen navis impellitur, non mare. cf. Ovid. Met. 7, 491. *pleno velo concita puppis.* Ibid. 15, 697. *impulerat levis aura ratem.* Nil muto; nam impulsa nave impellitur mare.

effusa grando. „Sub quam, occulta causa, semper, ut aiunt, Oceanus intumescit." Lips.

dum turbat nautas. Curt. 7, 9. *vacillantesque milites et, ne excuterentur, solliciti nautarum ministeria turbant.*

in austrum cessit. Coelum intellige atrum nubium globum grandines imbresque effundentem; *mare* intell. fluctus. Haec cesserunt in austrum h. e. quod nos dicimus *anheimfallen.* Horat. Sat. 2, 2, 134. *Ager cedet in usum mihi.* Noster 1, 1. *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere.* Graece χωρεῖν εἴς τινα. Simplex sententia: dehinc Auster exortus est, cuius vi et tractu imbres grandinesque et maris fluctus ferebantur adversus navigantes. Quae quum cuncta bene se habeant, inutilis esse videtur Schützii emendatio, qui *austrum* vertit in *aestum.* cf. Schütz. progr. Ien. 1781., Biblioth. crit. Seebod. 1820. nr. 5. p. 400. Quae hic legimus de illo, quisquis fuerit, in quem omne coelum et mare omne cessit, optime certe conveniunt vento; nam is rapit disiicitque naves; in eum omne coelum cedere apte dici potest. De *aestu* non satis bene haec valent.

qui tumidis Germaniae terris. Tumere, graece ὀργᾶν, dicuntur terrae, quae multa humiditate, ubertate, pinguedine turgent. cf. Virg. Georg. 2, 324. *vere tument terrae.* Igitur *tumidae terrae* sunt, quae Graecis dicuntur ὀργάδες, *fetter, grasreicher Boden.* cf. Pollux in Onomast. 5, 2, 14. Opponuntur terris levi aridoque solo utentibus, quae humiditatem non retinent neque tumere solent. Iam constat, nebulas nubesque potissimum gigni talibus campis vastisque et profundis amnibus. Quare Noster austrum immenso nubium tractu validum dicit, tumidis Germaniae terris, profundis amnibus h. e. tumidas Germaniae terras, profundos amnes causam esse immensi nubium tractus, quo auster validus evadat. Eadem structura mox c. 24. *nullo illic hominum cultu, fame absumptus.* Male alii priores ablativos cum *validus* coniungunt. Rhenani et Faërni coniectura *humidis* pro *tumidis* uti facillima ita parum necessaria

nubium tractu validus et rigore vicini septentrionis horridior rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaurire inrumpentis undas poterant: equi, iumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera et fluctu superurgente.

XXIV. Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia coeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum lito-

est. *Tumidis* ut cum Pichena interpreteris *montosis*, non patitur loci contextus. Nam licet montes etiam faciant ad immensum nubium tractum gignendum et tempestatem excitandam (cf. Agric. c. 10.); Germaniae terrae non tamen montosiores, immo Oceanum versus planiores sunt, quam aliae terrae. Herrmann. dat: *qui, tumidus* etc.

insulas. Intellige insulas, quae inter Amisiae et Visurgis ostia litori praetenduntur. In has enim auster debuit rapere naves, quae conflictabantur iuxta litus Frisiorum. Possis etiam cogitare de insulis Daniae iuxta chersonesum Cimbricam occidentem versus sitis. Britanniae insulae male a nonnullis huc trahuntur. Nam aut in aperta Oceani (*Nordsee*) aut in insulas infestas raptae sunt naves et disiectae. Igitur quae in insulas inciderunt, in aperta Oceani non sunt raptae. Britannicae tamen insulae sunt trans Oceanum illum. Diserte etiam Noster cap. sq. insulas longius sitas distinguit ab his, de quibus nunc sermo est.

abruptis. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Restituit Pichena, quum ante eum ederetur *abruptas*; nam sic edd. Lips. 1574. sqq.

mutabat aestus. H. e. Oceanus refluebat; graece *μεταβάλλειν*, *wechseln*. cf. 12, 29. Xenoph. Cyrop. 6, 2, 27. Sic *ferebat* graece *φέρειν*. Lucian. Timon. c. 77. *Eodemque* cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Restituit Pichena, quum priores quidam (edd. Lips.) omisissent *que*.

praecipitantur. Male Ernestius *praecipitabantur* propter *poterant* et *levarentur*. Nam imperfecto tempori hic non est locus. Debuisset coniici *praecipitata sunt*. Sed *praecipitantur* idem est. *Levarentur* vero rectissime se habet; optativus enim requiritur, non coniunctivus. Vide not. ad 1, 19. Mox Aldus suo more emendat *irrumpentes* pro *inrumpentis*, quod est in edd. Ber. et Rhen.

manantes. *Manare* dicuntur et ipsa liquida et ea, quae liquidis manant. cf. Liv. 1, 59. *cultrum cruore manantem*. *Alvei* autem duplici ratione manasse hic leguntur, et *per latera* sc. corrupta et *fluctu superurgente*. Sunt qui id non satis distinguant. Rupertius vix dubitat Tacitum scripsisse: *manante per* vel potius *super latera fluctu et superurgente*. Frustra Lipsius: *nantes*, et Heinsius: *alternantes latera* vel *innatantes alterno latere*.

Cap. 24. *excessit*. Absolute dictum, ut Vell. 2, 68. *In hoc ta-*

ribus aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare. pars navium haustae sunt: plures apud insulas longius sitas eiectae: milesque, nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit, quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentis oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici, quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente aestu et secundante vento claudae naves raro remigio aut intentis vestibus et quaedam a validioribus tractae revertere: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas. collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddi-

non saepe lacessiti principis ira excessit. Val. Max. 8, 4. ext. 1. *Socrates ad clarissimum lumen gloriae excessit.* Tac. Agr. c. 42. *eo laudis excedere.* Inutilis igitur est Heinsii emendatio: *tantum alias illa clades.*

sine terris. Senec. Suas. 1. *post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Ex maris vastitate et profunditate colligebant, se iam venisse eo, ubi terrarum finis et nil praeter Oceanum occurreret. Frustra Heinsius: *sine terminis.*

mare. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. sqq. — Oberlinus sqq. e Gronovii coniectura posuere *mari.* Sed utraque structura bona est eundemque fundit sensum, nisi quod *mari* tam nude in fine positum displiceat. Consentit mecum Orellius in symb. crit. et philol. in Tac. German. ad c. 3. Vocabulum *maris* ad alterum membrorum supplendo intelligendum est. Iam sive ad prius sive ad posterius membrum intelligas, nil interest.

insulas longius sitas. Cogita Oreades, Shetlandicas et quae Norvegiae oras cingunt.

elisa. Heinsius: *enisa;* Wopkensius: *adlisa* vel *inlisa.* At si naves ibi *eiectae* sunt, tunc et equos *elisos* potius quam *enisos* putaverim, quum non sit credibile, equos medio Oceano praecipitatos vita superasse tot fluctuum pericula, ut in terram eniti potuerint. Nec *adlisa* aut *inlisa* dicenda erant, sed *elisa* h. e. e mari in terram cum vi eiecta.

scopulos. Lipsius monuerat, litorales ibi scopulos non esse, sed mollem et arenosam terram. Quare vocabulum *scopulos* ornamenti causa additum putant. cf. Strombeck. ad h. l. Ricklefs tamen accipit de scopulis, circum quos fluctibus ferebatur, antequam ad Chaucorum terram adpelleret. Sed obstant *prominentes orae* cum scopulis coniunctae, quae satis indicant, sermonem esse de locis, unde in Oceanum ad classem conflictatam prospiceret. *Scopulus* autem, ut σκόπελος, non stricte acceperim de saxis rupibusque, sed de locis editioribus h. e. insulis iuxta litus sitis (cf. Hist. 1, 2.), unde prospectus patet: quanquam satis credo Tacito accuratiorem eius orae notitiam defuisse. Aldus suo more *prominentes* pro *prominentis*, quod est apud Ber. et Rhen.

intentis vestibus. Hist. 5, 23. *lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur.*

dere: quidam in Britanniam rapti et remissi a regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas, visa sive ex metu credita.

XXV. Sed fama classis amissae ut Germanos ad spem belli ita Caesarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Cattos imperat: ipse maioribus copiis Marsos inrumpit: quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. Missa extemplo manus, quae hostem a fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum: et utrisque adfuit fortuna. eo promptior Caesar pergit introrsus,

inauditas volucres. Tales ibi non esse scribit Lipsius. Attamen habent illae regiones anatem mollissimam, larum aliasque aves, quae Romanis quidem militibus inauditae videntur fuisse.

monstra maris. Balaenas intellige, quae sunt illius Oceani.

ambiguas hominum et belluarum formas. Phocarum genus huic fabulae occasionem praebuisse puto.

Cap. 25. *Mallovendus.* Sic cod. MS. test. Iac. Gronovio. *Malovendus* edd. Ber. Rhen. sqq.

propinquo luco. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. *propinquo loco.* Lipsius bene emendavit *luco.* Eadem confusio fuit infr. 3, 61. et Suet. Tib. c. 1.

Varianae legionis aquilam. Flor. 4, 12. prodidit: *Signa et aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsit mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit.* Dio 57, 18. de Germanico scribit: τά τε ὀστᾶ τῶν σὺν τῷ Οὐάρῳ πεσόντων συνέλεξέ τε καὶ ἔθαψε, καὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικὰ ἀνεκτήσατο. Idem 60, 8. (an. u. 794) ὅ τε Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Χάττους ἐκράτησε καὶ Πούπλιος Γαουΐνιος Μαυρουσίους νικήσας τά τε ἄλλα εὐδοκίμησε, καὶ τὸν στρατιωτικὸν, ὃς μόνος ἔτι παρ' αὐτοῖς ἐκ τῆς τοῦ Οὐάρου συμφορᾶς ἦν, ἐκομίσατο. Apud Nostrum supra 1, 60. undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam a Stertinio repertam legimus, et hic iterum Varianae legionis aquilam invenimus reciperatam, et infra c. 41. arcum ob recepta signa cum Varo amissa dicatum. Iam si Dio et Tacitus vera prodidere, vides Florum esse falsum aut sua hausisse e scriptore aetatis Augusteae, neglectis rebus postmodo gestis, quod minime abhorret ab incurioso epitomatore. Apud Dionem et Tacitum nullibi mentio est aquilae per signiferum servatae, licet illi 56, 22. et huic supra 1, 61. illud commemorandi occasio se praebuerit. Tacet Noster de tertiae aquilae reciperatione, quoniam res cadit in eos annos, quorum Annales deflemus perditos. Infra 12, 27. de alia expeditione est sermo, erratque Reimarus ad Dion. 60, 8. putans eandem ibi agi rem.

populatur, excindit non ausum congredi hostem aut, sicubi restiterat, statim pulsum, nec umquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora eadem virtute, pari ferocia et veluti aucti numero inrupissent.

XXVI. Reductus inde in hiberna miles, laetus animi, quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. Nec dubium habebatur labare hostes petendaeque pacis consilia sumere, et si proxima aestas adiiceretur, posse bellum patrari: sed crebris epistolis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum: prospera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset, quae venti et fluctus nulla ducis culpa gravia tamen et saeva damna intulissent: se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. sic Sugambros in deditionem acceptos: sic Suevos regem-

excindit non ausum c. hostem. Nomen possessoris ponitur pro re possessa, ut bene monet I. Fr. Gronovius, *hostis* pro hostium terra, oppidis, domiciliis. Sic *vastatae nationes* Agr. c. 22. Frustra Lipsius emendabat: *non auso c. hoste, pulso, pavente.* Alia est res Hist. 5, 16. ubi vid. not.

Cap. 26. *in hiberna.* Cod. MS. et inde ed. Ber. *in Hiona.* Rhen. emendavit edititque *Iuhiona*, propter locum 13, 57. Postea tamen recepit Beroaldi coniecturam *in hiberna*, quam dein omnes interpretes probaverunt.

labare hostes. Quid sit, intelligitur e verbis sequentibus.

epistolis. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. *epistulis* ed. Ber. duce cod. MS.

se novies. Dubitat Lipsius, an totiens; quare Boxhornius *novies* mutat in *toties.* At vulgatum satis habet speciem veritatis. Nam Tiberius in Germaniam profectus est 1) a. u. c. 738. cf. Dio 54, 20. 2) a. u. c. 745. Dio 55, 2. 3) a. 746. Dio 55, 6. 4) a. 747. Dio 55, 8. 5) a. 757. Dio 55, 13. 6) a. 759. Dio 55, 28. 7) a. 763. Dio 56, 23. 8) a. 764. Dio 56, 25. Iam quid deest ad numerum explendum? Nihil igitur opus est, ut expeditiones in Pannoniam et Illyricum factae huc trahantur.

sic Sugambros etc. Vid. not. ad 1, 56. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *Sicambros* et ita lapis antiq. apud Dausquium, si fides Ryckio. Edd. Lips. 1574 sqq. *Sugambros.* Strabo 4, p. 194. et 7, p. 290. habet Σουγάμβρους. Dio 54, 20. et alibi Συγάμβρους. cf. Tacit. An. 12, 39. 4, 47.

sic Suevos etc. cf. Vell. 2, 108 sq. Strabo l. l. Dio 55, 28. *Wieland, Herrmann und Marbod, ein Beitrag zur Charakteristik der alten Deutschen, in Wald's Magazin*

que Marobodunm pace obstrictum, posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quando Romanae ultioni consultum est, internis discordiis relinqui. Precante Germanico annum efficiendis coeptis acrius modestiam eius adgreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste non nisi apud Germanias ad-

für die deutsche Gesch. u. Stat. I, 171 sqq.

consultum est. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Ernestius tamen e Mureti, Acidalii et Pichenae opinione dedit *esset* pro *est.* Secuti sunt recentiores editores. Perperam et contra omnem loquendi usum. Nam in eiusmodi membris orationi obliquae interponendis, quae non ex animo loquentis pendent, sed rem in facto positam exprimunt, non subiunctivus, sed indicativus ponendus est. cf. Ramshorn. Gr. §. 195. II. 2. a.) b.) c.), p. 619 sq. qui hunc ipsum Taciti locum pro exemplo adfert. Sunt autem huius generis exempla apud Tacitum plurima. cf. An. 16, 1. *ut coniectura demonstrat.* Pessime mutarunt in *demonstraret.* 2, 81. *consulitur.* Ernestio debebat esse *consuleretur.* Tacitus vero maluit *consulitur.* 3, 69. *vulgabantur.* Valde Ernestius eo inclinat, ut *vulgarentur* scribendum putet. Bene abstinuit. 4, 10. *inierat, struxerat.* Ibid. c. 56. *adstabant.* 6, 12. *vulgabantur.* 13, 15. *respiciunt, parant.* Ernestio saltem esse debebat *respiciant, parent.* Ibid. c. 49. *continentur,* 14, 28. *appellavere.* Ibid. c. 58. *refertur, permeat.* Ernestii latinitas postulabat: *referretur, permearet.* 15, 59. *amplectitur, invocat.* Hist. 1, 33. *cludit,* 3, 70. *iudicatur.* 5, 17. *impediunt.* Iure meritoque igitur reponimus *consultum est;* praesertim quum *esset* nullo modo hic ferri possit. Sententiam enim efficit hanc: rebellium gentes non nunc quidem, sed tum internis discordiis relinqui posse, quando Romanae ultioni consultum esset (*wann der Römer Rache befriedigt seyn würde*). Etiam Kiesslingius restituit *est.*

nullo tum alio hoste. Suadente Ernestio male Oberlinus mutavit *tum* in *dum.* Secuti sunt recentiores edd. Ita intrudunt sensum, qui inesse nequit. Nam *nullo dum alio hoste* significat: *indem noch kein anderer Feind vorhanden sey,* quasi Tiberius haec dicens alium hostem exspectaret. Sic Liv. 29, 11. *nullas dum in Asia civitates socias habebat pop. R.* h. e. nullas adhuc, postea scilicet habuit. Id. 9, 12. *nullo dum certamine;* 7, 33. *fuga ab nulla dum parte erat;* 3, 50. *nullo dum certo duce.* Iam Tacitus sibi vult, illo tempore alium hostem non fuisse; quare si quid erat interponendum, e Tiberii persona debebat scribi: *nullo iam alio hoste.* At Tiberii quidem dicta hic Noster refert, obliqua tamen oratione, in qua satis scriptori licet, ut suae personae quodammodo adcommodet verba. cf. infr. 6, 21. *interrogatur, an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet?* 14, 35. *sed tunc non ut tantis maioribus ortam, sed ut unam e vulgo — ulcisci.* 3, 61. *quae tum etiam maneat.* 16, 3. *non falsa antea somnia sua, seque tunc primum elusum admirans.* Liv. 2, 5. *tum infesto exsuli.* Kiesslingius consentit.

sequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quanquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intelligeret.

XXVII. Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt, quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator ex intima Libonis amicitia iuvenem improvidum et facilem inanibus ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat hortaturque ad luxum et aes alie-

nomen imperatorium. cf. not. ad 1, 3.

deportare lauream. Int. coronam, quae est triumphantium. Solet sic vocabulum *corona* modo omitti (Suet. Ner. c. 13. Dom. c. 6.), modo addi (Suet. Iul. c. 45 et 79. Tib. c. 69.). Igitur *deportare lauream* est, quod Nepos 24, 2, 1. dicit *triumphum deportare* h. e. nancisci.

Cap. 27. *e familia Scriboniorum Libo Drusus.* cf. Suet. Tib. c. 25. Dio 57, 15.

defertur moliri. Structura graeca. Similia sunt infr. 2, 37. *inlectus — ducere uxorem.* Hist. 3, 58. *nec deerat ipse — elicere.* cf. not. ad Hist. 4, 1.

disseram. cf. Sallust. Cat. c. 5. Liv. 41, 6.

proavum Pompeium, amitam Scriboniam. Stemmati explicando operam dedere Lipsius et Ryckius, quanquam non sine coniectura immixta absolvi res potuit. Et secundum Lipsium *L. Scribonius* consul cum Antonio an. 719. uxore incerta genuit *Scriboniam*, quae nupsit Sex. Pompeio filio Magni (cf. Dio 48, 16. et Appian. B. C. 5, 139.). Ex his *Pompeia* desponsata M. Marcello neque vero deducta, quam postea *Scribonio Liboni* cuidam nupsisse et peperisse cum *L. Scribonium Libonem* consulem an. 769 (cf. supra c. 1.), tum *Scribonium Libonem Drusum*, de quo hic sermo est, coniicit Lipsius. Ryckius in hac genesi id non probat, quod *Libonem Drusum* Lipsius facit fratrem *L. Scribonii Libonis* cons. an. 769. quem potius intelligit nepotem L. Scribonii cons. 720. a L. Scribonio Libone prioris filio genitum. — *Scribonia* L. Scribonii (cons. 719.) soror ex Augusto peperit *Iuliam*, Iulia ex Agrippa *Agrippinam* nuptam Germanico. *Amita* igitur est, quam dicimus *maiorem.* Sic c. 43. *avunculus* pro avunculo maiori.

fuerat. Heinsius mutat: *fuerit*, tanquam e Firmii Cati persona, quod ineptum est. Nam quis tandem sibi persuadebit, Firmium haec addidisse, quum *Scriboniam amitam* ostentaret? Immo haec sunt Taciti verba, nec toto in loco orationis obliquae vestigium est.

num, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret.

XXVIII. Ut satis testium et qui servi eadem noscerent, repperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuit: posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare. Atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat), cunctaque eius dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat; donec Iunius quidam, tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. celebre inter accusatores Trionis ingenium erat avidum-

socius libidinum et necessitatum. Necessitates I. Fr. Gronovius interpretatur sumptus vel impensas; sequitur Strombeckius, qui interpretatur: *Genosse seiner Lüste und Ausgaben.* Lipsius, Freinshemius et Ernestius referunt ad aes alienum. Hillerus in Racem. 23. intelligit ἓν διὰ δυοῖν, *libidinosas necessitates s. sodalitates*, ut ita necessitas sit pro necessitudine (cf. not. ad 1, 9.). Hinc Ricklefs: *Theilnehmer an seinen Lüsten und Verbindungen.* Hackius necessitates dicit *Bedürfnisse.* Alius tamen sensus subesse videtur. *Libidines* et *necessitates* hic invicem sibi opponuntur, ut *libidines* sint deliciae, quas non necessitate coactus aliquis, sed voluptatis causa et lascive concupiscit; *necessitates*, ἀνάγκαι, negotia necessaria, *Berufsgeschäfte*, *Pflichten*, et omnino, quae iubentur ex iusto et necessario vitae ordine. Plin. epp. 3, 4. *Collegae optimi meique amantissimi de communis officii necessitatibus praelocuti excusare me et eximere tentarunt.* Id. 8, 21. *Addidi, hunc ordinem me et in scribendo sequi, ut necessitates voluptatibus, seria iucundis anteferrem.* Id. 5, 19. *Est enim tam parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat.* Hinc *socius libidinum et necessitatum* tibi erit, qui tuarum rerum omnium particeps inter iucunda ac seria tibi adest h. e. sempiternus, continuus comes.

Cap. 28. *repperit.* Sic cod. MS. ed. Beroald. et nuper Bekker. *reperit* edd. Rhenan. sqq. Aurelius, Freinshemius et Heinsius frustra emendant *reperti.* Nam Cic. Att. 6, 1. *Quos cum Matio pueros miserant, epistolam mihi attulerunt.* Liv. 1, 1. *in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur.*

per Flaccum Vescularium. Qui cognomine *Atticus.* cf. infr. 6, 10.

cui propior c. T. usus. E vetustissimis enim erat familiarium, qui Rhodum secuti erant Tiberium. cf. infr. l. l.

dicta factaque. Vid. not. ad c. 53.

scire malebat. Herrmann. pro *scire* vult *cire* s. *ciere*, quod dicit aptius opponi verbo *prohibere.* Sed ab eiusmodi insidiis hic locus satis tutus videtur esse.

sequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quanquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intelligeret.

XXVII. Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt, quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator ex intima Libonis amicitia iuvenem improvidum et facilem inanibus ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat hortaturque ad luxum et aes alie-

nomen imperatorium. cf. not. ad 1, 3.

deportare lauream. Int. coronam, quae est triumphantium. Solet sic vocabulum *corona* modo omitti (Suet. Ner. c. 13. Dom. c. 6.), modo addi (Suet. Iul. c. 45 et 79. Tib. c. 69.). Igitur *deportare lauream* est, quod Nepos 24, 2, 1. dicit *triumphum deportare* h. e. nancisci.

CAP. 27. *e familia Scriboniorum Libo Drusus.* cf. Suet. Tib. c. 25. Dio 57, 15.

defertur moliri. Structura graeca. Similia sunt infr. 2, 37. *inlectus — ducere uxorem.* Hist. 3, 58. *nec deerat ipse — elicere.* cf. not. ad Hist. 4, 1.

disseram. cf. Sallust. Cat. c. 5. Liv. 41, 6.

proavum Pompeium, amitam Scriboniam. Stemmati explicando operam dedere Lipsius et Ryckius, quanquam non sine coniectura immixta absolvi res potuit. Et secundum Lipsium *L. Scribonius* consul cum Antonio an. 719. uxore incerta genuit *Scriboniam*, quae nupsit Sex. Pompeio filio Magni (cf. Dio 48, 16. et Appian. B. C. 5, 139.). Ex his *Pompeia* desponsata M. Marcello neque vero deducta, quam postea *Scribonio Liboni* cuidam nupsisse et peperisse cum *L. Scribonium Libonem* consulem an. 769 (cf. supra c. 1.), tum *Scribonium Libonem Drusum*, de quo hic sermo est, coniicit Lipsius. Ryckius in hac genesi id non probat, quod *Libonem Drusum* Lipsius facit fratrem *L. Scribonii Libonis* cons. an. 769. quem potius intelligit nepotem L. Scribonii cons. 720. a L. Scribonio Libone prioris filio genitum. — *Scribonia* L. Scribonii (cons. 719.) soror ex Augusto peperit *Iuliam*, Iulia ex Agrippa *Agrippinam* nuptam Germanico. *Amita* igitur est, quam dicimus *maiorem.* Sic c. 43. *avunculus* pro avunculo maiori.

fuerat. Heinsius mutat: *fuerit*, tanquam e Firmii Cati persona, quod ineptum est. Nam quis tandem sibi persuadebit, Firmium haec addidisse, quum *Scriboniam amitam* ostentaret? Immo haec sunt Taciti verba, nec toto in loco orationis obliquae vestigium est.

num, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret.

XXVIII. Ut satis testium et qui servi eadem noscerent, repperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuit: posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare. Atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat), cunctaque eius dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat; donec Iunius quidam, tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. celebre inter accusatores Trionis ingenium erat avidum-

socius libidinum et necessitatum. Necessitates I. Fr. Gronovius interpretatur sumptus vel impensas; sequitur Strombeckius, qui interpretatur: *Genosse seiner Lüste und Ausgaben.* Lipsius, Freinshemius et Ernestius referunt ad aes alienum. Hillerus in Racem. 23. intelligit ἓν διὰ δυοῖν, *libidinosas necessitates s. sodalitates*, ut ita necessitas sit pro necessitudine (cf. not. ad 1, 9.). Hinc Ricklefs: *Theilnehmer an seinen Lüsten und Verbindungen.* Hackius necessitates dicit *Bedürfnisse.* Alius tamen sensus subesse videtur. *Libidines* et *necessitates* hic invicem sibi opponuntur, ut *libidines* sint deliciae, quas non necessitate coactus aliquis, sed voluptatis causa et lascive concupiscit; *necessitates*, ἀνάγκαι, negotia necessaria, *Berufsgeschäfte*, *Pflichten*, et omnino, quae iubentur ex iusto et necessario vitae ordine. Plin. epp. 8, 4. *Collegae optimi meique amantissimi de communis officii necessitatibus praelocuti excusare me et eximere tentarunt.* Id. 8, 21. *Addidi, hunc ordinem me et in scribendo sequi, ut necessitates voluptatibus, seria iucundis anteferrem.* Id. 5, 19. *Est enim tam parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat.* Hinc *socius libidinum et necessitatum* tibi erit, qui tuarum rerum omnium particeps inter iucunda ac seria tibi adest h. e. sempiternus, continuus comes.

Cap. 28. *repperit.* Sic cod. MS. ed. Beroald. et nuper Bekker. *reperit* edd. Rhenan. sqq. Aurelius, Freinshemius et Heinsius frustra emendant *reperti.* Nam Cic. Att. 6, 1. *Quos cum Matio pueros miseram, epistolam mihi attulerunt.* Liv. 1, 1. *in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur.*

per Flaccum Vescularium. Qui cognomine *Atticus.* cf. infr. 6, 10.

cui propior c. T. usus. E vetustissimis enim erat familiarium, qui Rhodum secuti erant Tiberium. cf. infr. l. l.

dicta factaque. Vid. not. ad c. 53.

scire malebat. Herrmann. pro *scire* vult *cire s. ciere*, quod dicit aptius opponi verbo *prohibere.* Sed ab eiusmodi insidiis hic locus satis tutus videtur esse.

que famae malae. Statim corripit reum, adit consules, cognitionem senatus poscit. et vocantur patres, addito consultandum super re magna et atroci.

XXIX. Libo interim veste mutata cum primoribus feminis circumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula poscere, abnuentibus cunctis, cum diversa praetenderent, eadem formidine. die senatus, metu et aegritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens immoto eius vultu excipitur. mox libellos et auctores recitat Caesar ita moderans, ne lenire neve asperare crimina videretur.

XXX. Accesserant praeter Trionem et Catum accusatores Fonteius Agrippa et C. Vibius certabantque, cui ius perorandi in reum daretur: donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum professus

cognitionem senatus. Sic cod. MS. ed. Iac. Gronovii. *senatus cognitionem* edd. Ber. Rhen. sqq. et recentiores.

et vocantur. Faërnus deleta particula *et* volebat legi *advocantur.* Male. Vid. not. ad 1, 11.

Cap. 29. *vocem.* Sc. adfinium. Plin. epp. 2, 1. *cum vocem praepararet, acturus in consulatu principi gratias* etc.

simulato morbo. Dio 57, 15. νοσήσαντα ἐπὶ θάνατον vocat.

fratri. Lipsius consulem eiusdem anni intelligit, Ryckius contradicit. Vid. not. ad c. 27. Res e coniectura pendet.

tendens. Ad *manus* hoc verbum proprie pertinet; ad *supplices voces* nonnisi ἐξ ἀναλόγου erit capiendum. cf. not. ad c. 20. Aptius fortasse *manus ac supplices voces* accipies ut ἓν διὰ δυοῖν, manus inter supplices voces. Sic Hist. 1, 63. *cum magistratibus et precibus* Galliae civitates venienti legionum agmini occurrunt. Iam vero ibid. *quaeque alia placamenta hostilis irae — tendebantur.* Ex quo loco cognoscitur latius patere verbum *tendere*, ut sit omnino *afferre* et recte etiam de supplicibus vocibus dici possit.

Cap. 30. *C. Vibius.* Cod. MS. et vett. edd. *C. Livius.* Sed ob locum 4, 28 et 29. omnes consentiunt scribendum esse *Vibius* pro *Livius.* Praenomen *C.* alii retinent, alii mutant in *Q.* propter locum 4, 28. Vid. ib. not.

singillatim se crimina obiecturum. H. e. omissa artificiosa et iusta peroratione, qua actor omnia in unum contextum concinnat, singula crimina simpliciter se prolaturum, ut reus ad singula statim respondeat. Ita et Nero cognoscendi morem eum tenuit, ut continuis actionibus omissis singillatim quaeque per vices ageret. cf. Suet. Ner. c. 15. ibique interpretes.

protulit libellos vecordes adeo, ut consultaverit Libo, an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret. inerant et alia huiuscemodi stolida, vana: si mollius acciperes, miseranda. Uni tamen libello manu Libonis nominibus Caesarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator arguebat. Negante reo agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. et quia vetere senatus consulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico

libellos. Intellige *libellos* (*Papiere*), quis continebantur crimina eum documentis.

vecordes adeo. Ita dicuntur a vecordiis, quae inerant. Mox Ald. *queis* uti solet pro *quis*. Mox *Brundisium* edd. Lips. sqq. *Brundusium* edd. vett. Sed 3, 1. 4, 27. iidem libri dant *Brundisium*. cf. not. ad Hist. 2, 83.

si mollius acciperes. cf. Hist. 2, 62. *avaritiam non timeres*; Hist. 3, 75. *non argueres.* Ramshorn. Gr. §. 190. Not. 1. p. 386 sq. Optativus est Graecorum.

Caesarum aut senatorum. H. e. cum Caesarum tum senatorum. Nam duo hic sunt diversa (*Caesarum* et *senatorum*), quae ad unam notionem (*nominibus*) referuntur. De hac vi particulae *aut* vid. not. ad 1, 8.

atroces vel occultas notas. Lipsius intelligit notas, quae ad mortem eorum pertinerent vel caedem. Ryckius accipit de defixionibus magicis provocatque in Ovid. Amor. 3, 7. Plin. 27, 2. Senec. de benef. 6, 35. et Tac. An. 2, 69. Videntur tamen ne ipsi quidem accusatores satis certo notas illas intellexisse, nisi quod minaces esse suspicarentur. Nam accusator non magicas aut maleficas, sed atroces tantum et occultas notas arguit. Mox *adgnoscentes* edd. vett.

interrogari. Sic edd. Lips. Grut. Pich. sqq. *interrogare* edd. Ber. Rhen. Ald.

vetere senatus consulto. cf. Cic. pro Mil. c. 22. Id. pro Deiot. c. 1. A quo latum id S. C. si quaeris, scias ante Caesares SCta non habuisse nomina. De tempore huius SCti aliunde nihil constat.

novi iuris repertor. Idem tamen ius iam prius repperit Augustus secundum Dion. 55, 5. Idem de Tiberio 57, 19. *ἐβασανίζοντο δὲ οὐχὶ οἰκέται μόνον κατὰ τῶν ἰδίων δεσποτῶν, ἀλλὰ καὶ ἐλεύθεροι καὶ πολῖται.* Cf. et. Tac. infr. 3, 67.

mancipari singulos actori publico iubet. Cf. infr. 3, 67. In Romanorum familiis nomine actorum utebantur servi aut liberti, qui praeessent ceteris (*Verwalter, Hofmeister*). Sic Plin. epp. 3, 19. de praediis vicinis dicit: *se posse utraque sub eodem procuratore* (*admodiateur*) *ac paene iisdem actoribus habere.* Adde Columell. 1, 7. et 1, 8. Iam constat et publicos servos fuisse cum ad praedia publica colenda, tum ad alia quaecunque opera servilia peragenda. Qui igitur servis publicis et administrationi praediorum publicorum praeerant, actores publici audiebant (*Staatsoeconomen, Staatswirthschafter*). cf. Plin. epp. 7, 18. *agrum ex meis — actori publico mancipavi* h. e. agrum feci publicum. Ita apud Nostrum Tiberius mancipari singulos Libonis servos (sc. eos, quos accusator in tormenta flagitaverat) actori publico iussit (*δημοσίῳ πιπράσκεσθαι.* Dio 55, 5.).

iubet: scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur. Ob quae posterum diem reus petivit. domumque digressus extremas preces P. Quirino propinquo suo ad principem mandavit. Responsum est, ut senatum rogaret.

XXXI. Cingebatur interim milite domus: strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent: cum Libo ipsis quas in novissimam voluptatem adhibuerat epulis excruciatus vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium. atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adpositum mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris duos ictus in viscera direxit. Ad gemitum collabentis adcurrere liberti: et caede visa miles abstitit. Accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, iuravitque Tiberius peti-

Accuratius de hoc loco disputavit Lipsius in exc. F., quem virum satis indocte criminatur Weikert ad h. l. quasi, quid sit actor publicus, nescivisset. Ipse vero inepta profert.

scilicet ut .... quaereretur. Oberlin. in not. postum. „Haec verba, utpote interpolata, expuncta cupi. Mendoza. V. Burm. syll. epistol. t. 2. p. 59." Non credo.

P. Quirino. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. *P. Quirinio* edd. Lips. 1574. sqq. Veterem scripturam restituit Ryckius probavitque argumentis idoneis. Nam *Quirinus* est apud Suet. Tib. c. 49., in nummis et lapidibus., Κυρίνιος scribunt Dio, Strabo et Iosephus. Externis enim usitatum fuit, cognomina Romanorum in *ius* subinde efferre, uti monet Ryckius. Eiusdem vitii exempla in vett. libris sunt innumera.

Cap. 31. *strepebant etiam in vestibulo.* Gronovii emendationem: *strepebantque iam in v.*, et Heinsii: *iam et in v.*, inutilem esse puto; nam bonus sensus inest vulgatis. *Strepebant etiam in v.* breviter dictum est pro: non satis habebant, ut domum cingerent, ut potius vestibulum etiam intrarent, nec solum intrarent, sed etiam streperent ibi. Herrmannus pro *etiam* vult *et iam*, quasi *etiam* in tali contextu non sit *et iam.* Ceterum edd. Lips. Grut. *strepebantque etiam.* Pichena expunxit *que* auctoritate cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald.

excruciatus. Sc. aspectu et auditu militis in perniciem suam missi. *Epulis* est ablat. temporis.

prensare. Edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. Grut. *prehensare.* Sed supr. 1, 21 et 68. iidem editores habent *prensare.* Quare et hic inde a Pichena editum est *prensare.*

adpositum mensa lumen. Nil opus est emendatione *mensae* vel *in mensa* (Groslotius), neque intelligi oportet *in* (Ernest.). Ablativus *mensa* simpliciter indicat instrumentum, per quod lumen adpositum esse dicitur, et ita genuina sua utitur vi. cf. De Orat. c. 20. *ipsa studiorum incude positi.*

abstitit. Sic edd. recentiores inde a Lipsio. *adstitit* cod. MS. test. Iac. Gronov. edd. Ber. Rhen. Ald.

turum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.

XXXII. Bona inter accusatores dividuntur: et praeturae extra ordinem datae his, qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messallinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit: Cn. Lentulus, ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret: supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti. dona Iovi, Marti, Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, L. P. et Gallus Asinius et Papius Mutilus et L. Apronius decrevere: quorum auctoritates adulationesque rettuli, ut sciretur vetus id in re publica malum. Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis sena-

Cap. 32. *Praeturae extra ordinem datae.* Ambigunt interpretes, extra ordinem facti praetores sint supra numerum ordinarium additi, an extra sortem aleamque comitiorum destinati. Hoc verius putat esse Ernestius. At non solum extra comitia, sed etiam supra numerum ordinarium illos destinatos censeo. Nam res cadit in eam anni partem, ubi magistratus in proximum annum iam erant creati. Quare tum praeturae non poterant dari nisi supra numerum ordinarium et extra comitiorum ordinem. Obstrinxerat quidem Tiberius iureiurando (An. 1, 14.) se numerum duodecim praetorum non excessurum. Dio tamen 58, 20. tradit, deinde illum nunc quindecim, nunc sedecim praetores creasse. Scilicet praeturis extra ordinem datis iusiurandum illud non violavit, quia numerus ordinarius duodecim praetorum mansit. Apud Sueton. Cal. c. 18. etiam Caius Caesar praetorem extra ordinem designat. Similia honorum in accusatores collata vid. infr. 11, 4 et 38. 15, 72.

his, qui. Num *iis, qui?*

ne imago etc. cf. infr. 3, 76.

ne quis Scribonius etc. cf. infr. 3, 17. Liv. 6, 20. Suet. Tib. c. 1.

dona Iovi. Cod. MS. edd. Ber. Rhen. sqq. *ut dona* etc. Suadente Freinshemio Bip. et Oberlin. sqq. omisere *ut*, quia ellipsis verbi durior esse videbatur. Non audeo revocare veterem scripturam, quanquam haud ignarus caute in Tacito ellipsium pleno esse versandum, ne quid temere statuatur. Herrmannus *ut* mutat in *at* vel *et*. Hoc satis languet, illud ab hoc loco plane alienum est.

L. P. et Gallus Asinius. Sic libri vett. In littera *P.* latere nomen viri mutilamque esse scripturam plerique interpretum consentiunt. Hinc Lipsius divinavit: *L. Paetus, Gallus Asinius*, vel: *L. P. et Gallus Asinii*, ut ita praenominibus plures eiusdem gentis viri distinguerentur. Freinshemius: *L. Publius* vel *L. Plancus* vel *L. Paulus.* I. Fr. Gronovius: *L. Piso.* Ryckius edidit: *L. Publius.* Sed quis tandem, quid sit verum, adfirmabit? Acquiescas in *P.* neque doleas ceterarum litterarum iacturam; non enim sunt tanti. Herrmannus eo inclinat, ut cum Lipsio tres statuat *Asinios.*

auctoritates adulationesque. Ἓν διὰ δυοῖν esse censuit Roth.

facta et de mathematicis etc. cf. Dio 57, 15. Suet. Tib. c. 36. Per abusum mathematici diceban-

tus consulta: quorum e numero L. Pituanius saxo deiectus est: in P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco advertere.

XXXIII. Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo: decretumque, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent: ne vestis serica viros foedaret.

tur, qui gentilicio nomine erant Chaldaei. cf. Gellius 1, 9. Similes leges factae sunt sub Augusto (cf. Dio 49, 43.) et alio tempore (Sueton. Vitell. c. 14. Noster Hist. 1, 22. Valer. Max. 1, 3, 2.),

saxo. Sc. Tarpeio. Plaut. Trin. 2, 1, 30. Liv. 6, 20. 24, 20. 25, 7. Eutrop. 7, 15. ibique Tzschucke.

extra portam Esquilinam. Namque Esquilinus campus suppliciorum locus erat. Suet. Claud. c. 25. *Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit.* Lipsius de hac re scripsit excursum H. Scriptura vulgata *Exquilinam* est e vett. libris; sed 15, 40. plurimi libri consentiunt in *Esquilias*, quam scripturam constantiae causa et huic loco reddidimus.

cum classicum canere iussissent. Quem morem tangunt Plutarch. in Gracch. p. 836. Senec. de ira 1, 16. epist. 17. controvers. 25. Varr. L. L. 5, 9.

more prisco. h. e. more maiorum. Suet. Ner. c. 49. ubi edocemur, illo more *nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi.* Id. Claud. c. 34, ad *antiqui moris supplicium* refert deligationem ad palum sc. caedendi causa. Id. in Domit. c. 11. Quod autem ad necem vel usque ad mortem (Eutrop. l. l.) caesi esse dicuntur, ita intellige, ut post caesionem non defuisse putes percussionem securi factam aut deiectionem de saxo. cf. Liv. 7, 19. In Marcio mos priscus videtur spectare ad virgas et securim.

advertere. Pro *animadvertere* constans Nostro usus est. cf. infr. 3, 52. 4, 35. 54. 5, 9. 6, 40. 12, 51. 14, 43.

Cap. 33. *praetura functo. Praetura functus* h. e. qui ipsum magistratum gessit, diversus ab eo praetorio, qui praetoria insignia est adeptus.

vestis serica. Interpretes ambigunt, sericam vestem accipiant ex arborum lana factam an e filo bombycis. Disputarunt de ea re Lipsius in exc. I., Vossius ad Virgil. Georg. 2, 121. Mannert in Geog. ant. IV. extr. Broterius in Memoires de l'Acad. d. Inscr. Tom. 46, aliique. Bombycinam esse vestem sericam vix dubitari licet. Nam Zonaras in Iustiniani vita scribit, eius temporibus telam sericam a Romanis texi coeptam, quum antea a Persicis mercatoribus tantum importarentur, nec Romani scirent fila illa esse vermium, additque duos monachos ova illa vermium ex India attulisse et mori foliis aluisse, et inde sericum confecisse. Et Heliodorus, lib. 10. Aethiop. *μετὰ τοῦτον καὶ οἱ Σηρῶν προσήγοντο πρεσβευταὶ, τῶν παρ' αὐτοῖς ἀραχνίων νήματα καὶ ὑφάσματα, τὴν μὲν φοινικοβαφῆ, τὴν δὲ λευκοτάτην ἐσθῆτα προσκομίζοντες.* Plinius quidem 6, 17 (20): *Seres lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem.* Seneca Hippol. v. 389. *Quae fila ramis ultimi Seres legunt.* Virgil. Georg. 2, 121. *Quid nemora Aethiopum molli canentia lana? velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?* Qui Lipsium decepere; ut sericum ex arborum lana (*Baumwolle*) factum conten-

Excessit Fronto ac postulavit modum argento, suppellectili, familiae. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publica crederent, loco sententiae promere. Contra Gallus Asinius disseruit: Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum, sed e vetustissimis moribus. aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam: et cuncta ad rem publicam referri, qua tenui angustas civium domos: postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid aut modicum nisi ex fortuna possidentis. distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, et aliis quae ad requiem animi aut salubritatem corporum pa-

deret. Decepere: nam ut concedamus, hisce auctoribus nondum satis innotuisse veram serici rationem originemque, id saltem ex ipsorum verbis patet, dicere eos voluisse de bombycum filis potius quam de arborum lana, quae vulgo dicitur. Quis enim hanc depectit foliis? aut ramis legit? aut perfundit aqua, ut depectat? Cadunt haec in vermium opus illud, quod de foliis ramisque arborum legitur. cf. etiam Pollux in Onom. 7, 17.

excessit. Int. relationem. Vid. not. ad 1, 64. infr. c. 38. *nec sane ideo a maioribus concessum est egredi aliquando relationem et, quod in commune conducat, loco sententiae proferre* etc.

modum argento. Cic. N. D. 2, 161. *remedia morbis et vulneribus.* Tacit. infr. c. 60. *dona templis;* supr. 1, 3, *subsidia dominationi.* cf. not. ibid. Hesiod. Th. 93. δόσις ἀνθρώποισιν. Plat. Charm. p. 134. ὁμοιότητα — ταῖς ἄλλαις. cf. Matth. Gram. §. 396. Ceterum de historia vid. Dion. 57, 15. qui eadem ferme refert.

referri. Ἀναφέρεσθαι. *Alles steht im Verhältniſs zum Staate.*

distinctos s. et e. census. Sc. a censu plebis.

diversi natura. Int. a plebe.

et aliis quae etc. Cod. MS. text. Pichena *talisque ad req.* etc. Quae scriptura quum sensu careat, Beroald. sqq. dedere *talesque*, quod frustra quidam ut bonum defendere atque explicare studuerunt. Ruperti: „*talesque* h. e. et quia tales res ad requiem etc." Woltmannus *tales* refert ad senatores et equites: „*und als solche für die Ruhe ihres Gemüths, für die Gesundheit ihrer Körper Sorge tragen könnten.*" Herrmann: „*nicht weil, verschieden etwa von Natur, sondern damit, durch Abkunft, Rang und Würden Dieſs, als solche sie vorgingen in Dem, was zur Erholung . . . angeschaft werde.*" Roth. (cf. Neues Arch. f. Phil. und Paedag. Mai 1829. nr. 22.) cum Sellingio in obss. critt. contendit *ut* hoc loco duplicem habere vim, ὅπως et καθώς; *talesque* esse pro *tales quoque.* Sensum constituit: „sed, ut quemadmodum locis, o., d. vulgum antistent, ita, tales quoque, sive significandi eorum ordinis gratia, ad requiem animi vel salubritatem corporum opibus necessariis sive idoneis instruantur." Sed commentum de duplice vi part. *ut* errore nititur, et cod. MS. habet: *talisque*, non *talesque.* Alii alia, quae aeque parum verbis in-

ventur: nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. Facilem adsensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adiecerat et Tiberius non id tempus censurae, nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.

XXXIV. Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum, accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur. simul curiam relin-

[illegible] interpretationis [illegible] posuerunt. Plerique recte [illegible] locum emendatione [illegible]. Coniecit Lipsius: [illegible], quae ad requiem vel ita [illegible] ad req. Felicius I. Fr. Gronovius et Grotius: et aliis, quae [illegible] uti cum Ryckio edi [illegible], paullum immutata verborum distinctione. Namque Ryckius [illegible] sententia ediderat: sed [illegible], ordinibus, dignationibus, antistent et aliis, quae ad r. a., [illegible] parentur. Etenim et pro adverbio ille accipiebat; inter sed [illegible] intelligendum putabat [illegible] ex superioribus et post dignationibus e sequenti antistant. [illegible] antistent comparationis particulam [illegible]. Sed particulae [illegible] hic non est locus repetendus, [illegible] potius horum verborum [illegible] ac loci Ciceroniani N. D. I, 8. Omnes stulti sunt [illegible] quod ita [illegible] in vita, [illegible] rum [illegible], studii [illegible] [illegible] Gr. §. [illegible] explicat: [illegible] Tacitus: [illegible] antistent [illegible]. Ne [illegible] esse [illegible] et [illegible] sic: ut [illegible] h. e. ut

et locis ... antistent et aliis h. e. ut non solum locis ... antistent, sed et aliis. Hilleri coniecturam: taliaque ad req. an., quam nimis sedulo Oberlinus recepit, nemini invidebimus, nec quae coniecere Ricklefs aut Herrmannus: tales quoque sc. res, sic ille; hic: ita iis vel ita aliis vel sed ut, qui ..., antistent et iis. Kiesslingius edidit: ita et aliis quae.

delenimentis. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. et Iac. Gronov. sqq. consentitque in hanc scripturam cod. Flor. litt. Lang. scr. ut suis locis videbimus. *delinimentis* edd. recentiores inde a Lipsio ad Iac. Gronovium. Walchius vett. libros non inspexerat, quum ad Agr. p. 298. illam formam apud Tacit. non inveniri scriberet. cf. not. ad 11, 37.

facilem ... dedit. H. e. facilem adsensum Gallo audientes dederunt, qui adsensus nihil aliud fuit quam confessio vitiorum et documentum similes esse, qui audiverant, quanquam non vitia illa, sed nominibus honestis delenimenta curarum et periculorum dicebantur. Apte Gronovius laudat e 14, 11. *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.* Frustra Lipsius coniecit *consensio* pro *confessio.*

Cap. 34. *simul curiam relinquebat.* Ruperti: „relinquere parabat: actus pro conatu." Alii interpretantur, quasi revera ex-

quebat. Commotus est Tiberius, et quanquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit vocata in ius Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat. nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abstitit, quanquam Augusta se violari et imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut se iturum ad praetoris tribunal, adfuturum Urgulaniae diceret, processit palatio, procul sequi iussis militibus. spectabatur occursante populo compositus ore et sermonibus variis tempus atque iter ducens: donec propinquis Pisonem frustra coërcentibus deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, iuberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit. Ceterum Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quae apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est praetor, qui domi interrogaret.

cesserit curia, testatione illa peracta. Quod sane indignum et viro et senatu fuisset. Immo: er vermied die Curie; post illum diem senatum non amplius frequentabat. Ceterum cf. infr. 4, 21. Paulo ante *abire se et cedere urbe* Roth. p. 17. notavit ut synonyma.

liberi doloris. Voc. *liber* exacte hic respondet vocabulo ἐλευθέριος Graecorum. cf. Xenoph. Cyr. 8, 1. ἐλευθέριοι πόνοι, μελετήματα, quae sunt libero homine digna.

vocata in ius. h. e. ante tribunal praetoris. Totum locum intellige sic: Piso in loco publico, uti lex iubebat, inventam Urgulaniam adit et, veni, inquit, mecum in ius. Illa neque obtemperat neque cautionem de iudicio sistit, uti debebat. Immo spreto Pisone (h. e. admonitione et vocatione eius neglecta) vehitur in domum Caesaris. Piso non abstitit h. e. secutus est Urgulaniam in domum Caesaris abeuntem, ut, si ita res poscerent, rite antestatus vi eam traheret ad tribunal (cf. infr. 4, 21. *trahere in ius Urgulaniam domoque principis excire ausus est*). Tiberio tamen interveniente Urgulania Pisonis vocationi dein obtemperavit, adfuitque Caesar mulieri ante praetoris tribunal. Haec uno eodemque die acta puta.

abscessit. Cod. MS. test. I. Gronovio *illi abscissit.* Et *illi* aperto vitio; in *abscissit* haud dubie rectius iudicabimus latere *abscessit* (ἀπηλλάττετο Xenoph. Mem. Soc. 2, 9) quam *absistit*, quod habent edd. Beroald. et Rhenan., aut *abstitit*, quod deinde editum est auctore Aldo, qui tamen habet *abstistit*.

se violari et imminui. Haec inter synonyma rettulit Roth. p. 17.

tempus atque iter. ἓν διὰ δυοῖν, tempus itineris. cf. Roth. p. 82.

rentur: nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. Facilem adsensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adiecerat et Tiberius non id tempus censurae: nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.

XXXIV. Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum, accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur. simul curiam relin-

sunt et contortae interpretationis speciem praeferunt. Plerique recte consentiunt, locum emendatione esse sanandum. Coniecit Lipsius: *aliisque*, *quae ad requiem* vel *ita aliis quae ad req.* Felicius I. Fr. Gronovius et Grotius: *et aliis*, *quae ad req.* etc. uti cum Ryckio edi curavimus, paulum immutata verborum distinctione. Namque Ryckius ex Gronovii sententia ediderat: *sed ut locis*, *ordinibus*, *dignationibus*, *antistent et aliis*, *quae ad r. a.*, *a. s. a. parentur*. Etenim *ut* pro adverbio ille accipiebat; inter *sed ut* intelligendum putabat *quia* ex superioribus et post *dignationibus* e sequenti *antistant*; denique ante *antistent* comparationis particulam *sic*. Sed particulae *quia* hic non est locus repetendae; eadem potius horum verborum ratio est ac loci Ciceroniani N. D. 1, 9. *Omnes stulti sunt sine dubio miserrimi, quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia.* cf. Ramshorn. Gr. §. 206. p. 699. qui explicat: „*ut*, *quum ea sapientes leniant* etc. Sic ad sententiam et Tacitus: *sed ut*, *quum locis*, *o.*, *d. antistent*, *antistent et aliis* etc. Ne tamen putes illud *quum* revera esse supplendum; immo structura et apud Ciceronem et Nostrum constat sine *quum*. Procedit sic: *ut locis* ... *antistent et aliis.* h. e. ut et locis ... antistent et aliis h. e. ut non solum locis ... antistent, sed et aliis. Hilleri coniecturam: *taliaque ad req. an.*, quam nimis sedulo Oberlinus recepit, nemini invidebimus, nec quae coniecere Ricklefs aut Herrmannus: *tales quoque* sc. res, sic ille; hic: *ita iis* vel *ita aliis* vel *sed ut*, *qui* ..., *antistent et iis.* Kiesslingius edidit: *ita et aliis quae.*

delenimentis. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. et Iac. Gronov. sqq. consentitque in hanc scripturam cod. Flor. litt. Lang. scr. ut suis locis videbimus. *delinimentis* edd. recentiores inde a Lipsio ad Iac. Gronovium. Walchius vett. libros non inspexerit, quum ad Agr. p. 298. illam formam apud Tacit. non inveniri scriberet. cf. not. ad 11, 37.

facilem ... dedit. H. e. facilem adsensum Gallo audientes dederunt, qui adsensus nihil aliud fuit quam confessio vitiorum et documentum similes esse, qui audiverant, quanquam non vitia illa, sed nominibus honestis delenimenta curarum et periculorum dicebantur. Apte Gronovius laudat e 14, 11. *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.* Frustra Lipsius coniecit *consensio* pro *confessio*.

Cap. 34. *simul curiam relinquebat.* Ruperti: „relinquere parabat: actus pro conatu." Alii interpretantur, quasi revera ex-

quebat. Commotus est Tiberius, et quanquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit vocata in ius Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat. nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abstitit, quanquam Augusta se violari et imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut se iturum ad praetoris tribunal, adfuturum Urgulaniae diceret, processit palatio, procul sequi iussis militibus. spectabatur occursante populo compositus ore et sermonibus variis tempus atque iter ducens: donec propinquis Pisonem frustra coërcentibus deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, iuberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit. Ceterum Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quae apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est praetor, qui domi interrogaret,

cesserit curia, testatione illa peracta. Quod sane indignum et viro et senatu fuisset. Immo: *er vermied die Curie*; post illum diem senatum non amplius frequentabat. Ceterum cf. infr. 4, 21. Paulo ante *abire se et cedere urbe* Roth. p. 17. notavit ut synonyma.

liberi doloris. Voc. *liber* exacte hic respondet vocabulo ἐλευθέριος Graecorum. cf. Xenoph. Cyr. 8, 1. ἐλευθέριοι πόνοι, μελετήματα, quae sunt libero homine digna.

vocata in ius. h. e. ante tribunal praetoris. Totum locum intellige sic: Piso in loco publico, uti lex iubebat, inventam Urgulaniam adit et, veni, inquit, mecum in ius. Illa neque obtemperat neque cautionem de iudicio sistit, uti debebat. Immo spreto Pisone (h. e. admonitione et vocatione eius neglecta) vehitur in domum Caesaris. Piso non abstitit h. e. secutus est Urgulaniam in domum Caesaris abeuntem, ut, si ita res poscerent, rite antestatus vi eam traheret ad tribunal (cf. infr. 4, 21. *trahere in ius Urgulaniam domoque principis excire ausus est*). Tiberio tamen interveniente Urgulania Pisonis vocationi dein obtemperavit, adfuitque Caesar mulieri ante praetoris tribunal. Haec uno eodemque die acta puta.

abscessit. Cod. MS. test. I. Gronovio *illi abscissit.* Et *illi* aperto vitio; in *abscissit* haud dubie rectius iudicabimus latere *abscessit* (ἀπηλλάττετο Xenoph. Mem. Soc. 2, 9) quam *absistit*, quod habent edd. Beroald. et Rhenan., aut *abstitit*, quod deinde editum est auctore Aldo, qui tamen habet *abstistit*.

se violari et imminui. Haec inter synonyma rettulit Roth. p. 17.

tempus atque iter. ἓν διὰ δυοῖν, tempus itineris. cf. Roth. p. 32.

cum virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

XXXV. Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, quanquam afuturum se dixerat Caesar, ob id magis agendas censebat, et absente principe senatum et equites posse sua munia sustinere decorum rei publicae fore. Gallus, quia speciem libertatis Piso praeceperat, nihil satis inlustre aut ex dignitate populi Romani nisi coram et sub oculis Caesaris: eoque conventum Italiae et ei adfluentis provincias praesentiae eius servanda dicebat. Audiente haec Tiberio ac silente magnis utrimque contentionibus acta; sed res dilatae.

---

in foro et iudicio. Hic quoque ἓν διὰ δυοῖν esse dicit Roth. p. 49. explicat: *in iudicio, quod palam fiebat in foro.* cf. not. ad Agric. c. 2. *in comitio ac foro.*

Cap. 35. *res eo anno prolatas.* Formula, qua indicantur feriae rerum agendarum et in senatu et in foro. cf. Cic. ad Quint. 3, 8. Id. pro Muraen. c. 13. Causam illius prolationis plerique cum Crollio in eo quaerunt, quod princeps se afuturum dixerat. Alii cogitant de feriis messium et vindemiarum, ut ita inter consultationem de hac re Caesar dixisse videatur, se afuturum. Illi rectius. Nam de feriis messium et vindemiarum si esset sermo, uno saltem verbo id Nostrum indicaturum fuisse censeo. De ludibrio Tiberii, quo solebat absentiam suam pronuntiare sine eventu cf. Sueton. Tib. c. 38. et Noster infr. 4, 4.

Cn. Pisonis. Sic edd. Ryck. sqq. Prius edebatur: *Gn. Pisonis.*

afuturum. Sic cod. MS. edd. Ernest. sqq. — Edd. Beroald. Rhen. Ald. *adfuturum.* Edd. med. aetatis inde a Lipsii prima *absfuturum.*

ob id magis agendas etc. Edidimus totum locum e fide cod. MSti. — Edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. *ob id magis agendum censebat, ut absente principe senatus et equites possent sua munia sustinere: decorum reip. fore.* Scripturam: *et . . senatum . . . posse*, Ernest. sqq. expressere. *Agendas* respuerunt, quia vox *res* nimis procul abest. Sed ea vox sive prope sive procul absit, nullius est momenti. Quum in toto loco sermo sit de *rebus* aut agendis aut differendis, nemini potest molestum videri, ut *res* ad verbum *agendas* intelligatur. *Ob id magis, um desto mehr. Magis* graece est μᾶλλον habetque vim ἐπανορθωτικήν. Nam elliptice haec Noster scribit pro: quanquam ... Caesar, eam non esse causam prolationis, immo ob id magis etc. — Video et Kiesslingium *agendas* restituisse.

et ei adfluentis. Sic cod. MS. Unanimi tamen consensu Beroald. et seqq. editores omisere *ei*; fortasse molestum videbatur ob sequens *eius* putabantque *ei* respicere ad vocabulum Italiae. Sed *ei* referendum ad Tiberium, ut respondeat sequenti *eius*. Sic praecipua illi voculae inest vis. Ed. Ald. *adfluentes.*

XXXVI. Et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est. nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda: utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, iam tum praetores destinarentur: princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. Haud dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii tentari. Tiberius tamen, quasi augeretur potestas eius, disseruit: Grave

Cap. 36. *in quinquennium magistratuum com. habenda.* Gallus remedium quaerebat adversus ambitum fori, qui displicuerat Pisoni. cf. c. 34. Nec inauditum Romanis erat, quod ille suadebat. Idem fecerat Iulius Caesar. cf. Appian. B. C. 2, 128. Suet. Iul. c. 76. Addit vero: *ut legionum legati, qui . . . . . destinarentur.* Nimirum qui legionum legatione ante praeturam fungebantur, post exactam demum eam militiam futuri erant praeturae candidati. Debebant enim Romam redire, ut honores ambirent. Ne igitur, qui in ea militia urbe aberant, destinatis in quinquennium magistratibus laederentur, in quinquennium praerepta honorum spe, Gallus censuit, legionum legatos iam tum (h. e. quum adhuc in legationis officio abessent) praetores esse destinandos, ut redirent sub finem eius anni, quo exacto praeturam suam capessituri essent.

fungebantur. Non *fungerentur.* Hoc significat: si quando essent, qui ante praeturam legatorum officium obtinerent. At omnino potius legionum legati praesumendi sunt viri praetura nondum functi. Recte igitur: *qui . . . fungebantur.*

princeps duodecim . . . . nominaret. Cuius rei candidatos? Nescio quid dubitet Lipsius. Praeturae candidatos esse intelligendos et contextus docet (nam de praetura iam sermo est) et numerus *duodecim.* Tot enim praetores quotannis creabantur. cf. 1, 14. Principi autem ille tradit omnium praetorum denominationem, ut ita aliorum gratia plane aboleatur. Miraberis nil hic legi de consulatus petitoribus. Verum de consulatu res non erat difficilis. Iam dudum illud honorum fastigium extra ambitum fori positum fuisse videtur, ut e Caesaris arbitrio consulum denominatio penderet, licet imago quaedam consularium comitiorum superfuerit. cf. 1, 81.

iam tum. Sic edd. Ber. Rhen. Ald. sqq. *iam dum* cod. MS. test. Iac. Gronovio. Idem vitium in eodem cod. vidimus 1, 3. ubi vid. not. sub *etiam tum.*

arcana imperii tentari. Cave, ne hic Lipsii et Ernestii ambages in tenebras te abducant. *Arcana imperii* sunt *Geheimnisse der kaiserlichen Politik.* Quorum arcanorum cardo apud Caesares in eo vertebatur, ut res Romanae, licet e solo imperitantium arbitrio penderent, veteris tamen libertatis speciem retinerent, utque ipsis formulis antiquis principes uterentur in suam potentiam muniendam. Ita comitia magistratuum dabantur, quanquam certum erat, neminem honores capessiturum esse nisi ex voluntate principis, cuius tamen potentia imagine prioris rei publicae tegebatur. Nec frustra annua illa comitia servabantur; nam uti olim praecipuum libertatis munimentum et nimiae singulorum potentiae impedimentum fuerant, ita et nunc cavebant, ne quis potestatis diuturnitate abuteretur ad comparandas vires Caesarum imperio perniciosas.

augeretur. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. *auretur*, pro quo

moderationi suae tot eligere, tot differre. vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab iis, qui ultra quinquennium proiiciantur. unde prospici posse, quae cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid, si honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quae sua spatia exercendae candidatorum industriae quaerendisque aut potiundis honoribus statuerint.

XXXVII. Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit. Censusque quorundam senatorum iuvit. quo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali nobilis iuvenis in paupertate manifesta superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia exstingueretur. Igitur quattuor filiis ante limen curiae adstantibus loco sententiae, cum in palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem modo Augusti intuens ad hunc modum coepit: „Patres conscripti, hos, quorum

bene Rhenanus coniecit *augeretur*; idque receptum est ab Aldo et sqq. editoribus. Permulta esse in illo codice exempla mediae syllabae omissae dictum est supr. ad 1, 20. Mox verba *tot eligere* desunt in ed. Ald. Eadem dat *ab iis* pro *ab his*, quod vulgo editur.

honorem. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *honorum.* Emendatio debetur Lipsio. Quae an sit vera, dubito. Nam *agitare* absolute etiam dicitur, et *honorum* potest pendere e *quinquennium.*

quinquiplicari. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Restituit Pichena, ante quem auctore Lipsio edebatur *quintuplicari.*

Cap. 37. *Censusque.* h. e. *census* quoque. cf. not. ad 1, 28. De re vid. Dion. 57, 10. Vell. 2, 129. Sueton. Tib. c. 47.

nepos erat oratoris Hortensii. Dubitant interpretes, an idem ille Hortensii nepos sit, quem Valerius Maximus 3, 5, 4. mala fama notavit. Ego nil dubitem. Quod autem Valerius quaecunque turpia invidiose in eum cumulat, quis non videt, eo scriptori quaeri gratiam Tiberii et excusari huius adversus hominem rigorem. Plane id convenit turpi adulatori, quem audis in prologo.

inlectus .... ducere. Structura graeca, pro *inlectus ad.* Sic 4, 12. *inliciebantur ... perstimulare.* cf. Ramshorn. Gr. §. 168. p. 425. Not.

decies sestertii. Hanc scripturam I. Gronov. singulis litteris expressam in cod. MS. invenit, restituitque Ernestius. Edd. Ber. Rhen. sqq. *decies sestertium.* (Scilicet in MS. super littera finali adscriptum est *u.*) cf. Ramshorn. Gr. §. 157. p. 329. c., Liv. 45, 4. *argenti ad summam sestertii decies in aerarium retulit.*

„numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed „quia princeps monebat: simul maiores mei meruerant, „ut posteros haberent. nam ego, qui non pecuniam, non „studia populi neque eloquentiam, gentile domus no„strae bonum, varietate temporum accipere vel parare „potuissem, satis habebam, si tenues res meae nec mihi „pudori nec cuiquam oneri forent. iussus ab imperatore „uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot „dictatorum! nec ad invidiam ista, sed conciliandae „misericordiae refero. adsequentur florente te, Caesar, „quos dederis honores: interim Q. Hortensii pronepo„tes, divi Augusti alumnos ab inopia defende."

XXXVIII. Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: „Si quantum pauperum est venire huc et liberis „suis petere pecunias coeperint, singuli numquam exsa„tiabuntur, res publica deficiet. nec sane ideo a maio„ribus concessum est egredi aliquando relationem et, „quod in commune conducat, loco sententiae proferre, „ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus „cum invidia senatus et principum, sive indulserint lar„gitionem sive abnuerint. non enim preces sunt istuc, „sed efflagitatio intempestiva quidem et improvisa, cum „aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero „atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus,

ego, qui ...... potuissem. Non *potueram.* cf. Ramshorn. Gr. §. 194. 1., p. 609.

tot consulum, tot dictatorum. Vaniloquentiae notam Hortalo addidit Lipsius; nam unus tantum dictator in gente Hortensia (an. u. 467) et unus consul (an. 684) reperitur. Potuit tamen, quod bene idem monet interpres, respicere maiores suos e gente materna; potuit respicere ad illas gentes, quibuscum Hortensiae matrimonium contraxerat.

Cap. 38. *incitamentum Tiberio fuit, quo p. a.* Etenim quum Tiberio destinatum esset non ferre opem Hortalo, inclinatione senatus visa callide praevenit adverso sermone, ne apertior fieret senatus voluntas. Prompte senatorum sensus repressit eosque coëgit suae ipsius sententiae accedere aut silentio animum occultare, ut ita cum senatus consensu Hortalum reppulisse videretur.

preces sunt istuc. Sic edd. Beroald Rhenan. Ald. seqq. In cod. MS. I. Gronovius invenit *istut*, quod putat esse pro *istud.* Sed facilius inde fit *istuc*, quod bene se habet. cf. not. ad 1, 41. Rupertius vult *istaec.* Frustra. Observavi I. Gronovium saepius e libris Flor. adferre *t.*, ubi Pichena et Victorius habent *c.* Exempla infra erunt.

„eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelera „supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus Augustus „pecuniam, sed non compellatus nec ea lege, ut semper „daretur. languescet alioqui industria, intendetur so„cordia, si nullus ex se metus aut spes: et securi omnes „aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves." Haec atque talia, quanquam cum adsensu audita ab his, quibus omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere: sensitque Tiberius. et cum paulum reticuisset, Hortalo se respondisse ait: ceterum, si patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. Egere alii grates: siluit Hortalus pavore an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens. neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

XXXIX. Eodem anno mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippae servus nomine Clemens comperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit. ausa eius impedivit tarditas onerariae navis: atque interim patrata caede ad maiora et magis praecipitia conversus

eandem vim in me transmittere. Cod. MS. edd. Beroald. et Rhenan. *eandem vim in me transmerei.* Quod verbum cum nihili sit, varia coniecere. Rhenanus *transumere*; Ald. ed. *transmitti*; Gryph. ed. et sqq. *transmittere.* Alii alia coniectaverunt: Lipsius *eadem*, *invidiam in me transmittere*, vel *tandem vim.* I. Gronovius *transiicere*; Hillerus *transferre*; Crollius *transmovere*; Ruperti *transvertere.* Inter quae nihil est, quod vulgatum *transmittere* depellere possit. *Eandem vim* respicit ad verbum *urgere.*

ab his. Num *ab iis?*

delaberetur. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *dilaberetur*, quod Ernestius bene mutavit in *delaberetur.* cf. infr. 3, 63. *in ambitionem delaberentur.* Sueton. Claud. c. 9. *ad eas rei familiaris angustias decidit.*

Cap. 39. *discordiis armisque.* Ut synonyma notat Roth. p. 7.

Postumi Agr. servus. cf. Suet. Tib. c. 25. Dio 57, 16.

furatur cineres vectusque Cosam Etruriae promontorium ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret. nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat. Tum per idoneos et secreti eius socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas aures aut rursum apud turbidos eoque nova cupientes. atque ipse adire municipia obscuro diei neque propalam aspici neque diutius iisdem locis. sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut praeveniebat.

XL. Vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam: credebatur Romae: iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret, an

furatur cineres. Haud dubie, ut tolleret documentum caedis patratae, utque ipsi Tiberio suspicio moveretur de fraude ministrorum, quis facinus imperatum erat. Pro *patrata* ed. Ber. dat *parata*, quod Victorius in suo exempl. corr. *patrata*, uti est apud Rhen. Ald. sqq.

Cosam. Sic bene restituit Lipsius pro *Coram*, quod habent priores edd. Nam *Cora* nullibi reperitur in eo tractu; *Cosam* vero noverunt Strabo 5, p. 225. Plin. 3, 8. Servius ad Virgil. Aen. 10, 167.

haud dissimili in dominum. Structura graeca apud Nostrum frequentissima. cf. infr. c. 59. *grata in vulgus*; c. 48. *magnifica in populum*; Hist. 2, 56. *avidus in omne nefas.* Vid. not. ad Agr. c. 33. Mox *crebrescit* edd. Ber. Rhen. Micyll. Lips. sqq. *crebescit* ed. Ald. Eadem *obscuro die* pro *obscuro diei.*

relinquebat famam aut praeveniebat. H. e. ita versatus est in omnibus locis, ut municipiis decederet simul ac fama de se spargi ibi coepisset, et in alia transiret, antequam fama de se eo pervenisset. Quem loci sensum satis bene perspexerat Lipsius; perperam I. Fr. Gronovius a Lipsio diversus explicat: „abibat vel cum inciperetur spargi, vel priusquam spargeretur rumor eum adesse."

CAP. 40. *Ostiam.* Sic cod. MS. test. I. Gronovio et sic locis aliis optimi MSti et lapides. cf. Ryck. ad h. l. Ante Ryckium edd. *Hostiam*, inde a Beroaldo.

celebrabant. Freinshemius: „H. e. multi iam per omnem Italiam dicebant Agrippam ingressum esse Ostiam." I. Fr. Gronovius verbum accipit de magna turba comitantium. Provocat in Cic. pro Sext. c. 63. *Viae multitudine legatorum undique missorum celebrabantur.* Attic. 4, 1. *Similis frequentia me usque ad Capitolium celebravit.* Verbo latino exacte respondet nostrum *feiern*, quod fit voce et sermone adplaudentium atque praesentia. cf. 15, 44.

servum suum. Nam defuncto Agrippa Clemens cum universa hereditate in manus Tiberii transierat, quare ubicunque prehensum ut suum ille vindicare poterat. *Suum*

inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat. postremo dat negotium Sallustio Crispo: ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur ut iussum erat. dein speculati noctem incustoditam accepta idonea manu vinctum clauso ore in palatium traxere. percunctanti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset? respondisse fertur: „quomodo tu Caesar." Ut ederet socios, subigi non potuit. nec Tiberius poenam eius palam ausus in secreta palatii parte interfici iussit corpusque clam auferri. et quamquam multi e domo principis equitesque ac senatores sustentasse opibus, iuvisse consiliis dicerentur, haud quaesitum.

XLI. Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta

vero additur cum emphasi (*den eigenen Knecht*). Similis locus Hist. 2, 65. *puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet.* Hist. 1, 26. *non rei publicae cura, quam foedare principis sui sanguine sobrii parabant.* Ibid. c. 40. *imperatorem suum.* Male igitur viri docti *suum* mutant, Acidalius in *statim*, Groslotius in *tum*. Uti hic ita et alibi *suum* sine causa interpretes offendit. cf. not. ad Hist. 1, 31. *fidus principi suo.* Ibid. c. 46. *fiscum suum;* 2, 86. *coloniae suae.*

simulata conscientia. Ne intellige fraudis, ut videbatur Freinshemio; tali enim confessione se insinuare absurdum fuisset: sed coniurationis, quae illum adversus Tiberium sit defensura. Sic bene locum accepit I. Fr. Gronovius, quidquid contra eum profert vir doct. in bibl. crit. Seebod. 1829. nr. 55.

pericula. h. e. κινδυνεύματα, facinora audacia et periculosa, ut Hist. 3, 53. Non satis recte Roth. p. 5. *fidem atque pericula* accipit per ἓν διὰ δυοῖν, fidem in periculis. Mox ed. Ald. post verba *quomodo tu Caesar* signum ponit interrogandi.

Cap. 41. *arcus propter aedem Saturni.* cf. de eo loco *Adler, Beschreib. der St. R.* p. 258. Cic. ad Att. 7, 20. Sueton. Oct. c. 32. Liv. 4, 22.

ob recepta signa c. V. amissa. cf. not. ad c. 25.

auspiciis. Horat. Od. 4, 14, 33. *Te copias, te consilium et tuos praebente divos.* adde Ovid. Trist. 2, 173.

aedes Fortis Fortunae. Huic deae, quae et Fortuna Virilis nuncupabatur, primum fanum Servius Tullius dedicaverat secundum Tiberim extra portam Romanam. cf. Varro de L. L. 5, p. 50. Spur. Carvilius consul Tuscis devictis a. u. c. 459. aliam aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavit prope aedem eius deae

in hortis, quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur. C. Caecilio, L. Pomponio coss. Germanicus Caesar a. d. VII. Kal. Iunias triumphavit de Cheruscis Cattisque et Angrivariis, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt: vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, proeliorum: bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus: sed suberat occulta formido reputantibus haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi: avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum: breves et infaustos populi Romani amores.

LXII. Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit seque collegam consulatui eius destinavit. nec ideo sincerae caritatis fidem adsecutus amoliri iuvenem specie honoris statuit struxitque causas aut forte oblatas adripuit. Rex Archelaus

ab rege Ser. Tullio dedicatam. cf. Liv. 10, 46. Et iam Tiberius denuo aedem Fortis Fortunae Tiberim iuxta dicavit, restauratam in prioris aedis loco an prope illam, non constat mihi. De huius deae apud Romanos cultu venuste canit Ovid. Fast. 6, 770 sqq. cf. Columell. 10, 316.

in hortis, quos C. ... legaverat. Sueton. Iul. c. 83. Dio 44, 35.

sacrarium genti Iuliae. cf. infr. 15, 23.

C. Caecilio. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *C. Coelio.* Ernestius et Broterius ex inscript. ap. Murat. t. 1, p. 301. et Dion. 57, 17. et Cassiodor. in Chron. restituere *C. Caecilio.* Ryckius pro vetere scriptura attulerat inscriptionem apud Gruterum obviam, in qua sunt haec: *C. Caelio Rufo et L. Pomponio Flacco coss.* Mox *a. d. VII Kal.* edd. Lips. Pich. sqq. Priores edd. etiam Lips. prima *ad VII Kal.*

triumphavit. Qui triumphus celebratur nummis. cf. Eckhel. D. N. V. Vol. 6, p. 209.

currusque quinque liberis onustus. De more triumphantium. cf. Liv. 45, 40. Appian. Lybic. c. 66. Cic. pro Mur. c. 5. Quinque illi fuere Nero, Drusus, Caius, Agrippina, Drusilla. Nam Iulia tum nondum erat nata.

Cap. 42. *Rex Archelaus.* Quem a popularibus accusatum Tiberius Augusto cognoscente defenderat. Sueton. Tib. c. 8. Dio 57, 17. Quare aegrius debuit ferre eius negligentiam, de qua mox dicit Noster. Hunc Archelaum discernendum esse ab Archelao ethnarcha Iudaeae (de quo Ioseph. Ant. 17, 11.) contra Muretum et Torrentium docuit I. Fr. Gronovius.

quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset, nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Caesare missoque ad res Orientis intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut versa Caesarum subole imperium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quae non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret. ille ignarus doli vel, si intellegere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptusque immiti

Cappadocia potiebatur. Cappadociam inter Pontum et Taunum Ciliciae sitam Ariarathes V. regno tenebat, quum Romani primum arma in Asiam contra Antiochum Syriae regem tulissent. Eumenis beneficio ille tum in amicitiam Romanam acceptus est (an. u. 564. cf. Liv. 38, 39.). Quare et Cappadocia postero tempore inter causas belli Pontici fuit. Nam occupaverat eam Mithridates occiso Ariarathe VII. rege, imposueratque filium suum indito Ariarathis nomine. At senatus Romanus Mithridati Cappadociam ademit populumque libertate donavit, cuius tamen impatientes Cappadoces regem a senatu accepere Ariobarzanem. cf. Iustin. 38, 2. Hic a Tigrane Armeniae rege Mithridatis socio generoque pulsus Romam fug t et deinde secundum variam belli fortunam a Romanis restitutus iterumque a Mithridate fugatus est. cf. Dio fragm. Urs. 171 sqq. Appian. B. Mithrid. c. 60. 67. 105. Successores ille habuit Ariobarzanem II. et III. Hic inter bella Romanorum civilia Pompeio amicus regnum tamen postea a Iulio Caesare retinuit (Dio 41, 63. 42, 48.) et postremo mortem invenit auctore Cassio (an. u. 712. Dio 47, 33.). Fratrem huius Ariobarzanis et successorem Antonius eiecit an. u. 718. eiusque regnum tribuit Archelao, nepoti illius Archelai, qui olim dux Mithridatis et pacis inter Mithridatem et Sullam conciliator fuerat. cf. Dio fragm. Urs. 173. et Id. 49, 32. Augustus, quum aliis regulis adimeret quas ab Antonio acceperant possessiones, Archelaum in regno confirmavit. Dio 51, 2.

versa. Male interpretantur per *eversa*; namque id si voluisset Tacitus, profecto non pepercisset litterae *e*. quanquam Virg. Aen. 1, 20. *vertere* pro *evertere* habet. At hic *vertere* ut alibi exacte est τρέπειν vel στρέφειν, *umkehren*, ut adversa fiant aversa, atque altera pars cum altera commutetur. Sic *versa* est Caesarum suboles, quum Augusti sanguine orti (Caius, Lucius, Agrippa Postumus) cederent Claudiorum stirpi per adoptionem irrepentium, qui et ipsi gloriabantur se esse Caesarum subolem. Sed haec subdita, verteratque familia in alios. Eodem sensu supr. 1, 4. *verso civitatis statu*, non *everso*.

veniret. Ernestii commentum, quo contendit legitimam rationem desiderare *venisset*, egregie falsum est. Nam *venisset* si scribis, illa offert clementiam sub conditione absurda. Nempe, ut *venisset*, Archelaus tum efficere nequibat; non enim venerat. Livia potius vult, ut veniat, non ut venerit; offerebatur igitur clementia, si veniret, non si venisset. Mox ed. Beroald. *intellegere*; edd. Rhen. sqq. *intelligere*. cf. not. ad 1, 11.

a principe et mox accusatus in senatu, non ob crimina, quae fingebantur, sed angore, simul fessus senio et quia regibus aequa nedum infima insolita sunt, finem vitae sponte an fato implevit. Regnum in provinciam redactum est fructibusque eius levari posse centesimae vectigal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus Antiocho Commagenorum,

accusatus in senatu. Dio 57, 17. ὡς νεωτερίζοντά τι. cf. Philostrat. de vit. Apollon. 1, 12.

fessus senio. Vid. Dio l. l.

sponte an fato. Hill Tacitum vituperat, quod *an* ponat omisso verbo, unde dubitatio eluceat, Buhle Nostrum defendit exemplo Cic. ad Att. 1, 2. *nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore an ex litteris tuis ad alios missis.*

in provinciam redactum est. Lipsius: „Non nunc quidem", ait, „sed paulo post c. 56." At hic auctor respicit ad senatus consultum de Cappadocia in provinciam redigenda haud dubie statim post regis mortem factum, quod declarant verba: *fructibusque ... professus Caesar.* Germanicus ad res Orientis missus postea (c. 56.) illud senatus consultum exsecutus est. De re cf. Strabo 12, p. 534. Dio l. l. Falsus est Appian. Mithrid. 105. qui sub Augusto Cappadoces in provinciam redactos refert.

centesimae vectigal. Instituta est centesima rerum in auctionibus venalium post bella civilia in auxilium aerarii militaris. cf. supr. 1, 78. Sueton. Oct. c. 49. Referunt eam institutionem ad an. u. 759., quo Dio (55, 25.) coepisse aerarium militare scribit. Quum populus supr. 1, 78. illud vectigal deprecatus esset, iam Tiberius in tantum precibus illis cessit, ut ducentesimam in posterum statueret. Secundum Dion. 58, 16. post Seiani necem idem reduxit centesimam. Sustulit Caius, testante eodem Dion. 59, 9. ut iterum esset ducentesima a. u. 791. Nam Suet. in Caio c. 16. et ducentesimam auctionum Italiae remissam narrat, quod factum esse an. u. 792 vel 793. in tertio Caii consulatu ex nummis docuit Ryckius ad h. l., ut ita egregie nunc de hac re inter se conspirare videantur scriptores. Quaerere tamen licet, cur Suetonius tacuerit centesimae remissionem, quum laudet ducentesimae; porro cur Dioni centesima dicatur non mutata in ducentesimam, sed stricte abolita. Id enim est in verbis eius: καὶ τὸ τέλος τῆς ἑκατοστῆς κατέλυσε. Baumgarten-Crusio ad Suet. l. l. Dio videtur totum vectigalis genus omnino ἑκατοστῆς nomine designasse. Ego dicam potius, Dioni utramque remissionem, et centesimae mutationem in ducentesimam et posteriorem remissionem totius vectigalis, comprehendi illis verbis, quippe cui non interesset, ut accuratius illo loco rem dissereret. Solus igitur Suetonius in culpa est, qui debuisset scribere: *Pro centesima auctionum in posterum ducentesimam statuit, mox et ducentesimam remisit.*

Antiocho Commagenorum. Edd Beroald. Rhenan. sqq. *Comagenorum.* Sed nummi Κομμαγήνη, eaedemque edd. infr. c. 56. *Commagenis;* hinc cum cod. MS. recentiores edd. dedere *Commagenorum.* Commagene est regio Syriae ad Euphratem fluvium et montem Taurum sita (cf. Dio 35, 2.), cuius regem Antiochum Pompeius in amicitiam recepit bello Mithridatico composito. Appian. Mithrid. p. 244. Postea quum suspectae fidei videretur, receptis Parthis a Ventidio devictis, re autem vera propter pe-

Philopatore Cilicum regibus defunctis turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus: et provinciae Syria atque Iudaea fessae oneribus deminutionem tributi orabant.

XLIII. Igitur haec et de Armenia, quae supra memoravi, apud patres disseruit: nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi: nam suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse. Tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae, quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam his qui sorte aut missu principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat: praefeceratque

cuniam quam possidebat plurimam ab Antonio Samosatis obsessus et deinde pace renovata obstrictus est. Dio 49, 20. 22. Plutarch. in Anton. p. 931. et Appian. Parth. p. 159. Postremo (an. u. 725.) Augustus Antiochum ad se excivit damnatumque ob caedem legati a Mithridate Romam missi interfecit (Dio 52, 43.) regnumque (an. 734.) tribuit fratris filio Mithridati nomine. cf. Dio 54, 9. qui causam addit: *ἐπειδὴ τὸν πατέρα αὐτοῦ ὁ βασιλεὺς αὐτῆς ἀπεκτόνει.* Antiochus, quem hic mortuum legimus, filius fuit Antiochi ab Augusto interfecti, et pater Antiochi, qui apud Nostrum est infr. 13, 7. Hist. 2, 81. et 5, 1. cf. Suet. Cal. c. 16. Dio 59, 8. 60, 8.

Philopatore Cilicum. De Ciliciae regulis accipe haec. Tarcondimotus, qui in bello civili Pompeium contra Caesarem potissimum re navali iuverat, a victore gratiam nactus tum quidem in regno mansit (Dio 41, 63.), postea a Cassio invitus ad societatem compulsus est (Dio 47, 26.). Interiit in bello Actiaco in partibus Antonii (Dio 50, 34.). Filii eius post cladem ab Antonio defecerunt (Dio 51, 7.). Patri successerat Philopator filius, quem regno spoliavit Augustus (Dio 51, 2.); tribuit fratri eius Tarcondimoto (an. u. 734. Dio 54, 9.), post quem regnavit Philopator, cuius hic mentio est.

deminutionem. Sic Pich. sqq. ut videtur e cod. MS. *diminutionem* edd. priores. cf. not. ad 1, 14.

Cap. 43. *supra.* Vid. c. 3.

motum Orientem. cf. not. supr. ad 1, 57.

maiusque imperium. Idem senatus olim tribuerat Augusto. cf. Dio 53, 32. *ἐν τῷ ὑπηκόῳ τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψεν.* Etiam Pompeius ad debellandos piratas obtinuerat imperium totius maris et continentis, quae non abesset a mari longius itinere trium dierum.

quam his. Num *quam iis?*

qui sorte aut missu principis. Cf. not. ad 1, 74. Ed. Ald. omittit *qui.*

demoverat. Una Ald. *dimoverat.*

Creticum Silanum. cf. supr. c. 4.

pacta erat. Neque tamen rata fuisse ea pactio videtur; nam infr.

Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit: mox Brutum et Cassium secutus concesso reditu petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur. vix Tiberio concedere: liberos eius ut multum infra despectare: nec dubium habebat se delectum, qui Syriae imponeretur ad spes Germanici coercendas. credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata: et Plancinam haud dubie Augusta monuit muliebri aemulatione Agrippinam insectandi. divisa namque et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico alienatio patrui amo-

3, 29. refertur de nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae.

insita ferocia. Cf. supr. 1, 4. *insita Claudiae familiae superbia;* 1, 59. *insitam violentiam.* De Cn. Pisone vid. Senec. de ira 1, 16.

qui civili bello. Hirt. B. Afr. c. 4 et 18.

consulatum. An. u. 731. Dio 53, 30.

uxoris quoque. Edd. Rhenan. sqq. Apud Beroald. est *uxorisque.* cf. not. ad 1, 28.

Plancinae. Munatia Plancina dicta Dioni 58, 22. unde colligunt Munatii Planci eam fuisse filiam. De eius morte infr. 6, 26. et Dio l. l.

liberos eius. Germanicum et Drusum.

muliebri aemulatione Agr. insectandi. Plurimi accipiunt Augustam monentem, ut Plancina muliebri aemulatione Agrippinam insectetur. Hinc excusandum erat gerundium *insectandi.* Provocant in *vitandi* 15, 5. et in *ostentandi* 15, 21. Sed utroque loco in verbis praecedentibus, ut bene viderunt Vossius et Gronovius, notio latet *consilii*, *voluntatis*, *facultatis*, unde gerundium possit pendere. Quae ratio ab hoc loco aliena est. Quare alii, ut Weikertus et Oberlinus *insectandi* autumant pendere e vocabulo *aemulatione*, ut ita Augusta, muliebri aemulatione Agrippinam insectandi, Plancinam monuisse dicatur. At *aemulatio insectandi* inaudita est formula idoneoque sensu caret, Nam aemulatio quid sit, per se constat neque eget gerundio, unde, qualis sit, intelligatur. Hinc supervacaneum est verbum *insectandi.* Quid multa? *Insectandi* pendet e verbo *monuit*, quod sic ponitur cum genitivo, ut supr. 1, 12. *victoriarum suarum admonuit;* 1, 67. *temporis ac necessitatis monet;* infr. 4, 8. *honoris locique admonuit.* cf. Ramshorn. Gr. §. 169. p. 443. Not. 4. Consentientem invenio Kiesslingium.

divisa namque et discors. Synonyma secundum Roth. p. 14. Eodem modo mox *proprium et sui sanguinis.*

rem apud ceteros auxerat, et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur. et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam uxorem Drusi praecellebat. sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.

XLIV. Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae studiaque exercitus pararet: simul iuvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius seque tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente. Sed Suevi praetendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes. nam discessu Romanorum ac vacui externo metu gentis adsuetudine et tum aemulatione gloriae arma in se verterant. vis

materni. Sic edd. Rhen. sqq. Beroaldi editio habet *mater*, vitiose.

avum M. Antonium. Germanici mater fuit Antonia minor, M. Antonii triumviri filia ex Octavia Augusti sorore nata. *Avunculus* igitur est proavunculus. cf. not. ad c. 27.

Pomponius Atticus. Cuius filia Pomponia ex matrimonio M. Agrippae filiam habuit Vipsaniam, matrem Drusi e Tiberio marito. cf. Suet. Tib. c. 7. Cornel. Nep. in Attic. c. 12.

Liviam. Sive Livillam, Germanici Claudiique sororem.

Cap. 44. *Suevi.* cf. supr. c. 26. et Germ. c. 38.

discessu. Ablativus absolutus tempus denotans, in quo usurpando mira Noster utitur licentia. Sententia est: postquam Romani discesserant. cf. infr. 3, 51. *interiectu temporis* h. e. interiecto tempore; 3, 14. *tot adstantium visu.* cf. Hess. var. lect. et observ. in Tac. Germ. p. 14. Ramshorn. Gr. §. 172. p. 484, 10. Ceterum cave, ne cum Ernestio substituas *decessu*, quod actionem abeundi significat (*Abgang*); *discessus* simul absentiam et loci spatium denotat (*Weggang, Entfernung*). *Decedere* non nisi respicit ad locum, unde abitur, *discedere* utrumque ad locum, et unde abitur et quo abitur. Igitur *decessu* est, quum abirent; *discessu*, quum abessent.

ac vacui externo metu. Haec explicandi causa praecedentibus adduntur. Nam ipso discessu Romanorum vacui facti sunt externo metu. cf. Baumgarten-Crus. in disputat. de genere dicendi Sueton. sub voc. *Pleonasmus.* Adnexa est Clav. Sueton. Muretus ex vet. libro adfert *vacue* pro *vacui;* videtur voluisse: *ac vacuae externo metu gentis adsuetudine*, ut una enuntiatione haec comprehendantur. Sed bene se habet vulgata scriptura.

et tum. Sc. temporis. Nam *gloria* spectat ad victorias, quas Cherusci de Romanis recens reportaverant et quibus efferebantur super Suevos iactantiae Cheruscorum impatientes. Inde arma. Vanae igitur sunt Ernestii dubitationes *et* suspectum habentis, ut *tum* sit

nationum, virtus ducum in aequo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat.

XLV. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum: sed e regno etiam Marobodui Suevae gentes, Semnones ac Langobardi defecere ad eum. quibus additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam quam quia fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque spe, nec ut olim apud Germanos vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Ac tunc Arminius equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat, reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat: contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse foedus, proditorem pa-

praeterea; et Heinsii, qui emendat *tum et*, quod edidit Broterius.

in aequo: sed. Sic edd. Rhen. sqq. Beroald. *in aequos: et*, quod Victorius in suo exemplari correxit *in aequo: sed.* Id genus vitii saepenumero in vett. libris invenitur.

invisum apud populares. cf. Strabo 7, p. 290. Vellei. 2, 108.

habebat. Haberi ab aliquo vel ab aliqua re dicuntur, qui ei obnoxii sunt.

Cap. 45. *Cherusci sociique.* Ed. Ber. *Cheruscis sociique.* Victorius in suo exempl. correxit *Cherusci.*

Semnones. cf. German. c. 39. *Langobardi.* cf. Germ. c. 40.

praepollebat, ni. cf. not. ad 1, 35.

clientium. Sic cod. MS. edd. Ernest. Broter. sqq. Prius inde a Beroald. vulgabatur *clientum.* cf. 3, 42. 16, 22.

fratris. Sigimeri. cf. Vellei. 2, 118. *iuveni.* Nam biennio post hanc pugnam obiit anno aetatis 37. cf. infr. c. 88. *Iuvenis* etiam Velleio dicitur l. l.

adversum. Sic cod. MS. edd. Broter. Oberl. sqq. Olim Beroaldo auctore vulgabatur *adversus.* cf. not. supr. ad 1, 12.

ac tunc. Sic edd. Ber. Rhen. sqq. et nuper Bekker. *at tunc* edd. Lips. Gruter. sqq. Mox ed. Ald. *quousque* pro *quosque.*

derepta. Sic cod. MS. edd. Ryck. sqq. *direpta* edd. Beroald. sqq. ad Ryckium. cf. not. ad 1, 20. 13, 57. Ovid. Metam. 3, 52. *derepta leoni pellis.* Id. 6, 567. *velamina deripit ex humeris.*

Hercyniae latebris defensum. cf. Vellei. 2, 108. Edd. Ber. Rhen. Ald. *Hirciniae;* Lips. 1574. sqq. *Hercyniae.*

ac mox ... petivisse foedus. cf. supr. c. 26. *sic Suevos regemque*

triae, satellitem Caesaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quintilium interfecerint. meminissent modo tot proeliorum, quorum eventu et ad postremum eiectis Romanis satis probatum, penes utros summa belli fuerit.

XLVI. Neque Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem abstinebat: sed Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta quae prospere ceciderint, testabatur: vecordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit magna cum clade Germaniae et ignominia sua, cum coniunx, cum filius eius servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio inlibatam Germanorum gloriam servavisse. mox conditionibus aequis discessum: neque poenitere, quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum an pacem incruentam malint. His vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant, cum a Cheruscis Langobardisque

Maroboduum pace obstrictum. Vellei. 2, 109. *legati, quos mittebat ad Caesares, interdum ut supplicem commendabant* etc.

Cap. 46. *vacuas legiones.* Quod *vacuas legiones* interpretantur *legiones sine duce* vel *sine duce perito*, ut Gronovius et cum eo alii, vel οὐκ ἐντελεῖς, ut Freinshemius, vanum est. Nam sine duce minime fuere, utque intelligamus *sine duce perito* vel *non expleto numero*, non ferunt verba. Vocabulum *vacuus* plerumque intelligitur e casu, qui additur ad sensum explendum, ut *vacuus metu* c. 44. *vacuus a periculo* Hist. 1, 86. *vacuum curis* Hist. 2, 90. Nude tamen ponitur, ubi quae intelligenda sint, contextus docet. Sic An. 6, 34. *vacui Colchi* h. e. qui regem non habent; 12, 50. *vacua Armenia*, 2, 76. *vacua provincia* h. e. quae praeside caret; 13, 44. *mulier vacua*, quae est sine marito. Iam legiones ad bellum parantur, quare vacuae dici possunt, quae bello carentes in pace versantur, otiosae, pace incuriosae (An. 4, 45.), ideoque non paratae ad proelium. Sic Agric. c. 37. Britanni dicuntur *vacui*, qui sunt otiosi, incuriosi neque ad proelium parati. Hist. 4, 17. *vacui* eodem sensu opponuntur *occupatis*. Hist. 1, 80. *vacuus* i. q. otiosus. Sallust. Cat. c. 52. *vacuam rem publicam* dicit, quae non instructa est ad defendendum. Ovid. Met. 1, 520. *in vacuo quae vulnera pectore fecit.* Vacuae legiones igitur sunt *ungerüstete.*

coniunx — filius. cf. 1, 51. 58. Cod. MS. *cum filios*, unde Iac. Gronovius coniecit *cum filio.*

adversum Romanos. Sic cod. MS. edd. recentiores. *adversus Romanos* edd. Ber. Rhen. sqq.

pro antiquo decore aut recenti libertate et contra augendae dominationi certaretur. Non alias maiore mole concursum neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. id signum perculsi fuit: et transfugiis paulatim nudatus in Marcomanos concessit misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope iuvisset. Missus tamen Drusus, ut rettulimus, pacis firmator.

XLVII. Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes collapsae nocturno motu terrae: quo improvisior graviorque pestis fuit. neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes: visa in arduo, quae plana fuerint: effulsisse inter ruinam

pro antiquo decore, a Cheruscis; *aut recenti libertate*, a Langobardis, qui recens e regno Marobodui ad Arminium defecerant; *contra*, apud Maroboduum. *recenti* edd. Lips. sqq. *recente* edd. vett.

transfugiis. Sic suadentibus Lipsio, Gronovio, Ryckio dedere Oberlin. sqq. cf. Hist. 2, 34. 3, 61. Prius edebatur *transfugis*. Vitium e compendio *transfugis*.

Marcomanos. Vulgo *Marcomannos*. Sed vid. not. ad Germ. c. 42. Mox ed. Ald. *pugnantes* pro *pugnantis*.

pacis firmator. cf. not. ad 1, 24. sub voc. *ostentator*.

CAP. 47. *Eodem anno ... motu terrae.* cf. Dio 57, 17. Plin. 2, 86. Strabo 12, p. 579.

Asiae. Proprie sic dictae, quam ferimus Asiam minorem, ut infr. 4, 15. 3, 32. et alibi.

quo improvisior. Scil. quia nocturna.

in aperta prorumpendi. Ernestius haec verba de glossemate suspecta habet, quoniam per se intelligatur solitum in tali casu effugium esse, ut in aperta homines prorumpant. Ne audias. Nil enim aptius, quam haec effugii ante dicti explicatio. Quod autem ille offendit in gerundio *prorumpendi* putatque debuisse scribi *prorumpere*, nescio quid sibi velit. Nam *effugium* hic minime est fuga ipsa, sed ratio effugiendi, quae qualis sit, vel in quo cernatur, recte enuntiatur hoc gerundio. cf. Cic. Fin. 3, 14. *crescendi accessio*; Or. 1, 20. *intelligendi prudentia*, *eloquendi celeritas*. Vid. apud Ramshorn. Gr. §. 169. not. 1. a.) p. 442. et not. infr. 3, 63. Consentientem invenio Kiesslingium.

sedisse. cf. supr. 1, 70. *quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret.* Corn. Nep. 12, 4, 2. *navis rostro percussa coepit sidere.*

inter ruinam ignis. Sic edd. Iac. Gronov. sqq. e cod. MS. ut videtur. Edd. priores *ignes*.

ignis memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit. nam centies sestertium pollicitus Caesar et, quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidenses, quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocaesaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis mittique ex senatu placuit, qui praesentia spectaret refoveretque. delectus est M. Aletus e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oriretur.

asperrima in Sardianos. Vide epigr. in Brunck. Anal. t. 2, p. 157. De Sardium urbe cf. Strabo 13, p. 430. Plin. 5, 29.

lues. cf. Hist. 2, 15. *immensa belli lues.*

quantum aerario aut fisco pendebant. Intellige Sardianos et aerario et fisco pependisse, Caesaremque remisisse et quantum aerario et quantum fisco penderent. Vid. not. de partic. *aut* ad 1, 8. et infr. ad 3, 63. *Dianam aut Apoll.*

Magnetes a Sipylo. cf. Plin. 5, 9. Liv. 37, 44. Diversa Magnesia a Maeandro. cf. Strabo 13, p. 621. et Noster infr. 3, 62.

Temnios. Plin. 5, 30. Strabo 13, p. 621.

Philadelphenos. Strabo 13, sub fin. *Aegeatas.* Plin. l. l. Strabo l. l.

Apollonidenses. Strabo 13, p. 430. Plin. 5, 30. Cic. Flacc. 21. 29. 32. Att. 5, 13. ad Quint. 1, 2, 3. Scriptura est ab Ernestio: priores edd. inde a Ber. *Apollonienses.*

quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Recentiores tamen editores male seduli *at* vel *et* vel *atque* substituere pro *aut*, cuius particulae vim non satis capiebant. cf. not. ad 1, 8. *Mosteni* et *Macedones Hyrcani* diversa sunt oppida eiusdem regionis; comprehenduntur sub formulam *quique vocantur.* Sed quia diversi: distinguendi, non copulandi erant. Sic paulo ante *aerario aut fisco;* infr. 3, 63. *Dianam aut Apollinem venerandi.* Igitur locus *quique Mosteni aut M. Hyrcani voc.* significat: quique cum Mosteni, tum M. Hyrc. vocantur. Herrmannus ad h. l. distinguit *Mostenos Hyrcanos* et *Macedones Hyrcanos (Mostenische oder Macedonische Hyrcaner).* Erat enim secundum Strab. 13, p. 432. τὸ ὑρκάνιον πεδίον, Περσῶν ἐπονομασάντων καὶ ἐποίκους ἀγαγόντων ἐκεῖθεν. Ibi urbes Mostena et Hyrcania, quarum incolas a campo Hyrcano utrosque dictos Hyrcanos non mireris. cf. et. Plin. 5, 29. Desunt tamen idonea argumenta, quis haec distinguendi ratio probetur. Ceterum in ed. Rhenan. quum venisset *Mosceni* pro *Mosteni*, idem vitium in seqq. edd. propagatum est, donec Iac. Gronovius docuit in cod. MS. uti in ed. Ber. esse *Mosteni*, quod voluerat Lipsius. Ed. Ald. *Mosteni.*

Hierocaesaream. cf. infr. 3, 62. Pausan. El. 1, 27.

Myrinam. Plin. 5, 30. *Cymen, Tmolum.* Plin. l. l.

mittique ex senatu etc. cf. Dio 57, 17.

XLVIII. Magnificam in publicum largitionem auxit Caesar haud minus grata liberalitate, quod bona Aemiliae Musae locupletis intestatae petita in fiscum Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, et Patulei divitis equitis Romani hereditatem, quanquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat, nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus. Neque hereditatem cuiusquam adiit, nisi cum amicitia meruisset. ignotos et aliis infensos eoque principem nuncupantes procul arcebat. Ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium movit senatu aut sponte cedere passus est.

XLIX. Iisdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta circum maximum, quas A. Postumius dictator voverat: eodemque in loco aedem

Cap. 48. *Magnificam .... liberalitate.* Ernestius negligentiae Tacitum arguit, quod non scripserit: *auxit C. privata liberalitate.* At nulla hic est oppositio inter *liberalitatem privatam* et *largitionem publicam*, sed inter *largitionem in publicum* et *liberalitatem in privatos.* Hoc tamen vocabulum non erat addendum, quia mox singuli homines nominantur, in quos liberalem se praebuit. Ceterum *liberalitas* proprium est vocabulum de Caesarum largitione in privatos. cf. Hist. 1, 20. Sueton. Galb. c. 15.

Aemiliae Musae. Satis verisimilis videtur esse Lipsii coniectura, qui ob nomen *Musae* graecam intelligit libertam (cur non libertinam?) propinquis nullis, nec patrono aut patroni posteris superstitibus demortuam, cuius bona ut vacua (ἀδέσποτα) in fiscum peterentur.

neque hereditatem cuiusquam adiit. Sc. quanquam heres scriberetur.

Q. Vitellium. cf. Sueton. Vit. c. 2.

Cap. 49. *quas A. Post. d. v.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. Mox suadente Lipsio Pichena posuit *quam*, quoniam tribus illis numinibus unum templum fuit. paruere dein omnes editores. Non reputant, in uno templo tribus numinibus dicato tres distingui aedes singulisque numinibus suas esse cellas, templum igitur tripartitum. Sic infr. 15, 24. Iovis ac Minervae aedes de coelo tactae esse dicuntur, ubi de templo Capitolino cogitabimus, Iovi, Iunoni ac Minervae sacro. Dio 55, 1. distinguit: τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίνου, τόν τε σύνναον αὐτοῦ. Noster Hist. 3, 71. *Inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus.* Sermo est de templo Capitolino. Quanquam igi-

Florae ab Lucio et Marco Publiciis aedilibus constitutam: et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit. Spei aedes a Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello.

L. Adolescebat interea lex maiestatis. et Appuleiam Variliam sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium et matrem eius inlusisset Caesarique connexa adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. De adulterio satis caveri lege Iulia visum; maiestatis crimen distingui Caesar postulavit,

tur unum fuit Libero Liberaeque et Cereri templum, tres tamen in eo templo statuuntur aedes. Livius quidem 3, 55. scribit: *ad aedem Cereris, Liberi, Liberaeque.* Satis tamen ibi suspectae fidei est *aedem*, quum alibi simpliciter idem auctor dicat: *ad Cereris, Liberi, Liberaeque.* Ceterum de A. Postumii voto (an. u. 257). cf. Dionys. Hal. 6, 17 et 94. et de dedicatione eiusd. libr. extr. (an. 260). Adde Plin. 35, 12. 45.

ab Lucio et Marco Publiciis. cf. Ovid. Fast. 5, 285 sqq. Varro de L. L. 4, 32. Festus sub voc. *Publicius.* Pertinet ea res ad an. u. 513.

Iano templum .... struxerat. Primum Iani templum Numa constituit apud infimum Argiletum. Hic est Ianus, qui clausus pacatos circa omnes populos significat. Liv. 1, 19. Diversum ab illo fuit templum Iani a Duillio exstructum: non temere enim Noster addidit: *quod apud forum olitorium.*

spei aedes. In eodem, nisi fallor, foro olitorio; nam aliae etiam fuere aedes huic deae consecratae.

Atilius. Rupertius et Weikertus intelligunt *M. Atilium Regulum.* Falluntur. Cogitandum potius est de *Atilio Colatino.* Liv. epit. 17. Flor. 2, 2. Nam Cic. de Leg. 2, 11. scribit: *Recte etiam a Colatino spes consecrata est.*

eodem bello. Sc. Punico primo, haud dubie an. u. 496. quum in locum iniquum a Poenis circumsessum temere duxisset exercitum. Spes non fefellit; nam M. Calpurnii tribuni militum virtute et opera ille evasit Liv. et Flor. l. l.

Cap. 50. *Appuleiam Variliam, sororis Augusti neptem.* Lipsius satis recte suspicatur, eam fuisse e domo Appuleii, quem συγγενῆ Αὐγούστου vocat Dio 54, 30 et 56, 29. Soror Augusti haud dubie intelligenda Octavia minor, quia simpliciter soror dicitur, quasi unam tantum habuerit. Iam fuit quidem Octavia maior neque tamen ex Atia Augusti matre, sed ex Ancharia nata, quam Octaviam maiorem si vellet Tacitus, aliquid saltem addidisset, unde intelligeretur. Nam et apud alios scriptores, ubi soror Augusti simpliciter dicitur, minor Octavia significatur. cf. Sueton. Octav. c. 61. Dio 54, 35.

Caesarique connexa. Ideo adulterium pro iniuria Caesaris domo inlata et sub hoc nomine pro crimine maiestatis acceptum. cf. An. 3, 24.

arcessebat. Sic edd. Rhenan. sqq. *arcescebat* ed. Beroald.

lege Iulia. De adulteriis, lata an. u. 737. cf. not. infr. 4, 42.

damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset: in se iacta nolle ad cognitionem vocari. Interrogatus a consule, quid de his censeret, quae de matre eius locuta secus argueretur, reticuit: dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent. liberavitque Appuleiam lege maiestatis: adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur, suasit. adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.

LI. De praetore in locum Vipsanii Galli, quem mors abstulerat, subrogando certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romae erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici fovebant: con-

in se iacta. Dio 57, 9. ἐπεὶ τό γε ὑβρίσθαι πρός τινος, καὶ τὸ ἠσεβῆσθαι πρός τινος (ἀσέβειάν τε γὰρ ἤδη καὶ τὸ τοιοῦτον ὠνόμαζον, καὶ δίκας ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἐσῆγον) ἥκιστα προσεποιεῖτο. οὐδὲ ἔστιν ἥντινα τοιαύτην ἐφ' ἑαυτῷ γραφὴν προσεδέξατο καίπερ τὸν Αὔγουστον καὶ ἐν τούτῳ σεμνύων. At plane mutatum Tiberium invenies apud Dion. 58, 24.

de his. Num *de iis?*

in eam. Ed. Beroald. vitiose *in eū.*

adulterii graviorem poenam. Intellige eam, quae lege Iulia inrogabatur. In mulieribus ea fuit relegatio in insulam cum publicatione dimidiae partis dotis et tertiae bonorum; in viris vero adulteris relegatio item in insulam cum publicatione dimidiae partis bonorum. cf. Paull. Sentent. II, 26, 14. qui unus est ex tota antiquitate locus de poena huius legis. Vide locum simillimum apud Sueton. Oct. c. 5 *in deprecanda graviori adulterii poena.*

exemplo maiorum. Nam secundum Romuli legem apud Dionys. Hal. 2, 25. (ἡ γυνὴ) ἁμαρτάνουσα τὶ δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. cf. Gell. 10, 23. Liv. 39, 18. Suet. Tib. c. 35. Noster infr. 13, 32. Ne tamen ex nostro loco colligas, *ultra ducentesimum lapidem remotionem* receptam omnino maioribus fuisse poenam mulieri adulterae a propinquis inrogandam; immo arbitraria sine dubio ea fuit et multo amplior mariti et propinquorum in adulteram potestas. Hic vero Tiberius, *ut ultra d. l. removeretur*, suasit, quippe graviorem poenam deprecatus. Ruperti suspicatur praepositionem *a* vel *ab* ante *propinquis* excidisse. Frustra. cf. Hist. 2, 80. *militibus — diligebantur.* Hist. 3, 12. *Vespasiano tenebantur.* cf. Ramshorn. Gr. §. 124. 1). Ceterum ed Ald. dat *removerentur* pro *removeretur*, et dein *adulterio* pro *adultero.*

Cap. 51. *Haterium Agrippam.* Is tribunus pl. a. u. 768. vid. supr. 1, 77. consul an. 775. vid. infr. 3, 49 et 52. diversus a Q. Haterio, de quo 1, 13. 2, 33. 3, 57. 4, 61. et quem illius patrem fuisse suspicatur Ryckius ad An. 3, 52.

propinquum Germanici. Ryckio videtur matrem habuisse Vipsaniam M. Vipsanio Agrippa et Marcella genitam. cf. Suet. Oct. c. 63. Et *Agrippae* cognomentum Haterio

tra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat. Laetabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret. victa est sine dubio lex, sed neque statim et paucis suffragiis: quomodo etiam cum valerent leges vincebantur.

LII. Eodem anno coeptum in Africa bellum duce hostium Tacfarinate. is natione Numida in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare: dein more militiae per vexilla et turmas componere: postremo non inconditae turbae, sed Musulanorum dux haberi. valida ea gens et solitudinibus Africae propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma Maurosque adcolas in bellum traxit. dux et his Mazippa. divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret: Mazippa levi cum copia in-

nostro fuisse testis est Dio in indice libri 57.

ut numerus .... iubebat. *Lex* sc. Papia Poppaea de marit. ord. quae iubebat: *Qui candidatorum plures liberos habebit, praefertor.* cf. Iac. Gothofred. in *Quattuor fontt. iur. civ.* c. 7. Noster infr. 15, 19. Plin. ep. 7, 16.

Cap. 52. *auxiliaria.* Sic e cod. MS. ut videtur edd. Beroald. Rhenan. Ald. et recentiores inde a Iac. Gronovio. Lipsius: *auxiliaris*; Freinshem. Gronov. Ryck. *auxiliariis*, quod nihili videtur. Nam castra Romana auxiliaria non dantur, nisi si intelligas eam castrorum Rom. partem, in qua auxiliares seorsim agerent. At hic auctor non versatur in distinguendis castrorum partibus; castra Rom. potius dicit pro militia Rom. *Auxiliaris* de uno homine ad cohortes auxiliarium pertinente legi non memini. Simillimus locus et idem depravatus exstat infr. 11, 18. *qui natione Canninefas* etc.

Musulanorum. Sic edd. Rhenan. sqq. Addicunt Plinii MSS. 5, 4. testante Harduino. Ed. Beroald. hic et infr. 4, 24. *Musulamorum.* Et Ptolomaeus 4, 3. vocat *Μισουλάμους*. Quis veram scripturam extricabit?

disciplina et imperiis suesceret. Pichena mutabat in *disciplinae*, quoniam alibi Noster tertium casum cum isto verbo coniungit. cf. 1, 31. 2, 44. 15, 31. I. Fr. Gronovius monuit, iuxta bonum et latinum esse *disciplina suescere*, et licere Tacito, ut variet. Provocat in Liv. 31, 35. Addo Cic. Orat. 3, 15. *homines labore adsueti.* At plane aliud significat *suescere disciplinae* quam *s. disciplina.* Illud intransitivum est ac significat *consuetudinem alicuius rei contrahere*, cf. supra c. 44. *ut suesceret militiae*; hoc vero activum, ut sit adsuescere aliquem, utiturque ablativo rei, qua illud fit. Igitur si cum Pichena legis *disciplinae*, tum ex Taciti usu loquendi divisus dicitur exercitus, ut Tacfarinas disci-

cendia et caedes et terrorem circumferret. compulerantque Cinithios haud spernendam nationem in eadem, cum Furius Camillus pro consule Africae legionem et quod sub signis sociorum in unum conductos ad hostem duxit: modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil aeque cavebatur quam ne bellum metu eluderent. spe victoriae inducti sunt, ut vincerentur. Igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur. Nec Tacfarinas pugnam detrectavit. fusi Numidae multosque post annos Furio nomini partum decus militiae. nam post illum reciperatorem urbis filiumque eius Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat, atque hic, quem memoramus,

plinae et imperiorum consuetudinem contraheret, quod ineptum est. Immo si quem suescis disciplina, hic suescet disciplinae et deinde erit suetus disciplinae.

compulerantque. Que h. e. quoque. cf. not. ad 1, 28.

Cinithios. Ptolom. 4, 3. μέχρι τῆς μικρᾶς Σύρτεως Μαχυναί· καὶ ὑπ' αὐτοὺς Κινήθιοι (in optimo Broterii MS. Κινύθιοι). Muret. et Pellicer. apud Broterium coniiciebant *Ciniphios*, Broterius *Cinyphios*, dictos a fluvio *Cinype* vel *Cinypho*. cf. Sidon. Apollin. carm. 9, 203. *Non hic Cinyphius canetur Ammon mitratum caput elevans arenis.* Oberlino Cinyphii ad syrtim positi nimis longe abesse videbantur.

pro consule Africae. Sic cod. MS. edd. Gronoviorum et Ryckii. Contra edd. Beroald. Rhenan. et reliquae *proconsul.* At patitur locus formulam *pro consule*, intellecto ὤν. cf. infr. 12, 31 et 3, 32 et 2, 66 et 4, 13. Sueton. Tib. c. 3. *Drusus traditur pro praetore ex provincia Gallia rettulisse aurum* etc. Vid. Ramshorn. Gr. §. 151. c) 5). p. 296. *conductos* ob *duxit* proxime positum offendebat Heinsium, ut vellet *condictos* vel *coactos.* Ernestius mavult *contractos*, patitur tamen vulgatum ut gratae negligentiae exemplum. Sed auctor videtur consulto sic scripsisse. *modicam manum* est adpositio eius generis, de quo dictum est ad 1, 27. Mox pro *si multitudinem* ed. Beroald. habet *similitudinem*, vitiose.

sed nihil . . . eluderent. Ricklefs male hic ab aliis diversus habet: *aber nichts vermied man so sehr, als aus Furcht dem Krieg auszuweichen.* Immo a Camillo nihil aeque cavebatur, quam ne hostes bellum metu eluderent. Ratio redditur, cur Camillus tam modicam manum contra hostium multitudinem duxerit et contentus sociorum copiis, quae sub signis erant, non maiorem auxiliarium vim sibi comparaverit, ante quam ad bellum iret. Nimirum cavebatur, ne bellum metu eluderent conspecto maiori exercitu. Rhenan. pro *metu* substituebat *astu*, quod testimonio est et illum Taciti verba non intellexisse.

post illum reciperatorem urbis. cf. Liv. 5, 49 sqq.

penes alias familias. Int. Furiorum, neque tamen Camillorum. Lipsius notavit P. Furium Philum, qui an. u. 530 et L. Furium Purpureonem, qui an. 553 (non 557 ut habet Ricklefs) triumphavit. cf. Liv. 31, 49.

memoramus. Sic cod. MS. edd. Ernest. sqq. Contra edd. Beroald. Rhen. sqq. *memoravimus.*

bellorum expers habebatur. eo pronior Tiberius res gestas apud senatum celebravit: et decrevere patres triumphalia insignia: quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit.

LIII. Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit. sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiae Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Dalmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. igitur paucos dies insumpsit reficiendae classi: simul sinus Actiaca victoria inclitos et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii cum recordatione maiorum suorum adiit. namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium laetorumque. Hinc ventum Athenas, foederique sociae et vetustae urbis datum, ut uno lictore uteretur. Excepere Graeci quaesitissimis honoribus vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.

bellorum expers. Sic Agr. c. 30. *servitutis expertes.*

Cap. 53. *Tiberium tertio.* Paucis diebus. cf. Suet. Tib. c. 26. Suffectus est L. Seius Tubero. cf. Gruter. inscript. 26, 9.

Nicopolim. cf. infr. 5, 10. Plin. 4, 1.

in Dalmatia agente. cf. supr. c. 44. *Delmatia* cod. MS. edd. quaedam recentt. interque eas Bekkeri, et sic saepe nummi et lapides et MSS. Contra edd. Beroald. Rhenan. sqq. *Dalmatia*, uti editur Hist. 1, 76. 2, 11. 86. et alibi consensu, ut videtur, librorum MSStorum. Igitur constantiae causa et hic scribimus *Dalmatia*, quanquam infr. 3, 9. cod. MS. iterum habet *Delmatico.*

sacratas ab Augusto manubias. cf. Sueton. c. 18. *Quoque Actiacae victoriae memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosque illic Quinquennales constituit: et ampliato vetere Apollinis templo locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis Neptuno ac Marti consecravit.* Dio 51, 1.

ut memoravi. Supr. c. 43.

vetera suorum facta dictaque praeferentes. Facta dictaque solemnis est formula, qua significatur omnis alicuius se gerendi ratio (*Worte und Werke*). cf. supr. c. 28. *cunctaque eius dicta factaque cum prohibere posset, scire malebat;* 3, 65. *utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit;* 4, 37. *qui omnia facta dictaque eius vice legis observem;* 6, 24. *recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies iussit;* 16, 18. *ac dicta factaque eius quanto solutiora* etc. Hist. 4, 32. *eadem dicta factaque.* Sueton. Oct. c. 12. *dicta factaque quorundam calumniatus.* Sallust. Hist. fragm. 3. *At Pompeius a prima adolescentia Alexandri facta dictaque aemulus erat.* Sic aliis sexcentis locis. vid. et not. ad 1, 10. *de habitu cultuque.* Iam *Graeci vetera suorum facta dictaque praeferentes* sunt Graeci antiquo more se in excipiendo Germanico geren-

LIV. Petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit. tum extrema Asiae Perinthumque ac Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi, pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat. atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere. Igitur adito Ilio quaeque ibi varietate fortunae et nostri

tes taliaque in honorem eius instituentes, quae antiquitus in honorem insignium virorum institui solebant apud Graecos. Nam *laetum antiquitatibus Graecorum genus.* cf. Hist. 2, 4. Simili modo An. 6, 42. Seleucenses *adventantem Tiridatem extollunt veterum regum honoribus.* Quae cum ita sint, minime in hac formula cogitabis de iis, quae maiores Graecorum in primis fortiter fecissent, ut ad Marathona, Salamina etc., aut inlustriores viri magnifice dixissent, aut si quae aliae de hoc loco circumferuntur nugae. Nam mirum quantum interpretes in his Taciti verbis sudaverint explicandis. Sed commenta illorum referre taedet. Male etiam de hoc loco disputavit vir doctus in Seebod. bibl. crit. 1821. fasc. 11 et 12. p. 1082. Frustra autem Hillerus in Racemat. *praeferentes* mutat in *proferentes*, Ernestius in *praefantes*; nam *praeferre alicuius dicta factaque*, ut sit imitari, *zur Schau tragen*, iusta est locutio. cf. infr. 13, 3. 14, 57. 16, 32.

Cap. 54. *tramisit Lesbum.* Sic infr. c. 59. *Aegyptum proficiscitur.* cf. Ramshorn. Gr. §. 134. Not. 1. p. 239. Eadem structura est 12, 32 et 51. Hist. 3, 42. 43. 85.

ubi Agrippina n. p. I. e. Cf. nummus a Mytilenensibus in eius honorem cusus. Spanhem. de U. et P. NN. 2, p. 277 et 490. Eckhel D. N. N. vol. 6. p. 214.

internis . . . fessas. Apte I. Fr. Gronovius adscripsit locc. Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 8. ad Fam. 3, 1. ad Att. 6, 2. 5, 20.

sacra Samothracum. cf. *Schelling*, *über die Gottheiten von Samothrace.* 1815. Varro de L. L. 4, 10. Strabo 10, p. 470. Diodor. 5, 47.

Igitur adito Ilio quaeque etc. Cod. MS. test. Pichena *igitur alio quaeque* etc. quam scripturam non satis feliciter Woltmannus ita defendit, ut *quaeque* in num. sing. accipiat referatque ad *Asiam*. Interpretatur: *Anders hin also schaut er Asien wieder, wie es dort durch Wechsel des Glücks und unsern Ursprung verehrungswürdig.* Quae si verbis latinis insunt, quod nemini persuadebitur, vel propterea locum pro corrupto habeo. Nam inepta sunt. Ceteri interpretes editoresque ad unum omnes de vitio cod. MS. consentiunt innumerisque emendationibus locum exornant. Ed. Beroald. *depulere. Igitur aliaque quae ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda.* Quam rationem nuper defendit Roth. (*Neues Archiv für Philol. und Paedag.* Mai 1829. nr. 22). Sensum constituit: „igitur etiam reliqua, quae in illo mari varietate fortunae memoranda (nam leve zeugma subest) et nostri origine veneranda licet adire, relinquens, sive transmittens, Asiae oram legere pergit." Sed cod. MS. *alio quaeque* habet non *aliaque*. Victorius textum Beroald. intactum reliquit, quia cod. MS. Corbeiensem non contulit. Eadem cum Beroaldo et Aldo Rhenanus habet in contextu. In castigatt. arbitratur Tacitum scripsisse sic: *At.*

origine veneranda, relegit Asiam adpellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina illic ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum et carminum edit responsa versibus compositis super rebus, quas quis mente concepit, et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse.

LV. At Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido incessu exterri-

que illum in regressu sacra Sam. visere nitentem, *aliaque ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda. Igitur relegit Asiam, adpellitque Colophona.* Recepta sunt haec in seqq. edd. Lipsius in reliquis cum Rhenano facit, nisi quod vult: *aliaque quae ibi* etc. Plerique in emendanda voce *alio* laborant, unoque ore pronuntiant latere in eo *Ilii* nomen. Iam alii cum Freinsh. et Ryck. scribunt: *Igitur Ilio*, *quaeque* etc. Alii cum Heinsio: *Igitur ab Ilio*, *quaeque* etc. eodem sensu. *Quaeque* accipiunt pro: *ab iisque*, *quae*; nec desunt exempla, quibus haec dicendi ratio excusari possit. cf. supr. 1, 12. 2, 33 et 41. infr. 3, 43. 45. 11, 3. et multis aliis locis. Sed quis tandem elegans scriptor unquam hisce ambagibus uletur ad indicandum locum, unde aliquem profectum dicat? Si Germanicus ab Ilio profectus Asiam relegit, per se intelligitur illum et profectum esse ab iis, quae ibi ... veneranda. Inutiliter igitur haec sunt addita. Opponunt, voluisse Nostrum plura de Ilio dicere, nec simpliciter indicare locum, unde G. profectus sit, sed etiam, quod antea Ilium quaeque ibi ... veneranda adierit, spectaverit. Recte. Tum vero non omittendum erat vocabulum, quo id constaret. Quare nil verius est, quam *I. Sever. Vateri (Animadv. in locos quosd. ex Mid. Demosth. or.* Ien. 1796) coniectura, qui legit: *Igitur adito Ilio quaeque* etc. Dignam esse censui, quae in textum recipiatur. Erat in schedis meis antequam novissem *Vateri* eam esse coniecturam. Germanicus Ilium adiit (cf. supr. c. 38. *adire municipia*); in nave enim erat, unde debuit escendere, ut Ilium viseret. Ex *adito Ilio*, corruptis mediis litteris, facile potuit oriri *alio*. Diversam nuper Herrmannus iniit viam. Proponit: *igitur alio* (sc. nitens) *et* (in vel ad ea) *quae ibi .... veneranda*, *relegit Asiam.* Vel: *igitur alio* (nitens) *et* (visens), *quae ibi* etc. Quae si forte cuiquam placebunt, non invidebo. Kiesslingius vult: *igitur adito Ilio quaeque alia ibi* etc. Sed *alia* ibi frustra adest.

Colophona, *ut C. A. o. uteretur.* Strabo 14, p. 642. Κολοφὼν πόλις Ἰωνικὴ καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν. Quibus verbis videtur significari, posteriori aetate oraculum illud desiisse. At aliud dicit Tacitus. Concilio tamen utrumque auctorem. Strabonis verba interpretor de celebrationis deminutione, quae haud dubie posterioribus temporibus ingruit, ita tamen ut ipsum institutum non abolesceret. Namque oracula etiam suam habuerunt auream aetatem, quae postea cessit in aeneam. Ceterum cf. Plin. 2, 103. Pausan. 7, 1 et 5.

degressus. Ed. Ald. *digressus.*

tam oratione saeva increpat, oblique Germanicum perstringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus exstinctos, sed colluviem illam nationum comitate nimia coluisset. hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios. Etiam vetera obiectabat, quae in Macedones improspere, violenter in suos fecissent: offensus urbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum precibus suis non concederent. Exin navigatione celeri per Cycladas et compendia maris adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, ut cum orta tempestas raperet in abrupta possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremis, quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso et vix diei moram perpessus linquit Germanicum praevenitque. et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi parens legionum haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse: in Agrippinam, in Germani-

Cap. 55. *colluviem illam nationum.* Tangunt et alii Atheniensium facilitatem et sordes in vendendo civitatis suae iure. E Demosthene locos attulit Ezech. Spanhem. in Orbe Rom. I, c. 16. p. 124. Hinc Augustus *ἀπηγόρευσε σφίσι μηδένα πολίτην ἀργυρίου ποιεῖσθαι.* Dio 54, 7.

Mithridatis adversus Sullam. cf. Appian. de Bell. Mithrid. p. 189 sqq. Strabo 9, p. 398. Pausan. Att. 1, 20. Plutarch. Sulla p. 458.

Antonii adversus divum Aug. cf. Dio 54, 7. Id. 50, 15. 48, 39. Appian. Bell. Civ. lib. 5, p. 675 et 716.

quae in Macedones i. cf. Liv. 27, 30. 28, 41 sqq.

violenter in suos. Ut in Phocionem, Periclem aliosque.

Areo iudicio. Sic bene Rhenan. restituit. Ed. Ber. *a reo iudicio.*

per Cycladas et compendia maris. ἓν διὰ δυοῖν et quidem eius generis, quod cedit in locum adpositionis. cf. Roth. p. 45 et not. ad 1, 41.

triremis. Sic cod. MS. edd. Ber. et recentiores post I. Gronovium. *triremeis* ed. Rhen. *triremes* edd. Ald. Lips. sqq.

provectus. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. *profectus* edd. recentt. cf. not. ad 4, 10.

decursibus cohortium. Exercitii causa usurpatis (*manoeuvres*). Sue-

cum contumelias iacere: quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat.

LVI. Nota haec Germanico: sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quo nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur, maximisque imperiis interiecti et saepius discordes sunt adversus Romanos odio et in Parthum invidia. Regem illa tempestate non habebant amoto Vonone: sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum aemulatus venatu, epulis et quae alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine insigne regium capiti eius imposuit. ceteri venerantes regem Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. At

ton. Ner. c. 7. Galb. c. 6. Veget. 1, 27. 3, 4.

incedebat. Edd. Lips. sqq. verissime. *incidebat* edd. vett.

Cap. 56. *praeverti.* Significatione medii. cf. Plin. ep. 5, 15. *Praevertor ad ea, quae me agentem hic nuntius deprehendit.* Graece φθάνειν εἴς τι. Plutarch. Thes. c. 18. Xenoph. Cyr. 5, 4, 9. *praevertere aliquid, zuvorkommen.* Plin. ep. 3, 9. *Ille accusationem fortuita vel voluntaria morte praevertit.* cf. infr. 4, 19.

hominum ingeniis et situ t. Sic Pichena e cod. MS. locum restituit. Ed. Beroald. *hominum ingeniis, sed situ t.* Edd. Rhen. sqq. *nō modo ingeniis, sed situ t.*

et saepius. Particula *et* explicat praecedentia. Nam quod maximis imperiis interiecti sunt, ea est causa discordiae, alios odio adversus Romanos, alios in Parthum invidia in diversas partes trahente. cf. Hist. 3, 44. *legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat.* Qui hodie latine scribunt, in talibus locis solent omittere copulam *et.* cf. not. ad Agric. c. 4.

amoto Vonone. cf. supr. c. 4.

Polemonis regis. Cui super regnum Ponti et Armeniam minorem dederat Antonius, deiecto Artavasde. cf. not. ad c. 3. Dio 49, 33 et 44. Armeniae tamen possessio haud diuturna fuit Polemoni. De Zenone vid. Strabon. 12, p. 556.

in urbe Artaxata. Eadem forma infr. 6, 33. *urbe Artaxata potiuntur.* Contra num. plur. 13, 41. 14, 23. 15, 39. Etenim non semel accidit, ut cod. MS., qui sex priores Annalium libros complectitur, diversis vocabulorum formis utatur.

insigne regium etc. Suspicionem, quam Lipsius ad h. l. movit de loco Suet. Cal. c. 1. (*quum Armeniae regem devicisset*), dissensumque utriusque scriptoris recentiores Suetonii interpretes diminuisse quidem, neque tamen prorsus sustulisse videri possunt.

ex nomine urbis. Artaxata dicta ab Artaxe vel Artaxia rege ur-

Cappadoces in formam provinciae redacti Q. Veranium legatum accepere: et quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servaeus praeponitur tum primum ad ius praetoris translatis.

LVII. Cunctaque socialia prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant ob superbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere utrumque neglexerat. Cyrri demum apud hiberna decumae legionis convenere, firmato vultu Piso adversus metum, Germanicus ne minari crederetur: et erat, ut rettuli, clementior. sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, adgerere falsa ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari. postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus a Caesare, qualem ira et dissimulatio gignit: responsum a Pi-

bis conditore. cf. Plutarch. in Lucull. p. 513. Id tamen non impedit, quo minus rursum rex Artaxias consalutetur ex nomine urbis, in qua coronam accepit Inutilis igitur videtur esse I. Gronovii coniectura: *ex conditore urbis* vel *ex nomine conditoris urbis*.

Cappadoces. cf. supr. c. 42.

Q. Veranium legatum. Virum, ut videtur, equestrem. Nam Dio 57, 17. ἡ Καππαδ. τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη. Vespasianus Cappadociae propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit consularemque rectorem imposuit pro equite Romano. Suet. Vespas. c. 8. cf. Tac. Hist. 2, 81.

Commagenis. Sic hoc loco etiam cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. cf. not. ad c. 42.

Q. Servaeus. Ed. Beroald. *Servaeius.* Sed infr. 3, 13. eadem habet *Servaeus.*

ad ius praetoris. cf. not. ad 1, 74.

Cap. 57. *Cyrri.* Sic edd. Beroald. Rhenan. Ald. et sequentium pleraeque. *Cyrrhi* edd. Broter. Rupert. secundum graec. Κύῤῥος.

hiberna. Sic ed. Beroald. et recentiores inde a Lipsio omnes. Rhenan. Ald. *hyberna.*

convenere. Sic edd. Rhenan. sqq. *convenire* ed. Beroald.

et filios. Adnotat Lipsius solum M. Pisonem e filiis ibi tum adfuisse, Cnaeum Romae. cf. 3, 16. Quare suspicatur legendum esse *filium.* Ernestio pluralis non urgendus videtur; nam et *leges* dici pro lege una, et *parentes* infr. c. 71. eodem modo se habere. Sic et Ramshorn. Gr. §. 203. p. 659. Sed de isto loco falluntur, quod ibi videbimus. Quod autem attinet ad quaestionem de filiis exortam, censeo absentem quoque aliquem criminationi obnoxium fieri posse.

ira et dissimulatio. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 33. Sermo, quem ira et dissimulatio gignit, talis est, quem dicimus *kalt* h. e. in quo ira non patitur amicitiam, irae tamen dissimulatio cohibet verba atrocia. cf. infr. 13, 44. *Tum ut adsolet in amore et ira* etc.

sone precibus contumacibus, discesseruntque apertis odiis. postque rarus in tribunali Caesaris Piso et, si quando adsideret, atrox ac dissentire manifestus. vox quoque eius audita est in convivio, cum apud regem Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leves Pisoni et ceteris offerrentur: principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari: abiecitque simul coronam et multa in luxum addidit, quae Germanico quanquam acerba tolerabantur tamen.

LVIII. Inter quae ab rege Parthorum Artabano legati venere. miserat amicitiam ac foedus memoraturos, et cupere renovari dextras daturumque honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet: petere interim, ne Vonones in Syria haberetur neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim Ciliciae maritimam urbem amotus est. datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

precibus contumacibus. *Preces* et *contumacia* sunt ἀντίθετα. *Preces* igitur *contumaces* accipe pro precibus non veris, sed ita mixtis, ut verbis emicet contumacia (*trotzige Bitten*). Placet Nostro hoc dicendi genus, quoniam brevitati eo quam maxime consulitur.

apertis odiis. Sic edd. Oberl. sqq. suasoribus Lipsio et I. Fr. Gronovio. — Cod. MS. edd. Ber. sqq. *opertis.*

coronae aureae. De eo luxu inter convivia adhibito cf. Iustin. 18, 2. Capitolin. in Aelio Vero. c. 5. Polyb. 15, 31.

Cap. 58. *Artabano.* cf. supr. c. 3.

ripam E. accederet. cf. infr. 12, 31. *societatem nostram volentes accesserant;* ib. c. 33. *si qua clementer accedi poterant.* cf. Ramsborn. Gr. §. 128.

neu proceres gentium. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Mercerus et Pichena volebant: *ne* vel *ne is* pro *neu.* Vulgatum bene defendit I. Fr. Gronovius. Est genus τοῦ ἓν διὰ δυοῖν. Nam sententia est: *ne V. in S. haberetur; id nempe peti, ne proceres* etc., vel: *id enim si fieret, timendum, ne proceres* etc. Sic supr. 1, 79. *ne Clanis ... transferretur idque ipsis perniciem adferret.* Vid. ibid. not.

datum id. *Precibus* hoc verbum optime convenit; non aeque *contumeliae.* Sed vid. not. ad c. 20.

LIX. M. Silano, L. Norbano coss. Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis. sed cura provinciae praetendebatur: levavitque apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, P. Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam quamvis flagrante adhuc Poenorum bello accepimus. Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset. nam Augustus inter alia dominationis arcana vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam,

Cap. 59. *Aegyptum proficiscitur.* cf. not. supr. ad c. 54. *tramisit Lesbum.* Liv. 45, 10. Iustin. 23, 2. 28, 54.

cognoscendae antiquitatis. Sc. causa. Sic 3, 9. *vitandae suspicionis;* ib. c. 27. *tuendae libertatis et firmandae concordiae;* 13, 11. *iactandi ingenii;* 3, 41. *ostentandae virtutis.* Vellei. 2, 20. *cuius* (auctoritatis) *augendae C. Marium cum filio de exsilio revocavit.* cf. Ramshorn. Gr. §. 169. p. 443. not. 4. Frustra igitur *Günther* in *Athenaeo vol.* II. *fasc.* 2. *p.* 277. emendat *antiquitati* et 3, 27. *libertati.* Persuasit tamen Kiesslingio.

apertis horreis pretia frugum. Nam immensam tum et repentinam famem fuisse testis Sueton. Tib. c. 52.

pedibus intectis. H. e. non calceis more Romano, sed ὑποδήμασι more Graecorum usus. cf. Lips. in excurs. K. *Amictum* de pallio accipe. Sic etiam Tiberius in Rhodo insula agens *texit se deposito patrio habitu ad pallium et crepidas.* Sueton. Tib. c. 13. Id. Calig. c. 52. Dom. c. 4.

P. Scipionis aemulatione. Liv. 25, 19.

cultu habituque. Vid. not. ad 1, 10.

seposuit Aegyptum. Iterum de hac re Tacit. Hist. 1, 11. Dio 51, 17. Sueton. Caes. c. 35. Oct. c. 18. Strabo 17, p. 517. *nisi permissu.* Dio l. l. ἂν μή τινι αὐτὸς ὀνομαστὶ συγχωρήσῃ.

equitibus Romanis inlustribus. Equites Romanos *inlustres* intellige *laticlavios*, diversos ab *angusticlaviis.* Ad illos pertinebant filii senatorum antequam honores capesserent, et quibus censum senatorium possidentibus gradus ad honores patebat. Talis fuit *Iul. Montanus* 13, 25. *senatorii ordinis, sed qui nondum honores capessisset.* Suet. Ner. c. 26. eundem dicit laticlavium. Tales et Mella Crispinusque. An. 16, 17. Equites *angusticlavii* sunt, qui neque e familiis senatoriis oriundi, neque supra censum equestrem possidentes adipisci honores nequibant. Utrosque Dio 55, 2. accurate distinguit: ὑπὸ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἐς τὴν ἵππαδα ἀκριβῶς τελούντων, καὶ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων. Cf. Ryckius ad h. l. qui egregie de ea re disputat Lipsiique opinionem corrigit. Iuvat etiam conferre Dion. 54, 30. 56, 27. 59, 9.

ne fame urgeret Italiam. Nam *Italia externae opis indiga*, infr. 3, 54. et *Aegyptus claustra annonae.* Hist. 3, 8.

quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus insedisset.

LX. Sed Germanicus, nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur orsus oppido a Canopo. Condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam deiectus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent eosque, qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum eius adscitos. mox visit veterum Thebarum magna vesti-

claustraque terrae ac maris. Satis absurde Grotius et Heinsius volebant deleri *que*, ut per adpositionem *claustra terrae ac maris* acciperentur. Nam licet Aegyptus provincia satis apte dici possit *claustra maris*, quoniam, qui tenet, plurimum valet in mare; quis unquam feret eam vocari *claustra terrae?* Cuius enim terrae nisi ipsius Aegypti? Immo *claustra terrae* sunt munimenta in terra Aegypti continenti posita; opponuntur *claustra maris*, munimenta maritima in ora aut insulis collocata. *Provinciam claustraque* intellige provinciam cum claustris, quae in ea sunt terrestria et maritima. *Claustra maris* eodem sensu dicuntur Hist. 3, 43. *claustra Aegypti* Hist. 2, 82. Suet. Vespas. c. 7. cf. Ioseph. Antiq. 4, 37.

Cap. 60. *Nilo subvehebatur.* cf. not. ad c. 8.

a Canopo. cf. Plin. 5, 31. Ammian. 22, 41. Eustath. ad Dion. Perieget. v. 13. Strabo p. 550.

diversum. Plin. ep. 10, 15. *proficiscebar in diversam provinciae partem.* An. 1, 17. *diversas in terras.* Vid. not. ad 3, 2.

deiectus. Cod. MS. *delectus.* Edd. Beroald. Rhen. sqq. *delatus.* Melius edd. recentt. inde ab I. Gronov. *deiectus.* cf. not. ad 4, 25 et 44. et de Orat. c. 26. ubi eadem est confusio. Vid. et. Liv. 23, 34. Vellei. 1, 1. *Agamemnon in Cretam insulam reiectus.* Quod autem desiderant *est* post *deiectus*, perperam faciunt. Requiritur potius *fuit* vel *erat*, quod tamen melius omittitur. Germanice: *als Menelaus — verschlagen war*, non *ward* vel *wurde.*

inde proximum amnis os. Intell. est. Plerique cum Gronovio male ex sqq. huc trahunt *visit*, cuius hic nulla est ratio. Quid enim amnis os Germanico visendum praebuit? Scilicet Germanicus nulla dum viderat amnium ostia. Quare ante amnis os stare navem iussit, ut antiquum illud miraculum spectaret! At simpliciter hic Noster dicit, proximum a Canopo esse amnis os, dicatum Herculi etc. Germanicum per illud intrasse Nilum per se intelligitur, quia ante dictum est: *Nilo subvehebatur.* Frustra etiam Acidalius: *Inde ad prox. a. o.*, quam rationem Ricklefs secutus est in hoc loco vertendo: *Von da in die nächste dem Hercules geweihete Mündung des Flusses, der* etc. Quis? amnis an Hercules? Reposui punctum post *adscitos*, quod est in edd. vett.

Herculi, quem. Cf. Herodot. 2, 42. Mela 3, 6. Arrian. de reb. Al. 2, p. 125. Diodor. 1, 24. Creuzer, *Symbol.* 2, p. 202.

Thebarum magna vestigia. Strabo 17, p. 816. et potissimum qui

gia. et manebant structis molibus litterae Aegyptiae priorem opulentiam complexae: iussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari referebat: habitasse quondam septingenta millia aetate militari: atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya, Aethiopia, Medisque et Persis et Bactriano ac Scythia potitum, quasque terras Syri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum hinc Lycium ad mare imperio tenuisse. legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque et dona templis, ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica quàm nunc vi Parthorum aut potentia Romana iubentur.

LXI. Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum. quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens: disiectasque inter et vix pervias arenas instar

recentiori aetate adiere: Paullus Lucas, Pococke, Savary; Norden in *Drawings of ruins and statues at Thebes*. Novissime egregiam de rebus hisce antiquis notitiam orbi erudito Franco-Galli ex expeditione in Aegyptum facta rettulere.

manebant structis molibus litt. Aeg. Intellige obeliscos cum litteris Aegypt. cf. Diodor. 1, 57. Ammian. 17, 4. De litteris cf Tac. An. 11, 14. Magnam exspectationem de litteris Aegyptiacis explicandis nuper fecit Champollion Franco-Gallus, (*sur la découverte des hiéroglyphes acrologiques.* Paris 1827. cf. Iournal des Savans 1827. p. 252.) postquam inter nostrates Spohnius eximiam operam in hac re posuerat.

referebat. Sc. ex litteris illis. Sacerdotem imposuisse Germanico Oberlinus calumniatus est suo ipsius periculo.

Rhamsen. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Aliis locis vario modo scribitur: *Ramestes* in obelisco, qui Romae exstat. cf. Ammian. 1. 1. *Ramesses*, Euseb. ad an. 68. *Ramises*, Plin. 36, 8. Ῥέμφις, Diodor. l. l. Ῥάμψης, Iosepho; Ῥαμψινίτος, Herodoto. Ceterum quae Tacitus habet de Rhamse, alii praedicant de Sesostri. cf. Herodot. 2, 102. Diodor. 1, 53.

Scythia. Sic edd. Ber. sqq. usque ad Berneggerum, qui edidit *Scytha*, idque dein omnes taciti secuti sunt. Tacitus saltem scripsisset *Scythis*. Mox *Lycium* edd. Lips. sqq. *Lycum* edd. priores. Sed Graecis iidem sunt Λύκιοι.

dona templis. cf. not. ad 1, 3. sub voc. *subsidia dominationi.*

utensilium. Vid. not. ad 1, 70.

Cap. 61. *Memnonis saxea effigies.* De qua inter veteres Plin. 36, 11. Iuvenal. 15, 5. Strabo 17, p. 816.; inter recentiores Pococke *descr. of the East.* 1, p. 102. tab. 26. 27. Iablonski, *de Memnone.* 1753. Veltheim, *von der Memnonssäule*; Dornedden, *Rhamenophis.* 1797.

disiectas . . . arenas. Intell. *Flugsand.* Nam *disiecta* Nostro

montium eductae pyramides certamine et opibus regum: lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula: atque alibi angustiae et profunda altitudo nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.

dicuntur, quae sunt dispersa neque suo loco fixa et constantia. cf. 1, 82. 3, 2. 6, 44.

certamine et opibus. ἓν διὰ δυοῖν et hic invenit Roth. p. 50. interpretaturque: *certamen in opibus ostentandis*.

lacusque effossa humo. Intell. lacus Moeridis, de quo Herodot. 2, 149. ὅτι δὲ χειροποίητός ἐστι καὶ ὀρυκτὴ, αὐτὴ δηλοῖ. Mox: τὸ δὲ ὕδωρ τὸ ἐν τῇ λίμνῃ αὐθιγενὲς μὲν οὐκ ἔστι· ἄνυδρος γὰρ δὴ δεινῶς ἐστὶ ταύτῃ· ἐκ τοῦ Νείλου δὲ κατὰ διώρυχα ἐσῆκται· καὶ ἓξ μὲν μῆνας ἔσω ῥέει ἐς τὴν λίμνην, ἓξ δὲ μῆνας ἔξω ἐς τὸν Νεῖλον αὖτις. Quae exacte respondent Taciti verbis.

alibi angustiae . . . penetrabilis. Muretus et Ryckius haec putant respicere ad Herodot. 2, 28. ubi scriptor refert, Saitam quendam sibi narrasse, Nilum oriri ex duobus montibus Syenen inter et Elephantinen, eiusque ibi πηγάς esse ἀβύσσους, idque expertum esse Psammetichum regem. πολλέων γὰρ αὐτὸν χιλιάδων ὀργυιέων πλεξάμενον κάλον κατεῖναι ταύτῃ καὶ οὐκ ἐξικέσθαι ἐς βυσσόν. Iam fabulam de Nili fontibus ibi quaerendis ipse Herodotus ridet. Pergit vero: ὡς ἐμὲ κατανοέειν δίνας τινὰς ταύτῃ ἐούσας ἰσχυρὰς καὶ παλιῤῥοίην· οἷα δὲ ἐμβαλόντος τοῦ ὕδατος τοῖσι οὔρεσι, μὴ δύνασθαι κατιεμένην καταπειρητηρίην ἐς βυσσὸν ἰέναι. Et tale quid subesse Saitae verbis Taciti locus etiam nobis persuadet. Nam *angustiae* referendae sunt ad montium mentionem apud Herodotum obviam; *profunda altitudo* est τὸ ἄβυσσον; verba *nullis inquirentium spatiis penetrabilis*, interpretamentum suum inveniunt in loco Herodoti: πολλέων γὰρ — ἐς βυσσόν. Et fortasse Noster Herodotum ante oculos habuit, quum haec scriberet. Non satis recte igitur Ernestium contra Muretum et Ryckium disputasse puto. Nam quod Herodotus ipse ridet narrationem viri, id respicit ad fabulam de fontibus Nili ibi quaerendis; addit vero, sibi videri intelligendas esse δίνας τινὰς etc. Nec denique obstat, quod Tacitus pergit: *Exin ventum Eleph.* etc. Nam licet Aegyptius locum illum ponat μεταξὺ Συήνης τε καὶ Ἐλεφαντίνης, nonne Germanicus potuit Nilo subvehi, ut primum illud Nili miraculum aspiceret et deinde nave egressus adiret quas Noster dicit urbes, Elephantinen superiori loco positam, inde inferius sitam Syenen? Ceterum haec Nili miracula sine dubio pertinent ad cataractas minores, apud quas navigationis Aegyptiacae finis. Plin. 5, 9. Heinsius tentabat: *nulli inquirentium satis*; Ruperti: *nullis inquirentium studiis*. Dubitant enim, an *spatia* dici possint de mensura. Sed de quanam alia re *spatia* dicentur nisi de mensura loci aut temporis? Vid. et. *Iahnii Ann.* 1827. II, 1. p. 74. Ad vocem *nullis* intellige *quanquam longissimis*.

penetrabilis. Sic edd. Lips. sqq. *penetrabiles* edd. ante Lips. et Lips. prima.

claustra . . . patescit. Sic *claustra imperii* dixit Cic. pro Flacc. c. 13. *Etruriae claustra* Liv. 9, 32. Ad rubrum mare (de quo vid. not. ad 14, 25.) imperium provexit Traianus. cf. Eutrop. 8, 2.

LXII. Dum ea aestas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quaesivit inliciens Germanos ad discordias, utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis iuvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui et tunc dubiis rebus eius ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomanorum ingreditur corruptisque primoribus ad societatem inrumpit regiam castellumque iuxta situm. veteres illic Suevorum praedae et nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit.

LXIII. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit. transgressus Danubium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae. Nam multis nationibus claris-

Cap. 62. *fracto iam Maroboduo.* cf. supr. c. 44.

utque ... insisteretur. Per syllepsin e praecedente verbo *inliciens* ante *utque* ἐξ ἀναλόγου intelligendum est Drusum dedisse operam, studuisse.

Gotones. Sic edd. Ber. Rhen. sqq. — Ed. Broter. *Gothones.* cf. not. ad Germ. c. 43. Arbitror codici Flor. in hac re plus auctoritatis esse quam libris, unde textus libelli de Germania hauritur.

Marcomanorum. cf. not. ad 2, 46.

corruptisque prim. ad societatem. Sic infr. 3, 49. *ceteris ad dicendum testimonium exterritis;* 4, 10. *corrupta ad scelus Livia;* 16, 8. *ad praecavendum exterritus.* Graecos imitatur. Herodot. 1, 23. ἀπειληθέντα ἐς ἀπορίην παραιτήσασθαι etc. c. 27. κατεστρέφατο ἐς φόρου ἀπαγωγήν. Mox ed. Ald. *quo ius* pro *quos ius.*

augendi pecuniam. Sc. fenore exercendo. Ideo negotiatores in odio habebantur provincialium. cf. 3, 40 et 42.

transtulit. Ernestius, ut verbum corrigatur in *transtulerat,* temere cupit. Verum *transtulit* ἀορίστως positum est. cf. Buttmann. Gr. Gr. §. 124. 3. Anm. 1. Xenoph. Cyrop. 5, 1, 2. ὁ ἀνὴρ αὐτῆς πρὸς τὸν τῶν B. βασιλέα πρεσβεύων ᾤχετο· ἔπεμψε δὲ αὐτὸν ὁ Ἀσσύριος περὶ ξυμμαχίας. Perfectum (Aoristus) efficit, ut locus per se constet, nec pendeat e verbis praecedentibus. cf. Ramshorn. Gr. §. 164. Anm. 6. c.) p. 402. Vid. et. not. ad 1, 53. Contra plusquamperf. est tempus relativum.

Cap. 63. *provinciam praefluit,* cf. not. ad c. 6.

nam multis. Ernestius aut repetendum ἀπὸ κοινοῦ *scripsit*, aut totum illud, cuius ratio reddatur, omissum esse censet. Addit Tacitum fortasse dedisse: *quam multis.* Broterius mavult: *tam multis.* Verum solent sic scriptores elliptice uti particulis *nam* et *enim.* cf. infr.

simum quondam regem ad se vocantibus Romanam amicitiam praetulisse. Responsum a Caesare, tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. ceterum apud senatum disseruit non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Exstat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium et quam propinquus Italiae hostis suaque in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, ne si quando insolescerent

15, 1. *non enim ignavia* etc. 11, 17. *non enim inrupisse* etc. 16, 18. *nam illi* etc. Agric. c. 45. *nam multos* etc. Graeci eodem modo ponunt γάρ. cf. Buttmann. Gr. Gr. §. 149. p. 432. Hoc loco *nam* aperte respicit ad *memoriam prioris fortunae* ante dictam.

rebus eius. Pichena e cod. MS. repetiit *eius*, quum antea ederetur *suis.*

extulit. H. e. prolocutus est, exposuit. Nostrum *ausführen, auseinandersetzen.* cf. infr. 6, 9. *qui efferret, quae omnes animo agitabant.* Paulo ante ed. Beroald. vitiose habet *et* pro *ei.*

ne si quando insolescerent. Sic cod. MS. edd. Beroald. Ald. Rhen. Hic tamen in castigatt. censet aut scribendum *ne quando* vel *ne aliquando;* aut omittendum *ne*, ut legas, *si quando.* Hoc praetulere posteriores editores Lips. Grut. sqq. Pichena suspicabatur: *ac si quando.* Sed genuina sunt codicis MSti verba, quae reposui. Particula *si* elliptice ponitur, ut apud Graecos εἴπερ vel εἴπερ ἄρα. Platon. Euthyd. p. 296. B. οὔκουν ἡμᾶς γε, ἀλλ' εἴπερ σέ. cf. Buttm. Gr. Gr. §. 151. IV. 2. (ed. 1829.). Sic Noster: *ne si quando insolescerent S.* (accuratiore distinctione legeres: *ne, si quando, insolescerent Suevi*) h. e. ne insolescerent Suevi, si quando vellent vel simile quid. Germanice: *damit nicht etwa einmal* etc. Nam Tacitus non erat dicturus Suevos ob Marobodui absentiam insolescendi consilium revera cepisse (hoc esset: *ne insolescerent*); sed hoc sibi vult, fieri potuisse, ut insolescere inciperent, idque Tiberium praecavisse. Similis particulae *si* usus est infr. 13, 57. *non si fluvialibus aut quo alio humore.* Vid. ib. not. Eodem modo explicandum est frequentissimum illud *nisi si.* cf. 15, 53. *nisi si cupido dominandi cunctis adfectibus flagrantior est*, h. e. nisi, si tamen Antonia inani spei nomen et periculum commodavit etc., cupido d. c. a. f. est; h. e. nisi forte etc. An. 6, 25. *nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis*, h. e. nisi, si forte non voluntate exstincta est, adsimulatus est finis. Germ. c. 2. *nisi si patria sit.* Agric. c. 32. *nisi si Gallos et Germanos* etc. Platon. Symp. p. 205. E. εἰ μή εἴ τις τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκεῖον καλεῖ. Thucyd. 1, 17. ἐπράχθη δὲ ἀπ' αὐτῶν οὐδὲν ἔργον ἀξιόλογον, εἰ μὴ εἴ τι πρὸς περιοίκους. Quibus verbis auctores non adfirmant aliquid revera esse; sed an sit, in dubio relinquunt; id tantum dicunt, aliquid esse posse. Ubi indicatur aliquid revera esse, *si* post *nisi* constanter omittitur. cf. An. 1, 2. *nisi Caesar;* ib. c. 3. *nisi adversus Germanos;* ib. c. 7. *nisi cum in senatu loqueretur.*

Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur. sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdae casus neque aliud perfugium. pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibillio duce: receptusque Forum Iulium Narbonensis Galliae coloniam mittitur. Barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

LXIV. Simul nuntiato regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum, decrevere patres, ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. structi et arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Caesarum: laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporim quoque Thraciae regem astu adgreditur. Omnem eam nationem Rhoemetalces tenuerat: quo defuncto

quasi rediturus. Cod. MS. edd. Beroald. et Alciat. *reditus*, puncto posito post *habitus*, ut locus: *Et M. q. R. habitus* per se constet intellecto verbo substantivo. Melius tamen edd. Rhenan. Ald. sqq. *rediturus*, virgula posita pro puncto post *habitus*. Multis aliis locis ita syllabas medias in illo codice omitti observatum est ad 1, 20. et mox plane eadem est structura in verbis: *barbari — locantur.* Iac. Gronovius malebat: *quasi reditui.*

Hermundurorum. cf. Germ. c. 41.

Vibillio. Ex Ryckii sententia dedi pro *Vibilio* propter loc. 12, 29. Nam duplex in hoc nomine scribendi ratio statui apud eundem scriptorem nequit. Alioquin nil interest. Nemo verum Hermunduri illius vocabulum inde extricabit. Pro *duce* in ed. Beroald. est *daice*, quod vitium emendavit Rhenanus.

Cap. 64. *Artaxiam.* Sic edd. Rhen. sqq. *Artaxian* cod. MS. ed. Ber.

structi et arcus. Qui aevum non tulere.

circum latera templi Martis Ultoris. Quod Augustus bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat exstruxitque in foro sui nominis. cf. Sueton. Oct. c. 29. et in primis Ovid. Fast. 6, 545 sqq. Ex quo loco cognosces, cur in eo potissimum loco structi sint arcus cum effigie Caesarum (h. e. Germanici et Drusi).

Rhescuporim. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Alias mire variant veterum librorum MSS. in hoc nomine scribendo. Dio 54, 34. 55, 39. Ῥασκύποριν. Vellei. 2, 129. *Rhascupolin.* Suet. Tib. c. 37. ibi cod. MS. Vatic. *Thrascypolin.* Nummi Ῥασκουποϱις, Ῥησκουποϱις et Ῥαισκουποϱις. De historia consulendus Dio 54, 20. 34. 55, 30.

Rhoemetalces. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. et sic est in nummis apud Spanhem. 1, p. 125. et apud Tristanum. Alibi nunc *Rhymetalces*, nunc *Rhometalces.*

Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permisit. in ea divisione arva et urbes et vicina Graecis Cotyi: quod incultum, ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit: ipsorumque regum ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox, avidum et societatis impatiens erat. Sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data et resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. enimvero audita mutatione principis immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello.

LXV. Nihil aeque Tiberium anxium habebat, quam ne composita turbarentur. deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, ne armis disceptarent: statimque a Cotye dimissa sunt, quae paraverat auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat, eundem in locum coiretur: posse de controversiis colloquio transigi. nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus, cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adiicit: tractaque in multam noctem laetitia per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn et, postquam dolum intellexerat, sacra regni, eiusdem fa-

fratri eius. cf. Dio 55, 30.

filio Cotyi. Ad quem Ovidius ex Ponto 2, 9.

ipsorumque regum ingenia, illi ... huic ... Wopkens. tentat: *illud mite ... hoc atrox;* Ruperti: *illius mite ... huius* etc. Sed *ingenia* est nominativus absolutus. cf. Ramshorn. Gr. §. 206. p. 708. 4.)

sed primo. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Pichena in editionibus sui temporis (Lips.) invenerat *et primo*, restituitque veterem scripturam. Mox pro *resistenti vim* ed. Ber. dat *resistentium*, quod Victorius in suo exemplari correxit in *resistenti vim*, uti est in edd. Rhen. Ald. sqq.

causas bello. Simile plane adpositionis exemplum vidimus 1, 27. *causam discordiae.* Vid. ib. not.

Cap. 65. *ut dictitabat.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. *ut dictabat* edd. Lips. Veterem scripturam restituere Pich. Grut. sqq. cf. not. ad 1, 14.

sacra regni. Plane ut supr. 1, 42. *sacra legationis* et infr. 13, 17. 15, 52. *sacra mensae.* Haec enim religione seu caerimonia deorum erant inviolabilia. cf. Sueton. Iul. c. 6. *sanctitas regum.* Servius ad Virg. Georg. 4, 211. e Sallustio: *adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.* Cic. Manil. c. 9.

miliae deos et hospitalis mensas obtestantem catenis onerat. Thraciaque omni potitus scripsit ad Tiberium structas sibi insidias, praeventum insidiatorem: simul bellum adversus Bastarnas Scythasque praetendens novis peditum et equitum copiis sese firmabat. Molliter rescriptum, si fraus abesset, posse eum innocentiae fidere: ceterum neque se neque senatum nisi cognita causa ius et iniuriam discreturos. proinde tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis.

LXVI. Eas litteras Latinius Pandus pro praetore Moesiae cum militibus, quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus maluit patrati quam incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet mortemque sponte sumptam ementitur. Nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum veterem stipendiis et arta cum rege amicitia eoque accommodatiorem ad fallendum ob id maxime Moesiae praefecit.

Bastarnas. *Basternas* edd. Ber. (e cod. MS. ut videtur) Bernegg. sqq. *Bastarnas* edd. Rhen. Ald. Lips. Pich. Gruter. et nuper Kiesslingius; et sic Dio et inscr. apud Piranesi, *Ant. Rom.* tab. XI. Paulo ante ed. Ald. *hospitaleis* uti solet.

transferret. Sc. in alium, intell. Cotyn, quem accusaverat struxisse insidias. Sic Sueton. Vesp. c. 23. *ut invidiam aliqua cavillatione dilueret transferretque ad sales.*

Cap. 66. *pro praetore Moesiae.* Sic ed. Beroald. e cod. MS. cf. not. ad c. 52. Edd. Rhenan. Ald. sqq. *propraetor.* Mox ed. Ald. *queis* pro *quis.*

cunctatus. Sic edd. Ber. Ald. sqq. *conctatus* ed. Rhen. frequenti in vett. libris scriptura. *contatus* edd. Lips. Grut. uti solent. Veterem scripturam Pichena restituit.

veterem stipendiis. Ernestius recte repudiavit emendationem Pichenae, Freinshemii et Ryckii, qui volebant *veterem stipendii.* Nam duo sunt, quae huic emendationi obstent. Primum, quod Ernestius iam monuit, debuisset scribi non *stipendii,* sed *stipendiorum.* Deinde quod maius est, *vetus* cum genitivo induit significatum figuratum, ut *vetus* alicuius rei non simpliciter indicet eum, qui diu eam rem tractavit, sed qui diuturna tractatione peritiam eius rei nactus est. cf. infr. 6, 12. *scientiae caerimoniarumque vetus.* ibid. c. 44. *vetus regnandi.* Supra 1, 20. aliter se habet res, ut ibi vidimus. *Vetus stipendiis* non est diuturna militia stipendiorum peritus, sed simpliciter, qui stipendia diu meruit.

arta c. r. amicitia. Vett. edd. hic et c. 19 et 21. *arcta.* Posteriores inde a Lips. *arta,* quam scripturam alibi optimi libri exhibent. cf. Drakenb. ad Sil. It. 7, 280. ad Liv. 2, 34. Cort. ad Sall. Iug. 52.

LXVII. Flaccus in Thraciam transgressus per ingentia promissa quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit, ut praesidia Romana intraret. circumdata hinc regi specie honoris valida manus: tribunique et centuriones monendo, suadendo et, quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur: iisque nondum adultis Trebellienus Rufus praetura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo maiores Marcum Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus atque illic fugam tentans an ficto crimine interficitur.

LXVIII. Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. specie venandi omissis maritimis locis avia saltuum petiit:

Cap. 67. *praesidia Romana.* Duplici ratione dicuntur, ut sint aut milites praesidii causa in aliquo loco positi, aut ipsa loca, quibus copiae insident (*Militärplätze*), quod hic obtinet.

abscedebatur. Hoc Pichena e cod. MS. restituit. Beroald. Rhen. sqq. ediderant *abscedebat.*

Trebellienus. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. Lips. 1574. *Trebellenus.* Sed infr. 3, 38. et 6, 39. iidem libri habent *Trebellienus*, uti debebant, idque huic loco reddidere Lips. sqq.

M. Lepidum .. tutorem. Valer. Max. 6, 6, 1. Iustin. 30, 3. Res etiam nummo clara. cf. Broterius ad h. l.

tentans. Sic edd. Rhenan. sqq. *temptans* ed. Beroald.

Cap. 68. *memoravi.* Supr. c. 58. Sueton. Tib. c. 49.

effugere ad Arm., inde in Alb. Wopkens. frustra tentat *inde Albanos*, ut valeat adhuc *ad.* Immo *ad Arm.* h. e. *ad populum Arm.*, contra *in Alb.* h. e. in regionem s. terram Alb.

specie venandi. Edd. vett. interpungunt post *venandi* atque haec trahunt ad praecedentia. Acidalio suadente posteriores editores inde a Bernegg. bene transtulerunt punctum. I. Fr. Gronovius male impugnat verbum *est* post *conatus*, ut totus locus usque ad *petiit* in unam coeat periodum, qua nil languidius atque intolerabilius. Cave ne Taciti brevitatis studium perverse interpreteris et in detrimentum dignitatis.

mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes adcolae ruperant audita regis fuga: neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone praefecto equitum vincitur. mox Remmius evocatus priori custodiae regis adpositus quasi per iram gladio eum transigit: unde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam.

LXIX. At Germanicus Aegypto remeans cuncta, quae apud legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit. hinc graves in Pisonem contumeliae: nec minus acerba, quae ab illo in Caesarem tentabantur. Dein Piso abire Syria statuit. mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. Tum Seleuciam digreditur

a Vibio Frontone. Bimardi opinio (in Thes. Inscr. Murat. p. 114.), qua ex inscriptione ibi prolata (*Liui Frontoni Praef. Equit.*) vult legere: *a Iulio Frontone*, vel propterea in eam mutationem evalescere nequit, quod ne ipsa quidem inscriptio ab initio satis expressa videtur esse. *Praefectus equitum* quis sit, docet, nisi fallor, Sueton. Oct. c. 38. *Militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuit singulis alis.*

Remmius evocatus.. Edd. Ber. Rhenan. sqq. maiuscula littera dant *Evocatus*, tanquam sit cognomen viri. Rectius monente Freinshemio Ryckius rescripsit *evocatus.* cf. Hist. 1, 46. Caes. B. G. 3, 91. Suet. Oct. c. 56. Vespas. c. 1. Dio 45, 12. et 55, 24. qui de evocatis scribit: *καὶ γὰρ τούτοις ἤρξατο μὲν νομίζειν ἀφ' οὗ τοὺς συστρατευσαμένους τῷ πατρὶ πρὸς τὰ ὅπλα αὖθις ἐπὶ τὸν Ἀντώνιον ἀνεκάλεσεν, ἐτήρησε δέ· καὶ εἰσὶ καὶ νῦν σύστημα ἴδιον, ῥάβδους φέροντες, ὥσπερ οἱ ἑκατόνταρχοι.*

unde maior .... inlatam. Suet. Tib. c. 49. paulo aliter haec narrat.

Cap. 69. *Dein.* Alii venditant pro *denique;* alii praeeunte Acidalio *denique* scribendum esse coniiciunt; Broterius *inde.* Frustra. Nam *dein* vel *deinde* Latini dicunt pro voce Graeca *ἐκ τούτου*, quae non solum de tempore, sed etiam de causa dicitur, ut nostrum *darauf.* cf. Xenoph. Cyr. 1, 6, 10. 33. Ibid. 3, 1, 13. Sic Noster infr. 12, 27. et 13, 21. *admotas*, verbum sacrificale. Suet. Cal. c. 32. Val. M. 1, 1, 4.

digreditur. Edd. Ber. et Rhen. seqq. *degreditur.* Edd. sequentis aetatis *digreditur*, auctore Lipsio. Ernestio *degreditur* rescribendum videtur. Fallitur. Nam *degredi* valet de eo, qui ex altiori loco se confert in inferiorem. cf. Rhenan. ad Hist. 1, 61. Pichena ad An. 4, 49. Tum de eo, qui de aliquo loco cedit (*abtreten, abgehen*). cf. not. ad 11, 21. *Digredi* abitum significat, quo quis in alium locum se confert (*fortgehen, sich entfernen*). cf. supr. c. 30. et 1, 27. infr. 6, 1. et 50. 4, 74. Vid. not. ad c. 44. sub v. *discessu.*

opperiens aegritudinem, quae rursum Germanico acciderat. saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti: et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabo obliti aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari. simul missi a Pisone incusabantur ut valetudinis adversa rimantes.

LXX. Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta: Si limen obsideretur, si effundendus

opperiens aegritudinem. Sic Agr. c. 18. *recentis legati animum opperiri.* An. 11, 12. *opperiri futura.*

solo ac parietibus. Scil. ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐν ᾗ ᾤκει. Dio 57, 18. Mureti emendationem *parietinis* refutavit Oberlinus, qui provocat ad Hieron. in Ezech. c. 40. et Boldetti *sopra i cimiteri de' i* 55. *martiri.* Rom. 1720, unde discimus intra parietes saepe recondita esse cadavera. Hic vero in perniciem Germanici reliquiae illae humanorum corporum reconditae in solo et parietibus aedium credebantur.

carmina et devotiones. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 25. Ad *carmina* et *devotiones* intellige *insculpta* ex sequenti *insculptum.* Dio l. l. καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀράς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες. cf. supr. c. 30. Ovid. Amor. 3, 7, 29. Heroid. 6, 91. Plin. 28, 4. Senec. de benef. 6, 35.

semusti cineres ac tabo obliti. Pro *tabe*, quod hucusque locum obtinuit iam pridem Lipsius maluerat *tabo.* Ryckius tamen et Ernestius *tabem* etiam dici pro *tabo* contendunt laudantque Suet. Vit. c. 10. Burmann. ad Quintil. declamat. 6, 3. Heins. ad Sil. 3, 342. At quidquid faciant alii, Tacitus accurate utrumque vocabulum distinguit. *Tabes* est morbus. cf. infr. 12, 50. *Dein atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes.* Hist. 4, 81. *quidam oculorum tabe notus.* An. 11, 6. *ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat.* Contra Hist. 3, 35. *noxia tabo humus*, ubi unus Agr. cod. habet *tabe.* Ibid. 2, 70. *infecta tabo humus* h. e. locus sanie et putredine cadaverum infectus. Idem vocabulorum discrimen Virgilio observatum video. cf. Aen. 6, 442. *tabe crudeli quos peredit amor.* Contra ibid. 3, 29. *terram tabo maculant*, et sic aliis locis. Accedit Ovidii aliorumque usus. Exempla autem, quae *tabem* pro *tabo* dare dicuntur, si bene consideras, nihil probant. Nam apud Sueton. l. l. *cadaverum tabes* indicat statum corruptionis, quo erant cadavera; non saniem inde defluentem. Nostro loco verbum *obliti* necessario postulat *tabo.*

semusti cineres. Non *halb verbrannte Asche*, quam interpretationem nonnulli dederunt; sed *halbverbranntes Gebein*, ut rectius alii. Intellige membra cadaverum ex igne rapta, antequam comburerentur; hinc tabo oblita. Sed non iuvat altius penetrare.

rimantes. ἐξετάζοντες, ἰχνεύοντες. cf. Psalm. 41, 7. וְאִם־בָּא לִרְאוֹת שָׁוְא יְדַבֵּר לִבּוֹ יִקְבָּץ־אָוֶן לוֹ יֵצֵא לַחוּץ יְדַבֵּר.

Cap. 70. *haud minus ira quam per metum.* Ita supr. 1, 11. *incertum metu an per invidiam.* Ibid. c. 56. *astu magis quam per for-*

spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi? quid infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat. sed non usque eo defectum Germanicum neque praemia caedis apud interfectorem mansura. Componit epistolas, quis amicitiam ei renuntiabat. Addunt plerique iussum provincia decedere. nec Piso moratus ultra navis solvit: moderaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

LXXI. Caesar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: „Si fato concederem, iustus „mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae, intra iuventam praematuro „exitu raperent. nunc scelere Pisonis et Plancinae in„terceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo. „referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilacera„tus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam „pessima morte finierim. Si quos spes meae, si quos „propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viven-

midinem. 6, 45. *contemptu ambitionis an per senectutem.* Usitatissima Tacito structurae variatio ad exemplum Thucyd. 1, 91. καὶ ἰδίᾳ τοῖς πολίταις καὶ ἐς τοὺς πάντας ξυμμάχους ὠφελιμώτερον ἔσεσθαι. Nihil igitur inutilius est quam Heinsii coniectura, qua emendat *irae* intellecto *fuerunt.*

festinare et urgere. Synonyma. cf. Roth. p. 17.

quis. Ed. Ald. *queis.* Pro *epistolas* edd. vett. *epistulas.*

renuntiabat. Ita arcebat a domo sua Pisonem eiusque speculatores sibi infensos et molestos. cf. 6, 29. 3, 24. et Lips. in exc. L.

quo propius regrederetur. Sic edd. Lips. Grut. Pich. sqq. *qui propius regrederetur* edd. Ber. Rhen. Ald., quod aeque latinum est. Ad *propius* cf. 1, 35. *propius incedentes.* Agric. c. 16. *et propius ex legato timor agitabat.* An. 4, 26. 13, 57. Frustra igitur Lipsius coniecit *properius.* Simili modo 4, 5. *haud procul accirentur.*

Cap. 71. *parentibus.* Ne accipe de uno parente, uti vult Ernestius et Ramshorn. Gr. §. 103. p. 659., sed de Antonia matre adhuc superstite, de Tiberio patre (mox: *referatis patri*), tum et de Livia avia. Nam *parentes* latiori sensu non solum patrem et matrem, sed etiam avum aviamque significant, immo cognatos. cf. Curt. 6, 10, 30. Capitol. in M. Anton. c. 5. Hinc Tac. 3, 12. *nos parentes.*

ac fratri. Sc. Druso; nam Claudius tum nullius erat momenti, nec poterat ulcisci.

„tem movebat, inlacrimabunt quondam florentem et „tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. „Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi „leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est pro„sequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit me„minisse, quae mandaverit exsequi. flebunt Germani„cum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam „fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano „divi Augusti neptem eandemque coniugem meam: nu„merate sex liberos. misericordia cum accusantibus „erit: fingentibusque scelesta mandata aut non credent „homines aut non ignoscent." Iuravere amici dextram morientis contingentes spiritum ante quam ultionem amissuros.

LXXII. Tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores inritaret. Haec palam et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post exstinguitur ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum.

movebat. Saepius Noster, neglecta praecedentium consideratione, verbum ea forma exhibet, qua requiritur ad subiectum proximum. cf. c. 69. *insculptum* ibique not. infr. 4, 49. *peremerat*, et not. ad 1, 10. sub verbo *abstulerat. Movere* hic est vocabulum *μέσον*. Nam propinquus sanguis movet caritatem, spes movet studium erga aliquem, invidia vero odium. Sed confidit homines quocunque erga se viventem adfectu inlacrimaturos esse etc.

tot bellorum superstitem. Sic Agr. c. 3. *non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus.* Cic. Q. Fr. 1, 3. *Utinam te, frater, non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem.* Ramshorn. Gr. §. 107. 3.) p. 177 sq.

questu. Ed. Bekkeri vitiose *quaestu.*

scelesta mandata. cf. supr. c. 43.

dextram morientis contingentes. Apte Lipsius adfert locum Xenoph. Cyr. 8, 7, 26.

Cap. 72. *exueret ferociam.* cf. 1, 33. Sic Agr. c. 9. *tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat.*

submitteret. Sic edd. Lips. Pich. sqq. *summitteret* edd. ante Lips. et Lips. prima.

per quae ... ex Tiberio. Per quae sc. quae secreto cum uxore communicavit. *ostendere* h. e. ante oculos ponere. *credebatur*, sc. ab amicis, qui discedere iussi interim rimabantur ea secreta. *metum* h. e. pericula a Tiberio instantia. cf. not. ad 1, 40.

Indoluere exterae nationes regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat.

LXXIII. Funus sine imaginibus et pompa per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit. et erant qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adaequarent. nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis, externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus proeliatorem, etiam si temeritas abfuerit praepeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. quod si solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. Corpus antequam cremaretur nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur,

exterae nationes regesque. H. e. ad imperium Rom. non pertinentes, ut Parthi.

Cap. 73. *ac memoriam.* Sic cod. MS. test. I. Gronovio. *et memoriam* edd. Ber. Rhen. sqq.

et erant .... adaequarent. Ursinus desiderat *ob* ante *formam*, cum quo consentit Ruperti. Ernestius per σύλληψιν haec ita dici censet, ut intelligas: *qui formam, aetatem, genus mortis M. Alexandri formae, aetati et fatis G. adaequarent;* verba autem, *ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit*, indicent, cur tanto proniores homines in hanc comparationem fuerint. Tum vero hinc alienum esse *etiam* bene observavit Ruperti. Rectius haud dubie *formam, aetatem, genus mortis* pro accusativis graecis accipies, intellecto *Germanicum* ad verbum *adaequarent.* Atque hanc esse veram loci rationem satis indicat vocula *ob*, quae ante *propinquitatem locorum* interponitur, quia haec loci pars non poterat continuari incepta constructione. Namque uti bene se habet locutio: *aetatem, formam, genus mortis adaequare aliquem alicui*, ita nemo tolerabit: *propinquitatem locorum, in quibus interiit, adaequare aliquem alicui.* Graece etiam hic interponendum erat διά. Iam formam, qua quis utatur, aetatem, qua moriatur, uti genus mortis fato dari satis recte dicimus. Ceterum Germanici laudes invenies etiam apud Dion. 57, 18.

sepulturae. Apud antiquos eodem in loco, ubi corpus cremabatur, et cineres condi solebant, cremabanturque corpora sede destinata. cf. 1, 8. Hinc voce *sepul-*

praetuleritne veneficii signa, parum constitit. nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretantur.

LXXIV. Consultatum inde inter legatos, quique alii senatorum aderant, quisnam Syriae praeficeretur: et ceteris modice nisis inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum: dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit. Isque infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percaram nomine Martinam in urbem misit postulantibus Vitellio ac Veranio ceterisque, qui crimina et accusationem tanquam adversus receptos iam reos instruebant.

LXXV. At Agrippina quanquam defessa luctu et corpore aegro omnium tamen, quae ultionem morarentur, intolerans ascendit classem cum cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio, inter venerantis gratantisque aspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia. Pisonem interim

turae comprehendunt et combustionem et cinerum collocationem. Germanici tamen cineres Romae sunt conditi. cf. 3, 1 et 4. Quare sepulturae vocabulum hic tantum de corpore cremando accipiendum est. Neque tamen defuit sepulcrum ibidem exstructum. cf. infr. c. 83. Similiter 13, 17. *in campo tamen Martis sepultus* (h. e. combustus) *est.*

praetuleritne veneficii signa. Uberius de hac re dicit Sueton. Cal. c. 1. Plin. 11, 71.

diversi interpretantur. Sic cod. MS. Editi omnes *interpretabantur.* Sed Noster haec refert e scriptoribus illius aetatis, qui eam rem tetigere. Kiesslingius etiam restituit *interpretantur.*

Cap. 74. *Syriae.* Edd. Ber. Rhen. sqq. *Suriae.* Sic et c. 69. 77 et 78. Sed cum c. 43. 55. 58. et alibi sit *Syria*, recentt. edd. constantiae causa et hic scribunt *Syriae.*

tanquam adversus receptos iam reos instruebant. Causae instrui, rei recipi proprie dicuntur, ut docuerunt I. Fr. Gronovius et Ernestius ad h. l. Paullus Leg. 1. D. de fide instr. Ulpian. Leg. 1. D. de leg. Corn. de falsis. Cic. pro Cluent. c. 67. ad Div. 8, 8. Plin. epp. 10, 85.

Cap. 75. *sinu ferret.* cf. infr. 3, 1.

infelici fecunditate. Ernestius dubitat, an non sit scribendum: *in felici*; Crollius coniicit: *infelix fecunditate.* Nescio, quid sibi velint. *Infelix* non solum dicitur, qui adversae fortunae obnoxius, sed etiam res, qua cui infortunium paratur. cf. 16, 31. *infelicibus precibus.* Virg. Aen. 2, 245. *monstrum*

apud Coum insulam nuntius adsequitur excessisse Germanicum. quo intemperanter accepto caedit victimas, adit templa, neque ipse gaudium moderans et magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit.

LXXVI. Adfluebant centuriones monebantque prompta illi legionum studia: repeteret provinciam non iure ablatam et vacuam. Igitur quid agendum consultanti M. Piso filius properandum in urbem censebat: nihil adhuc inexpiabile admissum neque suspiciones imbecillas aut inania famae pertimescenda. discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non poena: et ademptione provinciae satisfactum inimicis. quod si regrederetur obsistente Sentio, civile bellum incipi: nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria et penitus infixus in Caesares amor praevaleret.

LXXVII. Contra Domitius Celer ex intima eius amicitia disseruit: utendum eventu. Pisonem, non Sentium, Syriae praepositum: huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas. si quid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum, qui legati auctorita-

infelix, de equo Troiano. Noster An. 1, 61. *infelici dextra.* Liv. 1, 26. *arbor infelix.* Iam florente Germanico felix quidem habebatur Agrippinae fecunditas; illo mortuo pericula multiplicabantur ex ista fecunditate, et propterea recte dici poterat *infelix fecunditas.*

quo intemperanter accepto. Ernestius hic ταυτολογίας suspicionem movet, quia mox sequitur: *neque ipse gaudium moderans.* Declinat tamen ita, ut illud *intemperanter accepto* commune esse Pisoni et uxori, alterum Pisoni proprium dicat. Quae interpretatio nihili est. *Intemperanter accepto* intellige de gaudio ad nuntium acceptum statim erumpente; verba *neque ipse gaudium moderans* eo pertinent, quod deinde Piso caedendis victimis, adeundis templis palam gaudii intemperantiam praetulit.

luctum ... laeto cultu. Quis feminae lugentis, quis laetus cultus, Lipsius docuit in Exc. M.

CAP. 76. *prompta illi.* Ed. Oberl. vitiose *illa;* retinuere tamen seqq. editorum nonnulli.

legionum studia. cf. c. 55.

consultanti ... censebat. Structura a Graecis orta et Nostro frequens. Nempe casu dativo indicatur is, cui vel ad quem sententiam M. Piso dixit. Miror interpretes hic eandem rem silentio praeteriisse, quae infr. 11, 3. plurimos offendit. Vid. ib. not. et exempla.

CAP. 77. *quem iustius a. o., qui legati* etc. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Lips. Gruter. Recte. Ad comparativum *iustius*

tem et propria mandata acceperit? Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo senescant. plerumque innocentes recenti invidiae impares. at si teneat exercitum, augeat vires, multa, quae provideri non possint, fortuito in melius casura. „An festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? Est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto: et periisse Germanicum nulli iactantius maerent, quam qui maxime laetantur."

LXXVIII. Haud magna mole Piso promptus ferocibus in sententiam trahitur: missisque ad Tiberium epistolis incusat Germanicum luxus et superbiae: seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide, qua tenuerit, repetivisse. Simul Domitium impositum triremi vitare litorum oram praeterque insulas lato mari pergere in Syriam iubet. concur-

intelligendum est *Pisone*. Nam *Pisonem* dixit, non Sentium Syriae praepositum; *huic* fasces et ius praetoris, *huic* legiones datas (sc. neque illi). Tum pergit: *quem iustius arma oppositurum*, sc. quam *hic*, *Piso*, qui legati auct. etc. *Quem* est interrogativum. Ita omnia bene se habent. Sed quum priorum editorum aliquis ante *qui* intrusisset *quam*, Pichena dein cod. MS. denuo inspecto textus mendum deprehendit. Utinam ipse emendatione abstinuisset. Perperam posuit *quam* pro *quem*. Unanimi consensu ad hunc diem Pichenae emendationem edidere.

propria mandata. Ernestius explicat: „quibus plane definitum esset, quid ageret, ut provinciam a vi hostili defenderet." Oberlinus intelligit „mandata specialia." Neutrum satisfacit. *Mandata* haud dubie intelligenda sunt Tiberii, quis Pisonem Syriae praeficeret. Igitur *propria mandata* accepisse dicebatur, quia ab ipso Tiberio acceperat. Opponitur Sentio, cui non Tiberii auctoritas, sed legatorum consultatio Syriam provinciam mandaverat. cf. infr. c. 80. *Caesarisque se legatum testabatur provincia, quam is dedisset, arceri.* Dial. de Or. c. 33. extr. *exercitationes, quae propriae videntur circa oratoriam*, opponuntur artibus, quae ad excolendum omnino animum pertinent.

an festinamus. Praesens pro futuro. cf. Ramshorn. Gr. §. 164. Anm. 5. p. 401.

Cap 78. *epistolis.* Edd. Ber. Rhen. Ald. *epistulis* et c. 70. *epistulas*. Edd. Lips. et deinceps secutae *epistolis* et *epistolas*. Vid. not. ad 1, 30.

lato mari. *Latum mare* opponitur maris angustiis inter insulas, quas Domitius vitare iubebatur. Quare nil sani videtur esse in Lipsii emendatione *alto* legentis pro *lato*. Horat. ep. 1, 2, 20. alio sensu *latum aequor* dixit.

rentes desertores per manipulos componit, armat lixas traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium intercipit: regulis Cilicum, ut se auxiliis iuvarent, scribit, haud ignavo ad ministeria belli iuvene Pisone, quanquam suscipiendum bellum abnuisset.

LXXIX. Igitur oram Lyciae ac Pamphyliae praelegentes obviis navibus, quae Agrippinam vehebant, utrimque infensi arma primo expediere: dein mutua formidine non ultra iurgium processum est: Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. Ille eludens respondit adfuturum, ubi praetor, qui de veneficiis quaereret, reo atque accusatoribus diem praedixisset. Interim Domitius Laodiceam urbem Syriae adpulsus, cum hiberna sextae legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato praevenitur. Id Sentius Pisoni per litteras aperit monetque, ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentet: quosque Germanici memores aut inimicis eius adversos cognoverat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens et rem publicam armis peti: ducitque validam manum et proelio paratam.

LXXX. Nec Piso, quanquam coepta secus cadebant, omisit tutissima e praesentibus, sed castellum Ciliciae munitum admodum, cui nomen Celenderis, oc-

Cap. 79. *praedixisset*, Muretus et Acidalius malebant *prodixisset*. Cic. pro dom. c. 17. *deinde ne nisi prodicta die quis accusetur*. Liv. 8, 17. *in carcerem est coniectus eique tribunus diem prodixit*. Id. 6, 20. *prodicta die*. Sed Noster supr. c. 6. *Insula Batavorum in quam convenirent praedicta*. 13, 36. *ne priores pugnam auderent, praedicit*. Sueton. Claud. c. 8. *ad praedictam coenae horam*.

magnitudinem imperatoris. Freinshem. et Wopkens. recte referunt ad Germanicum, qui et infr. 8, 12 et 14. eadem appellatione significatur. Docent id etiam verba praecedentia: *quosque Germanici memores*. Contra I. Fr. Gronovius et Ryckius de Tiberio cogitant. *Magnitudinem* interpretantur maiestatem, ut 3, 56. Nihil tamen ab hoc loco magis alienum esse video quam Tiberii magnitudinem.

Cap. 80. *Celenderis*. Cod. MS. test. Pichena et edd. post Pichen. habent *Celendris*. Ita et Iosephus 17, 5. Contra Strabo 14, p. 670. *Celenderis*, cum quo consentit nummus

cupat. Nam admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis auxilia Cilicum, quae reguli miserant, in numerum legionis composuerat. Caesarisque se legatum testabatur provincia, quam is dedisset, arceri non a legionibus (earum quippe accitu venire), sed a Sentio privatum odium falsis criminibus tegente. consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum, si iure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent. Tum pro munimentis castelli manipulos explicat colle arduo et derupto: nam cetera mari cinguntur. Contra veterani ordinibus ac subsidiis instructi. hinc militum, inde locorum asperitas. sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia ad subitum usum properata. ut venere in manus, non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur. vertunt terga Cilices seque castello claudunt.

LXXXI. Interim Piso classem haud procul opperientem adpugnare frustra tentavit: regressusque et pro muris modo semet adflictando, modo singulos nomine

apud Pellerin. in Asiae tab. 73. Hinc Oberlin. restituit. Res levissimi momenti.

quam is. Ed. Beroald. *quamvis.*

parentem. Supr. c. 55.

arduo et derupto. Roth. p. 14. inter synonyma refert, non satis recte.

in aequum eniterentur. Ut ita aequum cum Pisonianis tenerent locum.

Cap. 81. *adpugnare.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. 1574. Dein inrepserat *oppugnare.* Ernestius praeeunte lac. Gronovio restituit *adpugnare.* cf. 4, 48. 15, 13.

regressusque. Scil. per portum hosti aversum. Nam Κελένδερις πόλις λιμένα ἔχουσα. Strabo l. l.

pro muris. *Pro* ut graecum πρό valet de loco, ante quem, ut *pro aede.* Suet. Iul. c. 61 et 78. *pro gradibus palatii.* Id. Nero c. 8. Vit. c. 15. *pro foribus.* Id. Tib. c. 32. Otho c. 8. Vit. c. 16. Noster 12, 29. *pro ripa;* 14, 30. *pro litore;* 12, 33. *pro munimentis;* Agr. c. 35. *pro vallo.* Iam *pro muris* accipe de Pisone intra castellum ante muros h. e. ante muri loricam ita adstante, ut cum hostibus colloqui posset. Melius rem intelliges, si relegeris Veget. 4, 3. Sic Hist. 3, 31. *velamenta et infulas pro muris ostentant.* An. 2, 13. *postquam crebras pro munimentis cohortes* (intra castra versantes) *et nihil remissum sensere.* Quod Freinshemius suspicatur extra castellum progressum Pisonem, ineptum est. Nam tuto non poterat et commodius haec invidia fiebat ex alto et late conspecto loco, ut bene observat I. Fr. Gronovius. Ne tamen germanice convertas *auf den*

ciens, praemiis vocans, seditionem coeptabat, adeoque commoverat, ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubasque et peti aggerem, erigi scalas iussit ac promptissimum quemque succedere, alios tormentis hastas, saxa et faces ingerere. Tandem victa pertinacia Piso oravit, uti traditis armis maneret in castello, dum Caesar, cui Syriam permitteret, consulitur. Non receptae conditiones: nec aliud quam naves et tutum in urbem iter concessum est.

LXXXII. At Romae postquam Germanici valetudo percrebruit, cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor, ira, et erumpebant que-

Mauern, ut Rickless et Herrmannus. Non enim *in* muris, sed *ante* muros ita adstitit, ut super muros emineret: sic demum recte dici potuit *pro* muris rem egisse. Alio sensu *proelium pro muris* dici videtur infr. 14, 25.

peti aggerem. Freinshemius explicuerat: „*aggerem petere* est terram ad struendum aggerem comportare. Struebatur autem agger oppugnationis ergo." Quam interpretationem nuper secutus est Herrmannus. Ernestius repudiavit. Eiusmodi aggerem oppugnationis causa exstructum ab hoc loco ait esse alienum: non enim obsidione, sed impetu Sentianos capturos fuisse castellum. *Aggerem* igitur intelligit *muros*, defenditque insolentius dictum exemplis Virg. Aen. 10, 23. 11, 382. Poterat addi Aen. 10, 144. Frustra tamen. Nam ibi sunt *aggeres murorum*, additurque vocabulum *agger* ornatus causa, ut intelligantur munimenta muralia. Simpliciter *aggerem* pro *muro* dictum nusquam invenies. Nihil igitur in Ernestii opinione est sani, quam miror plerosque interpretum esse secutos. Neque Freinshemius verum vidit. Bene quidem observavit, vocem *petere aggerem* hic eodem sensu uti, quo est supr. 1, 65. Non tamen ad struendum aggerem iam terra erat comportanda, quam potius ad explendam fossam muris circumdatam, ut ita scalis erigendis locus fieret. Rem docebit Veget. 4, 5 et 14.

dum Caesar ... consulitur. Ernestius more suo lacessit formam in *consulitur;* contendit requiri *consuleretur.* Sed vid. not. ad c. 26. sub verbo *consultum est.* cf. 13, 15. *quod dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur.* 14, 58. *dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura* etc. 15, 59. *dum amplectitur rem publicam.* Similia sunt Hist. 1, 33. 3, 70. 5, 17. *Consuleretur* si Tacitus dedisset, *dum* esset *μέχρι οὗ, bis;* iam vero *dum* est *indem, während.*

Cap. 82. *percrebruit.* Sic edd. ante Lips. et Lips. prima. *percrebuit* edd. Lips. Pich. sqq.

dolor, ira. Eadem brevitate Hist. 2, 29. *Ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio, favor.* De re cf. Suet. Cal. c. 6. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. male: *dolor, ira, et erumpebant questus. Idea* etc.

stus: ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Pisoni permissam provinciam: hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones: vera prorsus de Druso seniores locutos, displicere regnantibus civilia filiorum ingenia: neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum aequo iure complecti reddita libertate agitaverint. Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus: passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem: et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant. Forte negotiatores vivente adhuc Germanico Syria egressi laetiora de valetudine eius attulere: statim credita, statim vulgata sunt: ut quisque obvius quamvis leviter audita in alios atque illi in plures cumulata gaudio transferunt.

in extremas terras. Int. imperii Romani. inf. 4, 74. *imperii extrema.* Flor. 4, 1. Cic. ad Fr. 1, 1. Id. leg. Man. c. 16. Boxhornius frustra emendabat *externas.*

de Druso. cf. Suet. Claud. c. 1.

sumpto iustitio. cf. 1, 16. Liv. 9, 7. Iuvat etiam legere, quae sunt in eleg. de morte Drusi v. 181 sqq.

insignibus lugentium. Quae inter iustitium solita. Lucan. 2, 18. Iuvenal. 3, 21. Senec. ep. 18. Liv. l. l. *neque, auch nicht.* cf. not. ad 1, 32. *Silentia et gemitus.* Roth. p. 50. explicat per ἓν δ. δ. *silentia gementium* aut *gemitus silentium.* Sed *silentia* hic intelliguntur, quae fiebant omisso omnium negotiorum strepitu, dicitque Noster, ubique silentia esse exorta, interque ea gemitus tantum auditos. Nil igitur hic est ἓν διὰ δυοῖν.

atque illi. Ex Ernestii opinione *illi* positum est pro *hi.* Scribit enim, uti *hic* de remotiori (c. 77.), ita *ille* interdum de proximo dici. At aliam huius rei rationem esse censeo. Haud dubie *hic* solet respicere ad proximum, *ille* ad remotius; neque tamen verborum tantum collocatio, sed contextus etiam in hac re spectandus est. *Hic* saepissime indicat eum, qui a loquentis parte in eiusque cogitatione propior; *ille*, qui a parte diversa et in loquentis cogitatione remotior est. Sic hoc loco *hi* sunt, qui primi audita in alios transferunt, nam ex iis auctor incepit; et alii isti, qui cumulata gaudio iterum in plures transferunt, sunt *illi.* Supr. c. 77. Domitius Celer disserit: *Pisonem, non Sentium, Syriae praepositum: huic fasces* etc. Ernestius ibi *hic* ad remotius referri dicit, sc. ad Pisonem; et sane Pisonis vocabulum in codice remotius est, neque vero Pisonis notio in animo loquentis. Nam a Pisone incepit, cui opponit Sentium; igitur Piso debuit esse *hic*, Sentius *ille*, in animo loquentis. Eadem fere ratio est loci, quem ex Liv. 24, 29. adfert Ernestius. Verba sunt haec: *Et mittentibus et missis ea laeta expeditio fuit. Nam et illis, quod iam diu cupiebant, novandi res occasio data est et hi sentinam quandam urbis rati exhaustam*

cursant per urbem, moliuntur templorum fores. iuvit credulitatem nox et promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent.

LXXXIII. Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit. Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur: sedes curules sacerdotum Augustalium locis superque eas querceae coronae statuerentur: ludos circenses eburna effigies praeiret: neve quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur. Arcus additi Romae et apud ripam Rheni et in monte Syriae Amano cum inscriptione rerum gestarum

laetabantur. Ubi *illi* sunt *missi*, in codice propiore loco positi; *hi* sunt mittentes, quorum vocabulum remotius est. Recte; nam *missi* dicenti altero loco dicuntur atque cogitantur, igitur remotiores; *mittentes* vero priori loco, igitur propiores. Addo Liv. 3, 72. *hoc socios audire? hoc hostes? quo cum dolore hos* (socios)? *quo cum gaudio illos* (hostes)? Tacit. Hist. 2, 77. *Acriore hodie disciplina victi, quam victores agunt. Hos ira, odium ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt.* Liv. 30, 30. *Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: haec in tua, illa in deorum manu est.* Graeci: ὁ μὲν — ὁ δέ, οἱ μὲν — οἱ δέ.

moliuntur templorum fores. De dictione cf. 1, 39. de re Suet. Cal. c. 6. qui cum Nostro consentit de nocte.

iuvit. Sic edd. Lips. Pich. sqq. *iuvat* edd. priores et Lips. prima.

tempore ac spatio. Roth. p. 33. accipit per ἓν διὰ δυοῖν, ut sit *temporis spatio.* Ricklefs: *im Laufe der Zeit.* Herrmann. vero: *bis es an Zeit und Entfernung zerfiel.* Sed tu accipe pro synonymis, quae sic saepe coniunguntur, etiam apud Ciceronem. Similiter Suet. Vesp. c. 23. *ut adeunti litigatori spatium moramque praeberet.*

Cap. 83. *Saliari carmine.* Nam Dionys. 2, 70. οὗτοι πάντες οἱ σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν. Quem locum vide, ut omne Saliorum institutum accuratius cognoscas. Carminis Saliaris mentio etiam est apud Horat. Od. 1, 36, 12 et 4, 1, 28. Epist. 2, 1, 86. Eundem cum Germanico honorem nactus est M. Antonii Philosophi filius. Spartian. c. 21.

sedes curules. Qui honos et Iulio Caesari contigit. cf. Dio 44, 6. et M. Marcello. cf. Id. 53, 20.

sacerdotum Augustalium. Quorum collegio Germanicum additum Noster docuit supr. 1, 54.

locis. Sc. in theatris.

querceae coronae. Insigne decus, quo significabantur eximia Germanici merita in rem publicam et civium salutem. Nam ob servatos cives eaedem dabantur Augusto. Dio 53, 16. Valer. Max. 2, 8. f. Ovid. Fast. 1, 614. 4, 953.

praeiret. Inter deorum simulacra. Descriptionem eius pompae vide apud Dionys. Hal. 7, 72. *Tensam et ferculum* circensi pompa et Iulius Caesar vivus adhuc decerni sibi passus erat. Suet. Iul. c. 76. Dio 44, 6.

in locum Germanici. cf. supr. 1, 62. 2, 13 et 14.

ac mortem ob rem publicam obiisse. sepulcrum Antiochiae, ubi crematus: tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve, in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. Cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, adseveravit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum. neque enim eloquentiam fortuna discerni: et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur. Equester ordo cuneum Germanici appellavit, qui Iuniorum dicebatur, instituitque, uti turmae idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. pleraque manent: quaedam statim omissa sunt aut vetustas oblitteravit.

LXXXIV. Ceterum recenti adhuc maestitia soror Germanici Livia nupta Druso duos virilis sexus si-

sepulcrum Ant. ubi crem. cf. supr. c. 73. Intellige *κενοτάφιον*, bustum inane.

Epidaphnae. Plin. 5, 21. *Intus ipsa Antiochia libera Epidaphnes cognominata.* Graecis Antiochia *ἐπὶ Δάφνῃ* vel *ἐπὶ Δάφνης.* Hic autem intelligenda *Daphne*, *ἐπίσημον τῆς Ἀντιοχείας προάστειον.* Sozomen. 5, 19.

tribunal. Ad significandam imperatoriam Germanici dignitatem; non simplex cumulus, qualem Ernestius putat, sed ad formam tribunalis castrensis exstructus.

colerentur. Sic Iac. Gronovius Ernestius et sqq. edd. e cod. MS. — Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *coleretur*, quod Kiesslingius repetiit.

clipeus. Sic scribendum esse docuit Oudendorp. ad Suet. Cal. c. 16. Vulgo *clypeus*, uti est in edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. *Clipeum* accipe de imagine metallo insculpta clipei formam referente. cf. Lips. in excurs. N. Suet. Cal. c. 16. Dom. c. 23. Plin. Panegyr. c. 52. Plin. 35, 3.

adseveravit. Cod. MS. *adseravit.* Hinc edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. *adseruit.* Veram scripturam I. Gronovius restituit. De mediis syllabis in illo cod. saepe omissis vid. not. ad 1, 20.

solitum. h. e. non insignem auro; *paremque* h. e. non insignem magnitudine.

qui Iuniorum dicebatur. Ernestius opinatur cuneum equestris ordinis dictum esse *Iuniorum*, quia equites *κατ' ἐξοχὴν iuventutis* nomine insignes fuerint. Non satis facit. Nam Noster aperte vult, unum ex cuneis equestris ordinis prius *Iuniorum* dictum tum Germanici vocabulo insignem esse factum. Ex Ernestii opinione omnes cunei eodem iure poterant *iuniorum* dici. Alii e *Iuniis* illum cuneum dictum accipiunt.

turmae idibus Iuliis etc. De transvectione equitum, ad quam haec spectant, prae aliis vide Dionys. Halic. 6, 13. Liv. 9, 46. Valer. Max. 2, 2, 9.

Cap. 84. *duos virilis sexus.* Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. I. Gronovius tamen testatur in cod. MS. esse *duos viriles sexus*, quod nescio an accipi possit pro: *duos, qui virilis erant sexus*, ut ita *viriles* sit in adpositione. Tolerari etiam potest, quod I. Gronovius coniecit: *duos virile secus.* cf. 4, 62. et Hist. 5, 13. Sueton. Oct. c. 44. *muliebre secus omnes.* Liv. 26, 47. *liberorum capitum virile secus ad decem millia capita.* Vul

mul enixa est. quod rarum laetumque etiam modicis penatibus tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit, quin iactaret apud patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam. nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tanquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

LXXXV. Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coercita cautumque, ne quaestum corpore faceret, cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset. nam Vistilia praetoria familia genita licentiam stupri apud aediles vulgaverat more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. exacta et a Titidio Labeone Vistiliae marito, cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset? atque illo praetendente sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse, satis visum de Vistilia statuere: eaque in insulam Seriphon abdita est. Actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis: factumque patrum consultum, ut quattuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur coercendis illic latrociniis: et si ob gravitatem coeli interissent, vile damnum:

gata tamen non minus latinitatis usum prae se ferunt. cf. Suet. Oct. c. 101. *liberi sexus virilis.* Id. Cal. c. 7. *sexus feminini.* Id. Oct. c. 31. *iuvenes utriusque sexus.*

Cap. 85. *libido feminarum coercita.* cf. Suet. Tib. c. 35.

exacta et a Tit. Sic cod. MS. et edd. vett. At praeeuntibus Vertranio, Ursino, Lipsio mutarunt in *exactum*, quod hodie vulgo editur, ut sit pro *quaesitum est.* Quod perperam fecerunt. Nam *exigere* nusquam in tali contextu invenies ita positum, ut sit *quaerere, interrogare;* constanter id verbum significat *postulare.* Iam satis recte quidem dici potest: *exigo ab aliquo, ut respondeat, cur* etc. Tum vero ea, quae quaesivi, haud dubie sunt *exacta*, non *exactum.* Nam indefinita adhuc sunt et possunt esse plura. Ita et hoc loco in verbis: *cur — omisisset?* non unum aliquod exigitur, sed plura esse poterant, quae Labeonem impulissent. Quare audacter repono *exacta.* cf. Virgil. Aen. 1, 309. *quaerere constituit sociisque exacta referre.* Iam vides Faërni quoque coniecturam inutilem esse, qui ante *cur* volebat addere *ratio.*

ultionem legis. cf. not. supr. ad c. 50.

de sacris Aegyptiis. Intellige cultum Isidis inde a Sullae temporibus apud Romanos celebratum. cf. Böttiger in *Sabina* I, p. 232. Senec. epist. 108. Ioseph. 18, 3. Tibull. I, 3, 23 sqq. ibique interprett.

vile damnum. Ex mero emen-

ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.

LXXXVI. Post quae rettulit Caesar capiendam virginem in locum Occiae, quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris praesederat: egitque grates Fonteio Agrippae et Domitio Pollioni, quod offerendo filias de officio in rem publicam certarent. praelata est Pollionis filia non ob aliud quam quod mater eius in eodem coniugio manebat. nam Agrippa discidio domum imminuerat. Et Caesar quamvis posthabitam decies sestertii dote solatus est.

LXXXVII. Saevitiam annonae incusante plebe statuit frumento pretium, quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumpsit acerbeque increpuit eos, qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant. unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

LXXXVIII. Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum Adgandestrii principis Cattorum lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur: responsum

dandi studio Freinshemius coniecit *utile damnum* propter loc. Vellei. 2, 46. *utile imperatoris damnum salvo exercitu fuisset rei publ.*

Cap. 86. *capiendam virginem.* Gell. N. A. 1, 12. *Capi virgo propterea videtur, quia pontificis manu prehensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur.* Mox edd. vett. *Comitio* pro *Domitio*, quod edidere Lips. sqq.

discidio. Sic cod. MS. edd. vett. Deinde per Lips ed. 1574. inrepserat *dissidio*, quod Ryckius expulit. De eodem vitii genere dicetur infr. ad 3, 34. 12, 2 et 40. 14, 1 et 60.

decies sestertii. cf. c. 37. ibique not. Ursinus male tentabat: *decies sestertium.*

Cap. 87. *negotiatoribus.* Int. frumentariis. cf. Suet. Oct. c. 42. Id. Claud. c. 18.

delatum et antea. Vid. supr. 1, 72. Suet. Tib. c. 26 et 67. Dio 57, 8. 58, 12.

divinas occupationes. Suet. Tib. c. 27.

dominum. Suet. l. l. Dio 57, 8.

Cap. 88. *scriptores senatoresque.* Pro *senatoresque* Lipsius malebat *senioresque.* Vulgatam scripturam defendunt Gruterus, Acidalius, Freinshemius, quibuscum consen-

esse, non fraude, neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. Ceterum Arminius abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum adfectans libertatem popularium adversam habuit petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniae et qui non primordia populi Romani sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit: caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

tit Ernestius. Et recte quidem. Nam et verbum *reperio* et vocabula, *eorundem temporum*, obstant Lipsii emendationi. Iam vero quod dicit *apud senatores*, aut capiendum erit de commentariis senatorum privatis, aut intelliges *ἓν διὰ δυοῖν*, ut sensus sit: reperio apud scriptores, qui tum temporis essent senatores. Sic etiam vult Herrmann Iustus *de fid. Tac.* p. 17.

non fraude etc. Cf. Liv. 1, 53, *postremo minime arte Romana, fraude ac dolo adgressus est.*

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Agrippina cum urna ferali magno planctu passim excipitur. 2. Funerum solemnia. Primores urbis obvii. 3. Tiberius, Augusta et Antonia publico abstinent. 4. Maeror publicus. 5. Tiberius parcus visus in honorando funere 6. excusat se et populum erigit. 7. Iustitium omissum. Drusus ad Illyricos exercitus abit, 8. Piso ad Drusum, 9. inde Romam alacri animo. 10. Mox accusatur. Princeps causam ad senatum remittit. 11. Patroni reo quaesiti. 12. Tiberii oratio ad patres. 13. Accusatorum criminationem 14. reus male diluit. In eum iudices haud proni, populus offensissimus. 15. Plancina causam suam dissociat. Pisonis mors, 16. dubium an iussa, et ad Tiberium codicilli. 17. Piso filius absolvitur. Plancina Augustae precibus condonatur. Sententias in Pisonem 18. princeps mitigat. Adulatio imprudens. 19. Drusus ovat. Vipsania moritur. 20. Tacfarinas bellum in Africa renovat. 21. id Apronii severitate opprimitur. 22. Lepida suppositi partus, adulterii, venefic accusata 23. Tiberio perplexe agente damnatur. 24. Silanus exsilii veniam impetrat. 25. Lex Papia Poppaea. Delatores. 26. Excursus de legibus, quae initio paucae et simplices, paulatim primo, 27. dein immensum auctae. 28. earum correctio tentata. 29. Nero Germanici ad honores promotus Iuliam ducit Drusi filiam. 30. Volusii et Sallustii mors et elogium. Aulae potentia infida.

31. Tiberius et Drusus coss. Irreverentia iuventutis notata. Viarum cura. 32. Tacfarinas turbat iterum. Lepidus Asiae proconsul. 33. Uxores a provinciis arcet Caecina: 34. ei repugnat Val. Messallinus adstipulante Druso. 35. Blaesus proconsul Africae. 36. Abusus imaginum principalium 37. repressus a Druso. 38. Accusati repetundarum, maiestatis. Thraciae motum 39. Velleius comprimit. 40. Gallia ducibus Floro et Sacroviro rebellat. 41. Andecavos coercet Aviola, Turonios opprimit. 42. Florus sua manu cadit. finis Treverici tumultus. 43. Aeduos turbat Sacrovir, 44. Romam percellit, non Tiberium. 45. Silius 46. Gallos fundit, cruppellarios caedit. Sacrovir sibi manum infert. 47. Tiberius simulat iter in Gallias. 48. Quirini mors honestata. 49. Lutorius accusatus 50. defenditur a Lepido, 51. necatur in carcere. SC. de differenda poena.

52. Aediles de luxu coercendo agunt. Senatus rem remittit ad principem. 53. 54. hic medicinam a tempore sperandam pronuntiat. 55. Paulatim sponte mutati mores. 56. Tribunitia potestas petita Druso et 57. impetrata eum adulatione patrum. 58. Flamen dialis ambit provinciam. 59. alii obsistunt. Drusus superbia notatur. 60—63. Imago libertatis Asyla Graecarum civitatum senatus examinat et modum praescribit. 64. Augustae morbus. Tiberii in matrem non sincerus amor. 65. Tempora foeda adulatione infecta. 66. C. Silanus repetundarum et maiestatis postulatus 67. a multis urgetur et a principe ipso, et 68. damnatur. Dolabellae adulationem 69. reprimit Tiberius et sententias mitigat. 70. Cordus, Ennius, Capito rei. 71. Equestris Fortuna. Ius Flaminium. 72. Basilica Paulli. Pompeii theatrum. 73. Tacfarinatis petitio impudens. 74 Blaesus eum adgreditur. fratrem eius capit, nec bellum conficit. 75. Mors Salonini, Capitonis, 76. Iuniae, cuius solemne funus. Haec triennio gesta

M. VALERIO ET M. AURELIO COSS.
TIBERIO IMP. IV. ET DRUSO NERONE II. COSS.
C. SULPICIO ET D. HATERIO COSS.

I. Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur litora Calabriae contra sitam. illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu et nescia tolerandi. Interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moe-

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *ut quique.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Dein per ed. Bernegg. inrepsit *ut quisque.* I. Gronovius et Ernestius sqq. bene restituere veterem scripturam. Non enim de singulis sermo est, ut in verbis: *intimus quisque amicorum*, sed de multis a quaque parte ruentibus. Infr. 14, 31. *praecipui quique Icenorum;* 1, 59. *ut quibusque bellum inuitis aut cupientibus erat.* Sallust. Iug. c. 60. *uti quaeque Iugurthae res erant.* Ibid. c. 18. similiter editores fluctuant inter *quique* et *quisque.* cf. Ramshorn. Gr. §. 156. p. 316 sq.

Brundisium. Sic edd. Ber. Rhen. Lips. sqq. *Brundusium* ed. Ald. cf. 2, 30.

fidissimumque. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Lips. Grut. Restituere I. Gronov. Ernest. sqq. quum prius per ed. Pichen. inrepsisset *fidelissimumque.* Similis varietas est Agr. c. 19. Vid. ib. not.

proxima maris. Sic cod. MS. edd. vett. nec audiendi sunt Muretus, Freinshemius, Ryckius, qui volunt *proxima mari.* Adfirmant, *proxima maris* non posse intelligi nisi de proximo mari, ut 3, 73. *in-*

nia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba et rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent? neque satis constabat, quid pro tempore foret: cum classis paulatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus: neque discerneres proximos, alienos, virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant.

tima Africae; 4, 46 et 12, 56. *edita montium*; Hist. 3, 42. *proxima litorum*. Falluntur. Nam usus loquendi etiam fert, ut *proxima maris* intelligamus oram maritimam. Sic Hist. 5, 16. *laeva ac propiora fluminis*; ib. 2, 2. *laeva maris*. Et Hist. 2, 14. *vacuo mari* scribitur pro litore maritimo vacuo. De particula *etiam* post *sed* omissa vid. not. ad 1, 77.

successit. De hoc verbo vid. not. ad 2, 20.

et rogitantium. Sic cod. MS. edd. vett. et Iac. Gronov. sqq. *ac rogitantium* edd. Lips. sqq.

duobus cum liberis. Sc. *Iulia* in Lesbo insula nata. cf. 2, 54. et *Caio* (Caligula); cf. Suet. Cal. c. 10. *Comitatus est patrem et Syriaca expeditione*. Reliqui in urbe interim remanserant. cf. infr. c. 2.

feralem urnam. cf. supr. 2, 75.

defixit oculos. Muretus interpretatur: „oculos omnium convertit in se." Plerique tamen intelligunt *solo* s. *in terram*, idque explicant de more tristium. Sed in verbo *defixit* nihil est, nec quidquam in contextu, quod eam rationem comprobet. Nam *defigere* non significat *niederschlagen*, nisi adiecto vocabulo *solo* s. *in terram*. cf. Hist. 4, 72. *fixis in terram oculis*. Nec decet Agrippinam defixisse oculos in terram, conspecta salutantium turba: hoc erubescentium est. Debuit potius oculos defigere in obviam hominum multitudinem (*sie schlug die Augen auf*), idque demum efficere potuit, ut idem omnium gemitus erumperet. Mira enim in tali re est oculorum vis. cf. Ovid. Amor. 2, 8, 15. *ut tamen iratos in te defixit ocellos, vidi te totis erubuisse genis*. Quod Oberlinus intelligit: „in urnam", ineptum est. Scilicet tum demum in urnam defixit oculos: magis credibile est, defixis in urnam oculis iam prius illam innuisse navi. Hic autem non solitus Agrippinae habitus describitur, sed dicitur aliquid factum esse; nam verba sunt: *postquam* — *defixit oculos*.

recentes in dolore. Quidam deleri volunt *in* ante *dolore* propter loc. supr. 1, 41. *recens dolore et ira*. Addo infr. 15, 59. *stipendiis recentes*; Hist. 3, 77. *recens victoria* et aliquo loco: *recens praetura*. Sed paululum interest, dicantur *recentes dolore* h. e. quos recens dolor invasit, ut ita dolor plenam adhuc exserat vim suam; an *recentes in dolore* h. e. quos dolor nondum defatigavit, ut ita opponantur *longo maerore fessis*. cf. infr. c. 70. *lentus in dolore suo*. Formulam *obvii et recentes* Roth. p. 57. explicat per ἐν δυοῖν, ut sit pro *obvii* (substantivum) *recentes*. cf. not. ad 1, 2. sub v. v. *tuta et praesentia* — *vetera et periculosa*; 1, 32. *obstantes et armatos*. Sunt etiam qui *in dolore* trahant ad *anteibant*.

II. Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur: praecedebant incompta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites; pro opibus loci vestem, odores aliaque funerum solemnia cremabant. etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras diis Manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules M. Valerius et C. Aurelius (iam enim magistratum occoeperant) et senatus ac magna pars populi viam complevere, disiecti et ut cuique libitum flentes. aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.

III. Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati, si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores rerum,

Cap. 2. *magistratus.* Sc. municipales.

munera fungerentur. Sic Suet. Oct. c. 35. *senatoria munera fungerentur.* Ibid. c. 45. *suam vicem fungerentur.* Tac. An. 4, 37. *officia fungi.* Cic. Tusc. 3, 7. *ad suum munus fungendum.*

incompta signa. *Signa* sc. praetoriarum cohortium; *incompta*, ut in luctu, non nitida aut ornata. cf. not. ad 1, 24.

fasces. sc. defuncti imperatoris. cf. Pedon. in Eleg. ad Liv. v. 142. *versi* sunt *submissi* apud Liv. 2, 7.

trabeati equites. Eo enim insigni utebantur in pompa solemni. cf. Dionys. Hal. 6, 13.

vestem. cf. Virgil. Aen. 6, 221. Silius 10, 570.

odores. cf. Tibull. 1, 3, 7. Propert. 4, 7, 32. Statius Silv. 2, 1, 160 et 2, 6, 86.

cremabant. Sc. in rogis arisve ad eum usum exstructis. cf. Senec. ad Marc. c. 3.

diversa. h. e. *abgelegen.* cf. 1, 17. *diversas in terras*, 2, 60. *diversum ad mare.* Vid. not. ad 2, 60.

Tarracinam. Sic cod. MS. edd. Ber. sqq. *Terracinam* edd. Lips. Grut. Pich. sqq. Veterem scripturam restituere Ryck. Iac. Gron. sqq.

C. Aurelius. Dissentiunt Dio et Cassiodorus, qui edunt *M. Aurelium.* *C.* autem est in cod. MS. et vett. edd. Tacit.

occoeperant. Sic ed. Beroald. *occeperant* edd. Rhenan. Ald. Edd. recentiores Beroaldum sequuntur; in ed. Lips. 1574. invenio *occeperant*; mox idem dedit *occoeperant.*

disiecti. Vid. not. ad 1, 32.

non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam; cum super Agrippinam et Drusum et Claudium ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint: seu valetudine praepediebatur, seu victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu non toleravit. facilius crediderim Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

IV. Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies: plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces. illic miles cum armis, sine insignibus magistra-

Cap. 3. *diurna actorum scriptura.* Discerne *acta diurna populi Romani* (breviter dicuntur *diurna acta*, *acta publica*, *diurna*, *acta*) et *acta senatus.* Utraque Iulius Caesar primus omnium instituit et publicari iussit. Suet. Iul. c. 20. Dein *acta senatus* (*Senatsprotocoll*) ne publicarentur auctor fuit Augustus. Sueton. Oct. c. 36. Concipiebantur haec per unum senatorum. cf. An. 5, 4. coll. c. 5. Spartian. in Hadrian. c. 3. „*Actis populi* (*römische Staatszeitung.* cf. Walch. ad Tacit. Agr. c. 2.) continebantur res rationesque populi, iudicia publica, supplicia, comitia, aedificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia." Lips. cf. Tac. An. 13, 31. 16, 22. Sueton. Tib. c. 5. Cal. c. 8 et c. 36. Scripsere de hac re Lips. in excurs. A. ad An. lib. 5. Ernest. in excurs ad Suet. Iul. c. 20. Broterius ad An. 5, 4. Ruperti in commentatione de Taciti vita et scriptis, quam Annalium editioni praemisit, ubi vid. p. 16 et 17.

toleravit. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. — Oberlinus tamen, Weikertus, Naudetus, Lünemannus, Weissius edidere *toleraverit.* Bekkerus priorem scripturam revocavit. Recte. Nil enim hic opus est subiunctivo. cf. Cic. Quint. 8. *Homines nobiles, seu recte seu perperam facere coeperunt, in utroque excellunt.* Id. Tusc. 2, 14. *Cretum leges, quas sive Iupiter sive Minos sanxit, laboribus erudiunt iuventutem.* Iam quae de pleonasmo scribunt, quae sit in *perferre — toleravit*, nescio quid sibi velint. Duo hic momenta distinguenda sunt. *Non toleravit* spectat ad conatum: non potuit, quum vellet. *perferre* spectat ad rem, quam non potuit a se impetrare. Germanice dices: *Ihr von Trauer gebeugtes Gemüth litt nicht* (h. e. *versagte ihr*) *die Gröfse des Unglücks mit dem Anblick zu ertragen.* Prudenter Tacitus scripsit *visu perferre* pro *videre*, ut exprimeret simul visum illum haud dubie fuisse saevum et crudelem. Sin vero sententia eo ferret, ut Antonia magnitudinem mali perferre visu conata non potuerit, tum profecto ineptus esset in verbis pleonasmus. Iam vero frustra laboravere interpretes.

ut par maeror. Sc. videretur. Sic bene monuit Ernestius. Wopkens. intelligit *esset.* Heinsius volebat: *pari maerore.* Vulgata script. est elegantior.

Cap. 4. *vastus.* Bene hanc scripturam I. Fr. Gronovius defendit contra Pichenam, qui malebat *vastum*, nullo idoneo sensu. *Vastus* hic est quod nos dicimus *öde.*

faces. Intell. funebres. Res notissima. cf. Lips. in excurs. A.

tus, populus per tribus: concidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant, promptius apertiusque quam ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam, cum decus patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent, versique ad coelum ac deos integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur.

V. Fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentque quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines: defletum in

populus per tribus. Ernestius simpliciter dictum accipit pro populo universo, eumque loquendi modum adhibitum putat, ut prioribus membris aptius responderet ultimum. Quae quomodo illi viro excidere potuerint, non capio. Immo per tribus divisum et digestum intelligas populum. Satis enim credibile est et populum certo quodam ordine, nec incondito agmine illum diem celebrasse. cf. 14, 13. *tribus obviae* (venienti principi).

solum Augusti sanguinem. h. e. *solam Augusto dignam.* Nam erant Lepidi et Silani ex Iulia nepte. cf. Lipsius ad h. l.

antiquitatis. H. e. antiquae virtutis. *unicum.* Sueton. Oth. c 12. *unicum imperatorem praedicantes.* Id. Gram. 11. *unicum magistrum.*

iniquorum. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. Rhenanus tamen in castigatt. emendat *inimicorum*, quod postea receptum est a quibusdam edd. Nam sic ed. Micyll. 1557. — Lipsius sqq. veterem scripturam retinuere. cf. Plin. epp. 9, 1. *si notum aequis iniquisque fuerit.* Cic. fam. ep. 11, 27. Id. in Verr. 5, 69. pro Sulla 19. et 23. Tacit. An. 14, 52. 16, 21. ibique not. Adde 4, 68.

Cap. 5. *quae in Drusum ... fecisset.* cf. Dio 55, 2. Sueton. Tib. c. 7. et Claud. c. 1. Pedo Albinov. eleg. ad Liviam.

Claudiorum Iuliorumque imagines. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. — Ernestius pro *Iuliorumque* substituit *Liviorumque*, suadentibus Mureto, Lipsio, Freinshemio. Drusum aiunt hunc in Iuliam familiam ne adoptione quidem venisse; nullum igitur in pompa funebri fuisse locum gentis Iuliae imaginibus. Levissimum vero id argumentum videtur. Nam in funeribus magnificis cumulabantur imagines familiarum aliquo adfinitatis gradu ad defunctum pertinentium. Sic infr. c. 76. in Iuniae funere viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt. In Augusti funere αἵ τε τῶν προπατόρων αὐτοῦ, καὶ αἱ τῶν ἄλλων συγγενῶν τῶν τεθνηκότων (πλὴν τῆς τοῦ Καίσαρος, ὅτι ἐς τοὺς ἥρωας ἐσεγέγραπτο), αἵ τε τῶν ἄλλων Ῥωμαίων τῶν καὶ καθ' ὁτιοῦν πρωτευσάντων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ῥωμύλου ἀρξάμεναι ἐφέροντο. καί τις καὶ τοῦ Πομπηΐου τοῦ Μεγάλου εἰκὼν ὤφθη. Iam Drusi mater uxor Augusti, ipse Drusus maritus Antoniae sorore Augusti natae, et nisi origine gentili aut adoptione,

foro, laudatum pro rostris: cuncta a maioribus reperta, aut quae posteri invenerint, cumulata. At Germanico ne solitos quidem et cuicunque nobili debitos honores contigisse: sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset. non fratrem nisi unius diei via, non patruum saltem porta tenus obvium. ubi illa veterum instituta, propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes et lacrimas vel doloris imitamenta?

adfinitate tamen et Liviae matrimonio particeps domus imperatoriae et pro summo eiusdem domus viro habitus: nonne haec potuerunt sufficere ad Iuliorum imagines in funebrem pompam eliciendas? Accedit, quod imaginum illarum pompa hic refertur inter honora et magnifica, quae Augustus in Drusum fecerat. Quidnam vero honoris aut magnificentiae esse potuit in Liviorum imaginibus, quae denegari Druso nequibant? Et quis tandem sibi persuadebit, Augustum in eo, quo tum erat cum Claudiis complexu, sine Iuliorum imaginibus Drusum extulisse? Nimis anxie profecto statuunt, qui Lipsii opinioni inhaerent. Sed pergit ille: „non praeposuisset Claudios Iuliis Tacitus." Fallitur: nam quod postponuntur Iulii, ea re significatur, praeter Claudiorum imagines, quae sine dubio ut propriae gentis Druso conveniebant, et Iuliorum honorem accessisse. Est gradatio in verbis. Ceterum infr. 6, 8. item legimus *Claudiae et Iuliae domus*. At desiderantur Liviorum imagines. Nimirum nobilissimae tantum imagines hic ore magnifica admirantium nominantur, et Livii vocabulo Claudiorum simul comprehenduntur; nam Claudiorum imagines sunt, quas Claudii in suis funeribus ostendere solebant, interque eas tum etiam Livii fuerunt. cf. Ryck. ad h. l.

quanto. Muretus corrigebat *quando*. Perperam. Nam saepius ita *quanto* ponitur pro *quod*. cf. infr. 4, 48. *tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur.* Contra Sueton. Claud. 11. *Tanto impensius petere se, ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset et avi sui Antonii.*

non fratrem. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Lipsius tamen iussit scribi *fratres*. Paruere recentiores editores, quia Muretus, Salinerius et Boxhornius male defenderant veterem scripturam. Sed audacter repono illam; nam *non fratrem* dictum est pro *nullum fratrum*, nos *kein Bruder*.

propositam toro effigiem. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *praepositam*. Mureto, Grotio, Ryckio et Ernestio suadentibus Oberlinus edidit *propositam*, quae vera videtur esse emendatio. Etenim *pro* et *prae* ob compendium scripturae sexcenties in codd. MSS. confunduntur. cf. not. ad An. 15, 66. Hist. 2, 2 et 4. et alibi.

vel doloris imitamenta. Ernestius ad h. l. scribit, *vel* non distinctive se capere cum Freinshemio, sed pro *saltem*. Iam vero et ipse Freinshemius ita cepit. Utitur propria sua vi. Sententia inest haec: si verus dolor desit, doloris imitamenta saltem deesse non debuisse.

VI. Gnarum id Tiberio fuit, utque premeret vulgi sermones, monuit edicto: Multos illustrium Romanorum ob rem publicam obiisse: neminem tam flagranti desiderio celebratum, idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiiceretur. non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus; convenisse recenti dolori luctum et ex maerore solatia: sed referendum iam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Iulius amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis, quotiens populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. Principes mortales, rem publicam aeternam esse. proin repeterent solemnia, et quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

Cap. 6. *Gnarum id Tiberio fuit.* *Gnarum* et *ignarum*, quod plurimum active ponitur de personis, Tacito et Sallustio etiam passive dicitur de rebus. Vide 1, 51 et 68. 12, 45. Sallust. Iug. c. 18 et c. 52. cf. Buhle contra Iohn Hill p. 51. Ramshorn. Gr. §. 206. p. 692 sq. Not. Verbum *fuit* deleri iubet Muretus propter locum similem 1, 5. Addit Ernestius 2, 20. *nihil ex iis incognitum Caesari.* Sed non omnia ubique sunt bona. Et hic recte ponitur *fuit*, ἐγένετο, ut sententia sit: aliquem illa aperuisse Tiberio. Omisso verbo: populum haud nescio Tiberio illos sermones habuisse, ut loco 2, 20. Uti hic ita et infr. c. 53. *melius fuit.*

idque et sibi et cunctis. Male Lipsius pro *cunctis* coniecit *functis.* Refutavit I. Fr. Gronovius. Nec felicius Ernestius *idque* mutari iubet in *itaque.* Vulgatum bene defendit Crollius.

et imperatori populo, quae Edd. Beroald. Rhenan. Ald. Lips. *et imperatori, populoque.* Et Beroald. quidem punctum habet post *convenisse;* Rhenan. Ald. et Lips. post *populoque.* Sequentia coniungunt usque ad *sed.* Corrigebant viri docti in eum modum, quo nunc habetur locus; et dein Pichena in cod. MS. eandem penitus scripturam distinctionemque invenit edititque.

recenti dolori. Sic restituit Ernestius e cod. MS. et vett. edd. pro *dolore*, quod prius edebatur inde a Lipsii prima.

ex maerore solatia. *Expletur quippe lacrimis egeriturque dolor.* Ovid. Trist. 4, 3, 38. Schiffneri coniectura: *silentia* pro *solatia* substituentis primo tantum aspectu veritatis aliquam speciem habet, quae tamen evanescit accuratius locum intuenti.

abstruserint. Acidalius coni. *absterserint.* Sed infr. 15, 6. *metu abstruso.* Plin. Paneg. c. 45 et 68.

funditus amissas nob. familias. Cogitat de Fabiis.

Megalesium. Hoc e cod. MS. et edd. vett. Ernestius restituit pro *Megalensium*, quod prius legebatur auctore Lipsio.

suberat. Graecum ὕπεισι. Sic Caes. B. G. 8, 27. *hiems suberat.* Non igitur erat, quod Ryckius in hoc verbo offenderet.

VII. Tum exuto iustitio reditum ad munia, et Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis et crebro questu, quod vagus interim per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. Nam vulgatum erat missam, ut dixi, a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam subita morte Brundisii exstinctam venenumque nodo crinium eius occultatum nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta.

VIII. At Piso praemisso in urbem filio datisque mandatis, per quae principem molliret, ad Drusum pergit: quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat. Tiberius, quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus

Cap. 7. *erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Recentiores Freinshemii coniecturam receperunt: *animis spe petendae.* Frustra. Nam *erecti animi* hic non sunt solatio deleniti, ut Hist. 2, 48. *erecto animo capesseret vitam;* neque intenti in aliquam rem vel cupidi alicuius rei, ut Hist. 2, 11: *erecta in Othonem studia;* sed attenti, ut Hist. 3, 65. *haud quaquam erecta animo eas voces accipiebat.* Hist. 4, 81. *erecta quae adstabat multitudine.* Plin. epp. 4, 9. *inveni ita erectos animos senatus, ita recentes, ut priore actione incitati magis quam satiati viderentur.* Cic. in Brut. c. 54. *erectos intuentes iudices.* Iam non video, quid impediat, quo minus hoc sensu animi dicantur *erecti petendae ultionis* sc. causa, quod sic omitti vidimus ad 2, 59. Freinshemii coniectura detorquet loci sensum. Significat, omnium animos inde solatium cepisse, quod sperarent fore, ut ultionem e Pisone peterent. Quod a contextu alienum est. Sin autem velis, omnium animos spem petendae ultionis cepisse, tum scribendum erat non *spe*, sed *ad spem*, ut supr. 2, 71. *erectus ad spem.* Etiam Kiesslingius veterem scripturam restituit. Is explicat: „cum animi essent ultionis petendae, vel, cum omnes exspectarent, ultionem petitum iri."

interim. Heinsii coniecturam *itinerum* nemini spero acceptam fore.

ut dixi. Supr. 2, 74.

Brundisii. Sic edd. Lips. sqq. *Brundusii* edd. Ber. Rhenan. Ald. Micyll.

nodo crinium eius occultatum. cf. Böttiger, *Sabina* I, p. 147.

Cap. 8. *praemisso.* Ed. Ber. *praemiso*, quod Victorius in s. e. cor. *praemisso.*

quam. Omisso antea *tam*, ut infr. 5, 6. *ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis.*

filios familiarum. Sic cod. MS. test. I. Gronovio, edd. Pichena seqq. *filios familiarium* edd. Ber. et Rhen. sqq. cf. Sueton. Vesp. c. 11. *neve filiorum familiarum feneratoribus exigendi crediti ius unquam esset.*

Pisoni, si vera forent, quae iacerentur, praecipuum in dolore suum locum respondit: sed malle falsa et inania, nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse. Haec palam et vitato omni secreto: neque dubitabantur praescripta ei a Tiberio, cum incallidus alioqui et facilis iuventa senilibus tum artibus uteretur.

IX. Piso Dalmatico mari tramisso relictisque apud Anconam navibus per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem, quae e Pannonia in urbem, dein praesidio Africae ducebatur. eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. Ab Narnia, vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum adpulerat, dieque et ripa frequenti magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina et vultu alacres incessere. Fuit inter inritamenta invidiae domus

falsa et inania. Synonym. cf. Roth. p. 14.

exitiosam esse. Sic edd. Ber. Rhenan. Ald. sqq. At hodie cum Oberlino omnes omittunt *esse*, non video quo iure. Idem vitium deprehendimus An. 1, 66. *pavorem esse.* Vid. ibi not.

praescripta ei. Sic correxit Lipsius. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *praescripta et.* cf. not. ad 4, 10.

Cap. 9. *ut .. se .. ostentavisset. Ut* non est *dafs*, quomodo vulgo eam vocem convertunt, neque *als habe er sich* etc. quod dedit Herrmannus; sed *wie*, *wie sehr*, *ὡς*. cf. Hist. 1, 79. *namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. Ostentare se, sich zur Schau geben*, nimirum admirationis et potentiae parandae gratia. Ambitiosi est. Plane sic Tiberius supr. 1, 3. *omnis per exercitus ostentatur.*

vitandae suspicionis. Ut 2, 59. *cognoscendae antiquitatis.* Vid. ibi not. Vitabat suspicionem quaerendae apud milites potentiae; quare ab Narnia legionis agmen reliquit.

adpulerat, dieque et ripa frequenti ... incessere. Ernestius adiectivum *frequenti* ad utrumque substantivum refert atque intelligit diem casu aliquo frequentem. Maluerim capere de parte diei frequenti, ut sententia sit: ea diei parte, qua ripa erat frequens. Sic 4, 67. *celeberrimo fori.* Alii *dieque* per se intelligunt *am Tage.* At tum Tacitum puto scripturum fuisse: *dieque et frequenti ripa.* Herrmannus periodum e *quia* pendentem in verbo *adpulerat* absolvit; sequentia per se constare censet convertitque: *zudem zogen sie am Tage und unter Gedränge auf dem Ufer* etc. Ut *quia* valeret usque ad *incessere*, scribendum fuisse ait *incedebant.* Ne credas. *Incessere* recte sic ἀορίστως ponitur. *Adpulerat* Piso ante, dein ipse et Plancina *incessere.* Utraque res auxit vulgi iras. Ed. Beroald. interpungit *adpulerat dieque. et ripa* etc.

foro imminens, festa ornatu conviviumque et epulae et celebritate loci nihil occultum.

X. Postera die Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulavit: contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant nullas esse partes Trioni: neque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturos. Ille dimissa eius causae delatione, ut priorem vitam accusaret, obtinuit, petitumque est a principe, cognitionem exciperet: quod ne reus quidem abnuebat studia populi et patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae matris innexum esse: veraque aut in deterius credita iudice ab uno facilius discerni: odium et invidiam apud multos valere. Haud fallebat Tiberium moles cognitionis quaque ipse fama distraheretur. igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit integramque causam ad senatum remittit.

XI. Atque interim Drusus rediens Illyrico, quanquam patres censuissent ob receptum Maroboduum et res priore aestate gestas, ut ovans iniret, prolato honore urbem intravit. Post quae reo L. Arruntium,

festa ornatu. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. Deinde Lips. sqq. edidere *festo.* Veterem scripturam revocavit Ernestius. cf. 2, 69. *festum Antiochensium plebem.* Horat. Od. 3, 18, 11. *festus pagus.* *Ornatum* accipe de lauro, coronis, fronde apud postes suspensis. cf. Iuven. 6, 79 et 226. id. 9, 85.

conviviumque et epulae. *Convivium*, *Gesellschaft*, *Gäste*, *Gasterei*; *epulae*, *Tafel.* Roth. p. 7. haec inter synonyma habet.

nihil occultum. cf. 2, 13. *nihil remissum.* Vid. ibi not.

Cap. 10. *ac Veranius.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. Grut. et dein Iac. Gronov. sqq. — Pichena sqq. omiserant *ac.* Ceterum edd. ante Lipsium dant *Verannius*, quum 2, 56 et 74. habeant *Veranium.*

Trioni. Muretus *Trionis.* Frustra.

cognitionem exciperet. Non *admitteret*, sed *susciperet*, *übernehmen.*

conscientiae matris. cf. supr. 2, 77 et 82.

odium et invidiam. Synonyma secundum Roth. p. 7.

moles. Ed. Beroald. *molis*, quod Victorius in suo exemplari correxit *moles*, uti est apud Rhen. sqq.

Cap. 11. *post quae.* Sic cod. MS. ed. Ald. et deinde Pichena Grut. sqq. — Edd. Beroald. Rhen. Lips. priores *postquam.*

L. Arruntium. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. *T. Arruntium* habent. Sed quia verisimile est, eundem intelligi Arruntium,

T. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti iisque diversa excusantibus M. Lepidus et L. Piso et Livineius Regulus adfuere, adrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo: satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. ac premeret is haud alias intentior, populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.

XII. Die senatus Caesar orationem habuit meditato temperamento: Patris sui legatum atque amicum

quem Noster habet 1, 13. et 6, 7. recentiores edd. praenomen mutarunt in *L.*

T. Vinicium. Cod. MS. test. I. Gronovio habet *Fulnicium*, nomen incognitum. Edd. Beroald. Rhen. sqq. *Fulcinium.* Sed quoniam *Fulcinius Trio* inter accusatores est, is huc trahi nequit. cf. c. 13. Quare quam fieri potuit accuratissime ad cod. MSti litteras effinxere *T. Vinicium.* Alii *M. Vinicium* malunt. cf. 6, 15. Crisis non potest non trepidare in hac re. Nam campus coniecturae patet vastus et incertus.

Aeserninum Marcellum. Edd. Beroald. Rhen. sqq. *Aeserninum, Marcellum.* Freinshemius tamen vidit unum esse virum. cf. Sueton. Oct. c. 43.

Sex. Pompeium. cf. 1, 7. Valer. Max. 2, 6, 8. Ovid. ex Ponto 1, 4, 5.

M. Lepidus. De quo cf. 1, 13. ibique not.

Livineius. Edd. Beroald. Rhen. sqq. *Liveneius.* Edd. recentt. suadente Ryckio *Livineius*, uti est infr. 14, 17. et in nummis apud Ursinum.

quae fiducia reo. Virg. Aen. 2, 75. *Quae sit fiducia capto.*

satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. ac premeret is haud alias intentior, populus plus etc. Sic cod. MS. test. Pichena. Quae quum non intelligerentur, viri docti varie mutarunt. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *satin' ..... Tiberius, an promeret. iis haud alias* etc. Inepte. Gruterus resectis vocibus quattuor: *satin' cohiberet sensus suos Tiberius, iis haud* etc. Acidalius delet *iis* legitque: *an promeret. Haud alias* etc. Pichena delet alterum *ac premeret* datque: *Tiberius. Is haud alias intentior; populus plus* etc. Recep. Ryck. et Bipont. Broterius: *iis intentior populus, haud alias plus sibi* etc. Alii alia. Recentiores denique editores amplexi sunt haec: *Satin' cohiberet ac premeret s. s. Tiberius. iis haud alias* etc. Quaero, quo spectet pronomen *iis?* ad totam rem ante dictam? Ita vult I. Fr. Gronovius. Sed quomodo tum capies vocem *haud alias?* Num alias iisdem rebus populus intentus esse potuit? Quid multa? nil hac scriptura inconcinnius languidiusque inveniri potest; unice verus codex MS. *Premeret*, quod altero loco positum est, vulgari illa utitur ratione conditionali, ut germanice exprimas: *Und möchte derselbe angestrengter als je sie verstecken, so erlaubte sich doch das Volk nur mehr* etc. Intellige *plus*, quam alias fecisset.

Cap. 12. *meditato temperamento.* Sic edd. Rhenan. sqq. — Beroald. vitiose: *meditato, temperamenta patris sui* etc.

Pisonem fuisse adiutoremque Germanico datum a se auctore senatu rebus apud Orientem administrandis. illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exitique eius laetatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis diiudicandum. „Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit eiusdemque „morte et luctu meo laetatus est, odero seponamque a „domo mea et privatas inimicitias non vi principis ulciscar: sin facinus in cuiuscunque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici et „nos parentes iustis solatiis adficite. simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, „quaesita sint per ambitionem studia militum, armis „repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint „accusatores: quorum ego nimiis studiis iure succenseo. „nam quo pertinuit nudare corpus et contrectandum „vulgi oculis permittere differrique etiam per externos, „tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista „et scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum semperque deflebo: sed neque reum prohibeo, quo minus „cuncta proferat, quibus innocentia eius sublevari aut, „si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: vosque „oro, ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta „crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus „sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque „eloquentia et cura valet, iuvate periclitantem. ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor.

adiutorem. Vocabulum de tali officio usitatum. cf. Iustin. 13, 6. Liv. 6, 22. Suet. Tib. c. 63.

non vi principis. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. *novi principis*, unde Lipsius rectissime fecit *non vi p.* (sic edd. Oberl. sqq.), simul auctor aliarum emendationum duarum: *non principis* (sic edd. Lips. Grut. Pich. sqq.), et *non ut pr.*, quae omnes suos habent fautores. Ernestius autem quod putat, recepta emendatione *non vi*, ante *privatas* copulam *et* mutandam esse in *sed*, nihili est. Nam *et* ἐξεγητικῶς ita ponitur. cf. Ramshorn, Gr. §. 179. B. a. 3. p. 519.

contrectandum vulgi oculis. Cic. Tusc. 3, 15. *mente contrectare.* Tac. An. 1, 62. *attrectare feralia.*

differrique. Sic bene edd. Lips. sqq. *diferique* edd. Beroald. Rhen. Micyll. *deferrique* ed. Ald. Eadem mox vitiose *eloquentiam* pro *eloquentia.*

„id solum Germanico super leges praestiterimus, quod „in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud „iudices de morte eius anquiritur. cetera pari modestia „tractentur. nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam „meam spectet, nec si qua in nos adversa finguntur."

XIII. Exin biduum criminibus obiiciendis statuitur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur. Tum Fulcinius vetera et inania orditur: ambitiose avareque habitam Hispaniam: quod neque convictum noxae reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. Post quem Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, obiecere: odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque corrupisse, ut parens legionum a deterrimis appellaretur: contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse: postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse: sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae: petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum.

XIV. Defensio in ceteris trepidavit. nam neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperato-

super leges. Nam de caede civis alicuius anquirere non omnino est senatus, sed ad id pertinet iudicium, cui ea quaestio demandata est. Tum vero et privatorum maxima apud patres tractabantur. cf. infr. 4, 6.

pari modestia. sc. ac si privati hominis causa ageretur. Dissimulat principem in Germanico.

adversa. I. Fr. Gronovius mavult *diversa.* Sed quem iste inde elicit sensum, is vulgatae quoque voci inest, et multo commodius. *Adversa* sunt, quae nos dicimus *Feindseliges*, *Gehässiges*, *Nachtheiliges*, mala. Eaque voce T. innuit, quae spargerentur de sua Drusique super Germanici morte laetitia. Haec sunt *diversa* illa Gronovii. Sic *adversa fama* Hist. 1, 78.

CAP. 13. *vetera et inania.* Vid. not. ad 1, 2. *vetera et periculosa.*

ambitiose avareque. cf. Agr. c. 30. *si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi.*

Veranius et Vitellius. cf. 2, 74. *Post quem* edd. Rhen. sqq. — Beroald. *postquam.*

sacra hinc et immolationes. cf. 2, 75.

petitam . . . victum. cf. 2, 79 sqq.

CAP. 14. *cuique.* Sic edd. Rhenan. sqq. — Beroald. *cui.*

rem infitiari poterat: solum veneni crimen visus est diluisse. quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. quippe absurdum videbatur inter aliena servitia et tot adstantium visu ipso Germanico coram id ausum. offerebatque familiam reus et ministros in tormenta flagitabat. Sed iudices per diversa implacabiles erant: Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse. *scripsissent expostulantes: quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere.

tot adstantium visu. cf. not. ad 2, 44. sub voc. *discessu.* Pichena et Heinsius malebant *visus*, quod Taciti stilum non redolet.

ministros. sc. Germanici, qui in illo convivio ministraverant.

* *scripsissent expostulantes.* Sic cod. MS. et edd. vett. haud dubia lacuna ante *scripsissent*, cui non medeberis quacunque medicina ex ingenio adlata. Vetus scriptura, quomodocunque torqueatur, idoneam sententiam non fundit, ut prodeat, quod Tiberius simul cum Pisone abnuere potuerit. Neque tamen in conspicua textus mutilatione defuerunt, qui aut verba, uti sunt, explicanda, aut transpositione in aptum sensum concinnanda, aut addita vel mutata una alterave voce sananda sibi sumerent. Pretium est, quid effecerint, noscere. Rhenanus explicat: „obiectum a senatu Pisoni, quod ipsi, nempe Germanicus et Piso per litteras expostulavissent de veneno praebito aut non praebito." Quae si quis dicturus est, non enuntiabit per verba: *scripsissent expostulantes.* Omnino nil ineptius est, quam commenta illorum, qui cogitant de expostulatione per litteras inter Germanicum et Pisonem facta. Muretus et Lipsius censent, verba *scripsissent expostulantes* delenda esse, et hic quidem alieno loco ea inserta suspicatur; quo remittat, nescit. Sed manent molestiae. Nam quomodo Tiberius potuit abnuere Germanicum per fraudem interiisse? Mercerus emendat: *submisse* (h. e. secreto murmure) *expostulantes, quod* etc. Is haud dubie rem acu tetigit. Scilicet submisse expostularunt: nihil certius (*Sie knurrten darüber*). Miror Ryckio ineptias Merceri placuisse. Faërnus: *scripsissent: instabant accusatores statim scribi sententias expostulantes.* Quae quomodo in contextum quadrent, non video. Boxhornius: *Cur interfecisset expostulantes. Quod haud* etc. Quaestiuncula satis lepida! cui colaphum miscere solent, qui proponunt. Satis credibile est tale quid et Tiberium et Pisonem abnuisse. Hillerus: *Quae Tiberius et Piso scripsissent expostulantes.* Audacior sane, quam pro isto tempore et loco, expostulatio. Broterius: *et quae scripsissent expostulantes.* Oberlino haec placebant. Manca tamen et nimis abrupte praecedentibus adposita esse videntur. Vir doctus Gryphiensis L. I. W. in libello Gryphiae edito 1817 dedit: *Quod scripsissent expostulantes, haud minus T. quam P. abnuére.* Germanice explicat: *Dass übrigens sie* (German. et Piso) *sich einander schriftlich beissende Vorwürfe gemacht haben sollten: dies läugnete nicht nur Piso, sondern selbst Tiberius.* Quae emendatio quanquam plenis buccis efflata una cum

Simul populi ante curiam voces audiebantur: non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset. effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu principis protectae repositaeque forent. Igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos salutis an mortis exactor sequeretur.

XV. Eadem Plancinae invidia, maior gratia: eoque ambiguum habebatur, quantum Caesari in eam liceret. atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscunque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat. ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. quod reus postquam sibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursum ingreditur: redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus, nullo magis exterritus

ceteris strage peribit. Nam in eam cadunt, quae adferebam contra Rhenanum. Denique Moebius (in Seebod. *Archiv f. Phil. und Paedag.* 1. Heft): *scripsisse sententias expostulantes*; convertit: *vorhaltend (Beschwerde führend), dass er schon seine Aussprüche darüber niedergeschrieben.* Quae omnia ne minimum quidem lucis loco attulere.

simul populi etc. Locus similis infr. 5, 4.

divellebant. Sic Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Ernestius male mutaverat in *devellebant*, ut referretur ad laborem circa statuam de basi movendam. Tum haud dubie difficultas debuit oriri in diversitate temporum *traxerant — devellebant*, quae sic plane non possunt conciliari. Non enim admittenda est Oberlini enallage, ex qua is interpretatur: *in eo erant, ut traherent:* quae sententia requirit *trahebant.* Rescribas *divellebant* et omnia bene procedent. *Traxerant* effigies P. in Gemonias ibique *divellebant* (*κατέκοπτον*, discerpebant. De tempore verbi cf. not. supr. ad 1, 23 et 35.), *ni iussu principis protectae* (a detrimento defensae) *repositaeque forent* (in locum suum, unde populus traxerat). Sic et Hillerus locum accepit, et Lünemannus prius *divellebant* reposuerat. Sic etiam Kiesslingius.

Cap. 15. *comitem exitii.* Vocem *exitii* convellunt, ut fiat *exsilii.* Frustra. Nam si Plancina ante dixit sociam se fore *cuiuscunque fortunae*, quid aliud in *cuiuscunque fortunae* voce quaeri poterit nisi *exsilium*? Iam vero maiora promittit, si ita ferret (quod extremum est), comitem etiam se fore exitii. Mox ed. Beroald. *intellegit.*

redintegratamque accusationem. Ernestius et Oberlinus volunt: *redintegrataque accusatione*, malo emendandi studio. Maior haud dubie vis est in vulgata scriptura. Mox ed. Ald. dat *libero* pro *liberto.*

est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. Relatus domum, tanquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit obsignatque et liberto tradit. tum solita curando corpori exsequitur. dein multam post noctem egressa cubiculo uxore operiri fores iussit: et coepta luce perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est.

XVI. Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos eius dictitavisse, litteras Tiberii et mandata in Germanicum contineri: ac destinatum promere apud patres, principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret: nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore. quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad iuventam duraverunt. Caesar flexo in maestitiam ore: suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum:

Cap. 16. *mandata*. Suet. Tib. c. 52. *quem* (Pisonem) *mox hui s criminis reum putant quidam mandata prolaturum* etc.

contineri. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. *continere* edd. Lips. Grut. Pich. sqq. Sed non video, quid veteris scripturae rationem impediat.

nostram ad iuventam. Natales Taciti cadunt inter an. u. c. 805—7. Piso obiit an. 773. Anno. 830 Tacitus iuvenis uxorem duxit. cf. Agr. c. 9. Igitur qui e Pisonis aequalibus 70 vel 80 aetatis annum adsecuti sunt, commode potuere videre Taciti iuventam. Vulgo quidem statuunt iuventam incipere ab anno aetatis tricesimo. Sed scriptores id non stricte observare solent; iuventam etiam dicunt minorem quam 30 annorum aetatem omninoque eam intelligunt, quae est ab initio publicae vitae usque ad honorum accessionem. Sic Noster in Agric. l. l. An. 13, 2. *iuventam imperatoriam*. Infr. c. 29. *Neronem iam ingressum iuventam*.

apud senatum. Variant interpretum opiniones ad h. l. prolatae. Alii lacunam esse censent post *senatum*, atque excidisse verbum, velut *queritur*, *refert* vel simile quid. Boxhornius vero ampliorem etiam defectum suspicatur. Alii integrum esse locum statuunt verbumque *ait*, *dicit* vel tale quid ex Taciti more consulto omissum intelligunt. Recte. Non enim desunt apud Nostrum exempla eius ellipsis, quae hic certe non molesta est, quoniam per verba: *flexo in maestitiam ore*, satis constat Tiberium haec dixisse. Nec copula *que* in *crebrisque* quidquam impedimenti adfert, uti videbatur Ernestio: ea ipsa potius indicat priora intellecto aliquo verbo esse supplenda. cf. not. ad 14, 6. Intolerabilis tamen evadit verbi omissio, si vox *apud senatum*, uti fit in omnibus fere edd., a proxime praecedentibus seiungitur, ut non

crebrisque interrogationibus exquirit, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: „Conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos immortales testor vixisse me, „Caesar, cum fide adversum te neque alia in matrem „tuam pietate: vosque oro, liberis meis consulatis: ex „quibus Cn. Piso qualicunque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit: M. Piso

e *quaesitam*, sed ex intellecto verbo pendeat. Id si Noster voluisset, alio loco eam vocem posuisset, nempe post *Caesar*. Ubi nunc legitur, nullo modo referri potest ad verbum omissum, sed pertinet ad proxime antecedentia: *suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum.* Poterat enim Tiberius videri propterea periculis Pisonem pridie exemisse, ut permissa voluntaria morte reum iudicibus eriperet, et nil profecto ingratius accusatoribus accidere potuit, quam subitus Pisonis exitus. *Invidiam apud senatum* dicit, ut supr. 1, 7. *mirus apud populum favor.* At iam erunt, qui desiderent vocabulum, quo constet in senatu Tiberium haec esse locutum. Id tamen per totum locum satis intelligitur. Nam *flexum in maestitiam os* indicat, publice haec illum disseruisse, et sequentia res in senatu actas non sinunt quemquam praeter Rupertium dubitare. Alibi etiam tacite Noster a rebus quibuscunque subito transit ad res in senatu actas. cf. infr. c. 23.

crebrisque interrogationibus exquirit. Crebrae interrogationes ad quem pertineant, interpretibus non est in promptu. Nam ex senatu Tiberius non potuit exquirere, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Quare cogitant nunc de filii nomine, quod textu exciderit, nunc de liberti. Cogitemus potius de testium interrogationibus (*Zeugenverhöre*), quos in tali causa haud dubie acciverat Caesar interrogandos in senatu. cf. infr. 16, 32. *Mox datus testibus locus.* Talibus interrogationibus eximie convenit verbum *exquirit.*

atque illo ... respondente. Cave, ne referas ad interrogationes modo dictas. Quid enim sapienter ibi, quid inconsultius responderi poterat? Debebant interrogati rem exponere, uti fuerat, ut ita neque sapientiae neque imprudentiae locus superesset. Altius quid spectant illa vocabula. Nimirum *respondere* est verbum de iis, qui sententiam dicunt in senatu. Quare non inepte putabis pronomen *illo* respicere ad vocabulum senatus, scriptoremque dicere: Caesaris relatione de morte Pisonis facta testibusque interrogatis, senatores sententiam dixisse, alios sapienter (h. e. ita ut invidia Tiberii vitaretur; haec enim erat illa sapientia. cf. infr. 6, 10. 14, 60.); alios inconsultius (h. e. ita ut Tiberium viderentur offendisse). Ita textum, qui est, qualicunque modo explico. Minime tamen mihi adrogabo, ut pro integritate loci pugnem.

quatenus. cf. Plin. ep. 3, 7. *Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.*

„repetere Syriam dehortatus est. atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset! eo impensius precor, ne meae pravitatis poenas innoxius luat. Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus et tibi amicus, nec quidquam post haec rogaturus salutem infelicis filii rogo."

XVII. De Plancina nihil addidit. Post quae Tiberius adulescentem crimine civilis belli purgavit: patris quippe iussa nec potuisse filium detrectare: simul nobilitatem domus, etiam ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens: in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant: Id ergo fas aviae interfectricem nepotis aspicere, adloqui, eripere senatui? quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse. Vitellii et Veranii voce defletum Caesarem: ab imperatore et Augusta defensam Plancinam. proinde venena et artes tam feliciter exper-

per collegium cons. Nam consul cum Augusto fuit an. u. 731 non suffectus, sed ordinarius. cf. Dio 53, 30. init.

Cap. 17. *cum pudore et flagitio.* ἓν διὰ δυοῖν ut Hist. 4, 62. *rubore et infamia.* cf. Roth. p. 33.

proinde venena. *Perinde* cod. MS. edd. Beroald. et Alciat, *proinde* edd. Rhenan. Ald. sqq. usque ad Ernest. qui revocavit *perinde.* Bekkerus tamen maluit *proinde.* Difficile est certi quid statuere. Nam *proinde* et *perinde* sexcenties permutari apud vett. libros quis nescit? Immo sunt viri docti, qui discrimen inter utrumque vocabulum statuant nullum. cf. Passow. ad Germ. c. 5. Walch. ad Agr. c. 10. Heusing. ad Nep. Lys. 2, 2. Alii promiscuum usum restringunt ad formulas *perinde quasi* — *perinde ut* — *p. ac* — *p. atque.* cf. I. Casp. Orellius in not. ad Cic. Or. pro Mil. 7, p. 58. — Hess. in *Var. lectt. et observv. in Tac. German.* I, p. 10. censet, *perinde* et *proinde* ab optimis quibusque scriptoribus ubique nullo discrimine usurpari, rarius tamen reperiri *proinde* praecedente *haud* vel *non* (sed vid. not. ad 15, 44.); *proinde*, si adverbium exhortandi sit, nunquam permutari cum voc. *perinde.* Ego concedo promiscuum utriusque vocabuli usum in plerisque formulis obtinere, alterumque pro altero salvo sensu saepissime poni posse, quod etiam ex inscriptionibus demonstrari potest. Nam in monimento apud Gruter. p. 242. invenitur *perinde ac si:* eodem sensu autem *proinde ac si* est in monimento apud Muratori Thesaur. I. p. 362. Neque tamen nego satis luculentum discrimen utriusque vocabuli vim intercedere. Nempe utrumque vocabulum comparationem instituit, diversa tantum ratione; etenim *perinde* nexum temporis aut loci (*ebenso*), *proinde* nexum causae indicat (*demgemäfs*). Boni libri

tas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiamque aviam ac patruum sanguine miserrimae domus exsatiaret. Biduum super haec imagine cognitionis absumptum, urgente Tiberio liberos Pisonis, matrem uti tuerentur. et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quam invidia augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur) nomen Pisonis radendum fastis censuit: partem bonorum publicandam: pars ut Cn. Pisoni filio concederetur isque praenomen mutaret. M. Piso exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio in decem an-

satis constantes sibi sunt in hoc utriusque vocis usu. Igitur *perinde verteret* h. e continuaret vertere; *proinde veteret* h. e. ratione habita gratiae, qua fruatur apud imperatorem et Augustam, verteret. Utrumque loco convenit; sequimur tamen Rhenanum, quia Tacitus in exhortatione constanter habet *proinde.* cf. 1, 11. 16, 26. et alibi.

super haec. Non dictum est de argumento, in quo tractando per biduum versabantur; id enim requireret *super his.* cf. Sueton. Iul. c. 5. *habuit et ipse super ea re concionem.* Sed denotatur res, inter quam vel qua durante aliquid factum est. cf. Sueton. Iul. c. 87. *super coenam.* Id. Oct. c. 77. Tib. c. 56. Plin. epp. 3, 5. et 4, 22. Curt. 8, 4. *super vinum et epulas.* Quam significationem Ryckius perperam dicit huic loco non quadrare. Immo quadrat et eximie loco convenit. Nam *super his* si scribis, tum dicis cognitionis illius molem biduo tantum potuisse perfici: quod minime vult auctor. Sin vero scribis *super haec*, tum dicis, brevius quidem illam consultationem potuisse absolvi, biduum tamen esse consumptum, dum illa consultantur; idque exacte exprimit Taciti mentem. Nam cum indignatione haec eloquitur. Verba: *imagine cognitionis* absolute posita sunt, hoc sensu: *quum tamen imago tantum cognitionis daretur.* Noli igitur cum Ryckio et Broterio scribere: *super hac imagine*, aut cum Ernestio *per haec.* Errant etiam Crollius et Hillerus, quorum ille vulgatum explicat *post haec*, hic *praeter haec.* Wopkens vult: *biduum super* (ut sit pro *super biduum*) *hac imagine* etc. Frustra.

miseratio quam invidia. Sic infr. c. 32. *honori quam ignominiae habendam.* Quae formula vulgo explicatur per intellectum *magis.* At hoc additum aliam redderet sententiam. Nam *miseratio quam invidia augebatur* h. e. invidia non augebatur, sed miseratio. Addito *magis* sensus verborum esset: et miseratio et invidia augebatur, sed illa magis. Eodem modo explicanda sunt exempla illa, de quibus dictum est ad 1, 57. sub verbis: *quanto quis promptus* etc.

eo etiam munere. sc. sententiam dicendi, quod non factum referentibus consulibus.

praenomen mutaret. Quod factum constat e Dion. 59, 20. Nam ibi est *Lucius Piso*, *Plancinae et Cnei Pisonis filius*, praefectus Africae.

nos relegatur, concessa Plancinae incolumitate ob preces Augustae.

XVIII. Multa ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent. et M. Pisonem ignominiae exemit concessitque ei paterna bona, satis firmus, ut saepe memoravi, adversum pecuniam et tum pudore absolutae Plancinae placabilior. Atque idem, cum Valerius Messallinus signum aureum in aede Martis Ultoris, Caecina Severus aram Ultioni statuendam censuissent, prohibuit: ob externas ea victorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda. Addiderat Messallinus Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas, omiseratque Claudii mentionem. et Messallinum quidem L. Asprenas senatu coram percunctatus est, an prudens praeterisset? ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium seu

relegatur. Sic cod. MS. et edd. vett. Mureto et Lipsio auctoribus hodie vulgatur *relegaretur*, quia praecedit *concederetur*. Frustra. Vulgare enim est, senatores sententiam dicentes facere dici, quod fieri volunt. cf. Plin. epp. 8, 14. *Cum interim et qui morte puniebant et qui relegabant* (h. e. morte puniendos, relegandos esse censebant), *una sedebant*. Et mox: *qui libertos morte multabant*; et paulo infra: *Num ergo dubium est, alia omnia sentire eos, qui occidunt, quam qui relegant?* Noster infr. c. 23. *a quo aqua et igni arcebatur*. Sic *M. Piso relegatur* sc. Aurelio Cottae, nihil aliud significat quam: Aurelius Cotta censuit, ut M. P. relegaretur. Inde a vocab. *M. Piso* structura a priori forma deflectit et in verbo *mutaret* finis est sententiae de Cn. Pisone latae. Sequuntur, quae idem de Marco censuit. Consentit Kiesslingius.

Cap. 18. *Iuli*. Cod. MSS. edd. vett. *Iulii*. Sed vid. not. ad 1, 10. Mox cod. MS. *et dum* pro *et tum*. Testatur Iac. Gronovius ad 2, 36. cf. ibi not.

signum aureum. Intellige *Martis Ultoris*. Antea *Messallinus* edd. Lips. Grut. Pich. sqq. *Messalinus* cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. constanter.

aram Ultioni. cf. not. ad 1, 14. Pro *Caecina* ed. Ald. habet *Caecinna*.

ob externas ea victorias. Sic edd. Rhen. sqq. — Beroald. ediderat *victoria*, quod vitium e vicino verbo *sacrari* ortum Victorius in suo exemplari correxit *victorias*. Cf. eiusdem not. ad Cic. ep. 1, 19.

mala tristitia operienda. Plin. epp. 3, 16. *operire luctum*. Id. 7, 25. *Quantum eruditorum, aut modestia ipsorum aut quies operit ac subtrahit famae*. Igitur *mala tristitia operire* erit: ob tristitiam super illis famam eorum silentio abolere.

veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.

XIX. Paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi. Fulcinio suffragium ad honores pollicitus monuit, ne facundiam violentia praecipitaret. Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt. et gliscit utrumque posteritate. At Drusus urbe egressus repetendis auspiciis mox ovans introiit. paucosque post dies Vipsania mater eius excessit, una omnium Agrippae liberorum miti obitu. nam ceteros manifestum ferro vel creditum est veneno aut fame exstinctos.

Cap. 19. *ulciscenda G. morte.* Cur non *ulciscendae mortis* vel *morti?* (Sic vult Günther in Atheu. vol. II. fasc. 2. p. 278.) Quia haec forma aliud quid edicit, quam quod sibi vult auctor. Namque finis *ulciscendae mortis* vel *morti* significat: ultionem non ultra esse executos, quum potuissent; *ulciscenda morte* tempus indicat, tanquam scriberes eum fuisse finem tum, quum G. mortem ulciscerentur, vel ita ad finem perductam esse actionem de ulciscenda G. morte. Sic Hist. 4, 46. *isque finis illa die.* An. 14, 4. *sive explenda simulatione.* Mox ante *etiam* omittitur *sed.* cf. not. ad 4, 35.

audita. Cod. MS. et vett. edd. *audire,* quod defenditur a I. Gronovio, qui substantive capit et ita *audire* opponit compertis. Sed non poenitet emendationis inde ab ed. Gryphiana vulgatae. Herrmannus nuper proposuit: *audiere,* ut ita *quoquo* sit pro *quocunque.* Ceterum cf. Cic. Fam. 5, 5. *Ex multis audivi: nam comperisse me non audeo dicere.*

repetendis auspiciis. Urbem ingressus Drusus imperium amiserat; debuit igitur repetere (*ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχήν*) ut ovaret. Lucem rei adfundunt Liv. 26, 9. Dio 53, 32. cf. Lips. ad h. l.

Vipsania. Sic edd. vett. et recentt. *Vipscania* cod. MS. test. Iac. Gronov.

ceteros. Caium et Lucium supr. 1, 3. Postumum Agrippam ibid. c. 6. Agrippinam infr. 6, 25. et Iuliam 4, 71., in cuius morte ferri aut veneni nulla quidem fit mentio; at fame omnique miseria excruciatam obiisse in exsilio quis dubitabit? Vixit enim ope Augustae sustentata, cui in extrema tum aetate paulum remissam eam curam haud absurde putabimus. *Miti* igitur *obitu* decessisse non poterit dici. Hinc non erat, quod Lipsius Tacitum argueret inconstantiae.

XX. Eodem anno Tacfarinas, quem priore aestate pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis: dein vicos exscindere, trahere graves praedas: postremo haud procul Pagida flumine cohortem Romanam circumsedit. Praeerat castello Decrius impiger manu, exercitus militia et illam obsidionem flagitii ratus. is cohortatus milites, ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit. primoque impetu pulsa cohorte promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos, quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret. simul excepta vulnera. et quanquam transfosso oculo adversum os in hostem intendit, neque proelium omisit, donec desertus suis caderet.

XXI. Quae postquam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta, magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius raro ea tempestate et e vetere memoria facinore decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum non amplius quingenti numero easdem Tacfarinatis copias praesidium, cui Thala nomen, adgressas fuderint. quo proelio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus rettulit, donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. Caesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam

Cap. 20. *memoravi.* cf. 2, 52. Mox cod. MS. *excincedere* pro *exscindere.*

Pagida. Sic recentt. edd. *Pagyda* cod. MS. edd. vett. et Broter. qui idem flumen hodie dici *Abeud* suspicatur. Alius rivus *Pagida* est in Phoenice. cf. Plin. 5, 19.

daret. simul excepta vulnera. et quanquam etc. Sic locum interpungo cum Rhenano aliisque veterum. Ad *excepta* intellige *sunt.* Vocula *et* transitum facit, ut mox c. 21. *et dum ea ratio* etc. Ernestius satis contorte censet verbum aliquod excidisse, velut *ostendit*, vel *ostentat*, *nudat.* Alios addit simili tempore idem fecisse. Respicit ad 2, 17. Sed ibi vide not.

Cap. 21. *fusti.* Hoc Pichena restituit e cod. MS. — Beroald. Rhenan. sqq. ediderant *fuste.*

tantumque severitate profectum. Agric. c. 15. *nihil profici patientia.* Ib. c. 19. *parum profici armis.*

vexillum veteranorum. Vid. not. ad 1, 38.

iure proconsulis. cf. Suet. Tib. c. 32. et Octav. c. 25.

offensus. Sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum: ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans. et dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludificabatur. postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda stativis castris adhaerebat. missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit pellitque in deserta.

XXII. At Romae Lepida, cui super Aemiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompeius proavi erant, defertur simulavisse partum ex P. Quirino divite atque orbo. adiiciebantur adulteria, venena, quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinus post dictum repudium adhuc infensus quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit ac miscuit irae et clemen-

obsidia aspernantibus. Ut supr. 1, 16. *disciplinam et laborem aspernantibus.*

inritum fessumque. Roth. p. 57. hic accipit ἓν διὰ δυοῖν, ut *inritum* sit pro adverbio, sensu *frustra fessum.* Quam rationem confirmat exemplis Ter. Eunuch. 1, 2, 43. *hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.* Lucret. 5, 230 sq. *nec cuiquam adhibenda est Almae nutricis blanda atque infracta loquela.* Post *ludificabatur* punctum posui cum vett. edd.

adhaerebat. Sic Pichena restituit e cod. MS. Prius edebatur *haerebat.* Ceterum diversa est huius loci distinguendi ratio. Ed. Beroald. *Postquam ... castris haerebat. missu patris* etc., ut ita *postquam ... locos* sint antecedens, *inligatus* etc. consequens. Tum vero sequentia languent atque claudicare videntur. Quare edd. Rhenan. sqq. dant *missuque* etc. invito cod. MS., cuius auctoritate Pichena rursus delevit *que.* Ernestius induxit eam rationem, quam hodie sequuntur, ut copulam ante *inligatus* omissam toleres, atque apodosis incipiat a vocabulo *missu.* Quanquam incommodior haec structura melius ita explebitur, ut legas *inligatusque* vel *ac missu.* Utraque particula facile potuit absorberi a vocabulis vicinis.

Cap. 22. *At Romae Lepida.* De eadem re cf. Sueton. Tib. c. 49. *condemnatam et generosissimam feminam Lepidam in gratiam Quirini consularis praedivitis et orbi, qui dimissam eam e matrimonio post vicesimum annum veneni olim in se comparati arguebat.*

Quirino. Sic edd. Ryck. Ernest. sqq. *Quirinio* edd. ante Ryckium. cf. not. ad 2, 30.

quaesitumque per Chaldaeos. cf. 2, 27.

Manio Lepido. cf. not. ad 1, 13.

vertit. Ernestius intelligit *se;* explicat: „mutavit saepe oratio-

tiae signa. deprecatus primo senatum, ne maiestatis crimina tractarentur, mox M. Servilium e consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda, quae velut reticere voluerat. idemque servos Lepidae, cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules, neque per tormenta interrogari passus est de his, quae ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sententiae: quod alii civile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret: quidam ad saevitiam trahebant. neque enim cessurum nisi damnandi officio.

XXIII. Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa la-

nem, modum agendi." Quod contortum est. *Vertit* aeque ac *miscuit* spectat ad *signa irae et clementiae* h. e. ita egit, ut nunc irae, nunc clementiae signa ostenderet. Nam *vertere* inconstantiam denotat; hinc *versutus*. Sic *vertere* et *miscere* irae et clementiae signa evadunt synonyma.

proferenda. Cod. MS. *profenda*, media syllaba omissa. Vid. not. ad 1, 20. I. Gronovius tentabat: *profanda*. Melius acquiescemus in emendatione, quam Beroaldus dedit.

quae velut reticere voluerat. Sic edd. Beroald. Rhen. Ald. *reticeri* ed. Lips. 1607. In prioribus edd. idem c. Grutero retinet *reticere*. Cod MS. test. Pich. *reicere*; hinc ed. Pich. 1607. *reiicere*. Sed ed. Pich. 1609. Bernegg. sqq. reddunt *reticere*, in quo merito acquiescimus. *Voluerat* respicit ad deprecationem, quam scriptor ante dixerat a Tiberio in senatu factam. *Velut* simulationem denotat (*vorgeblich*). cf. supr. 1, 8. *velut praesidio stetere*. Intellige eos non praesidii, sed ostentationis imperatoriae causa stetisse. Ibid c. 10. *quae velut excusando exprobraret*. h. e. excusationis gratia videbatur ea proferre, sed revera exprobrabat. Sic verba: *quae velut reticere voluerat*, significant, quae non revera eos (testes) reticere voluerat, sed tantum velle simulaverat. Ita supervacuam fore Acidalii emendationem: *reticeri*, atque inutilem Ernestii dubitationem spero.

militari custodia. Cuius modus fuit, ut is, qui in noxa esset, catenam manui dextrae adligatam haberet, quae eadem vinciret sinistram militis custodiae adpositi. cf. Lips. in exc. B.

transtulit ad consules. Ut in eorum aedibus haberentur: quae custodia clementior. cf. infr. 6, 3.

consulem designatum dicendae primo loco sententiae. Uti mos ferebat, de quo Appian. Civil. 2, 5. Sallust. Cat. c. 50.

neque enim cessurum nisi damnandi officio. H. e. Tiberium, quod filio auctor esset, ut cederet dicendae primo loco sententiae officio, satis indicare damnationem Lepidae destinatam; nam si absolutionem, tum nullam plane esse causam cedendi. Sic I. Fr. Gronovius et Ernestius. Ricklefs cum Boxhornio facit sensumque constituit, quasi primo loco cessisset, ut postremo iis adsentiret, qui gravissimam ultionem censuissent.

CAP. 23. *ludorum diebus*. Intellige ludos magnos s. Romanos,

mentatione flebili maiores suos ciens ipsumque Pompeium, cuius ea monimenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiae permovit, ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirino clamitarent, cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui destinata quondam uxor L. Caesari ac divo Augusto nurus dederetur. dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. huic Drusus adsensit, quanquam alii mitius censuissent. mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius: compertum sibi etiam ex P. Quirini servis veneno eum a Lepida petitum.

XXIV. Inlustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus Iuniae familiae redditus. casum eius paucis repetam. Ut valida divo Augusto in rem publicam fortuna, ita domi improspera fuit ob impudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit. nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi

a Nonis usque ad Idus Septembr. quotannis et in circo et in theatro celebratos.

ea monimenta. Theatrum Pompeii exstructum an. u. 689. cf. infr. 14, 20. Scriptura *monimenta* est in MS. edd. Ber. sqq. Nuper edidere *monumenta.* Mox *misericordiae* edd. Lips. sqq. *misericordia* edd. Beroald. Rhenan. Ald. Micyll.

effusi. Sc. ii, quorum misericordiam permoverat, homines, multitudo circumfusa; non *effusae* (sc. clarae feminae) uti vult Ruperti.

nurus. Non *pronurus,* uti vulgo explicant. Nam Augustus Lucium adoptaverat. Suet. Octav. c. 64. Noster supr. 1, 3.

dein. Hic subito transit ad res in senatu actas, ludorum diebus praeterlapsis. cf. not. ad c. 16.

Cap. 24. Initium capitis in integrum restituit Mercerus, cuius emendationem recepere Lips. Pich. sqq. Nam vett. edd. legunt: *petitum inlustrium domuum adversa. At enim* etc. idoneo sensu nullo. Ed. Ber. tamen habet parenthesin, quam Rhenan. et Ald. neglexere, puncto posito ante *solatio.* — *solatio adfecit.* Quem? *Adversa inlustrium domuum* h. e. inlustres domus in adversis.

valida . . in rem publicam fortuna. Ernestius mavult *in re publica,* dubitatque *fortunam in rem p.* an dici possit. Alii censent coniungenda *valida in.* Sed ponitur hic praepos. *in* eadem vi, atque Graecorum εἰς, ut sit *quod attinet ad.* Eurip. Or. 533. ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνήρ, πλὴν εἰς θυγατέρας. cf. Xen. Oecon. 18, 1. Anab. 2, 6, 30. H. G. 7, 4. 30.

nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus simul cetera illius aetatis memorabo, si effectis, in quae tetendi, plures ad curas vitam produxero. D. Silanus in nepti Augusti adulter, quanquam non ultra foret saevitum quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit: nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est, M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano patribus coram respondit: se quoque laetari, quod frater eius e peregrinatione longinqua revertisset: idque iure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret. sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones: neque reditu Silani dissoluta, quae Augustus voluisset. Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est.

XXV. Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes

simul cetera. cf. infr. 4, 16. *simul roganda.*

tetendi. Cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. *tendi*, sine reduplicatione, quam scripturam defendunt exemplis in aliis MSS. obviis. Senec. Herc. fur. 538. Liv. 37, 53. Propert. 3, 8. et 6, 37. Heinsius tamen corrigebat: *in quae intendi*; Wopkens. *quae intendi.* Sic nuper Kiessling. Ernestius sqq. *tetendi.* Idem Ernest. Hist. 4, 50. *tendit* ex fide quorundam librorum mutavit in *contendit.* Vid. ib. not. Groslot. et Ruperti malunt: *in quae tendo.*

plures ad curas vitam produxero. Vid. *praefat.* in § *de scriptis Taciti.*

qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat. Acidalii coniectura: *qui super insignem nobilitatem et eloquentia pr.* et Wopkensii: *qui praeter ins. nob.* etc. sensum verborum non mutat; idem vulgatis inest. Nam qui super insignem nobilitatem et eloquentia praecellit, is per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellit. Eiusmodi emendationi tum demum locus esset, si in textu verba essent sic: *qui per nobilitatem insignem et eloq.* etc.

longinqua. cf. not. ad 1, 53.

non senatus consulto. Ut Agrippa Post. supr. 1, 6.

non lege. h. e. per iudices et sententiam ex lege. cf. Ovid. Trist. 2, 135. et Lips. ad h. l.

Cap. 25. *Papia Poppaea.* De qua lege cf. Lips. in exc. C. Anton. Augustin. de legibus (Thes. Tom. II. p. 1207 sq.). Heinecc. Antiqu. 4, 18, 51. In primis Iac. Gothofredus in *quattuor fontib. iur. civ.* et Fr. Ramos del Manzano, cuius de hac lege commentarius insertus est Meermanni Thes. iur. civ. et can. T. V.

senior Aug. Lata enim est lex illa an. u. 762. M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo Secundo coss. suffectis.

post Iulias rogationes. An. u. 757. lata est lex Iulia de maritan-

incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat: nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur: utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, ut de principiis iuris et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

XXVI. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere eoque sine poena aut coercitionibus agebant: neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra

dis ordinibus, quam prius aliquoties rogatam perferre non potuerat prae tumultu recusantium. cf. Sueton. Oct. c. 34.

incitandis caelibum poenis. Lipsius verbum *incitandis* explicat *augendis atque intendendis.* Heinsius coniicit legendum esse *irritandis* vel *invitandis.* Alii alia censent et sine causa haerent. Nam quae languida et remissa agunt, *incitari* dicuntur; idque cadit in poenas lege Iulia constitutas, quae non satis acres videbantur eludebanturque vario modo. Si plane iacuissent, Noster scripsisset *excitandis.* At non iacebant, sed languescebant; erant igitur *incitandae.* Ernestius dubitabat, an poenae caelibum fuerint ante legem Pap. Poppaeam: nonne succurrebat lex Iulia de maritandis ordinibus?

augendo aerario. Multa enim capita ea lex habebat de *caducis, vacantibus, ereptíciis,* aliisque populo vindicandis.

nec ideo. Incitamenta igitur legis Caesaris spem fefellerunt.

praevalida orbitate. H. e. quia potior habebatur orbitas. Rem illustrat Senec. cons. ad Marc. 19.

delatorum interpretationibus. Ferebat enim lex: *Si quis incapaci relictum ad aerarium detulerit et convicerit, is praemii nomine ... partem bonorum consequitor.* Secundum Heinecc. c. 58.

subverteretur. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. Pichen. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — Edd. Lips. Grut. Gronov. Bernegger. Ryck. *subverterentur.*

Cap. 26. *honesta suopte ingenio peterentur.* I. Fr. Gronovius *suopte ingenio* recte refert ad *honesta,* ut ita honesta propter se ipsa peti dicantur, non ob praemia. Commode adfert Liv. 2, 30. *ut imperium, suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio.* Utuntur enim *ingenii* vocabulo, ut exprimatur nostrum *Natur,* Gr. *φύσις.* Tac. Hist. 2, 4. *ingenium montis.* An. 6, 4. *ingenium locorum.* Hist. 5, 14. *camporum suopte ingenio humentium.* Ernestius tamen cum aliis illa refert ad *peterentur* dicitque *suopte ingenio* esse *sponte,* opponi *praemiis.* Iam vero satis recte quidem aliquis *suopte ingenio* aliquid petere dici potest, ut sit *sponte;* neque tamen video, quomodo *honesta suopte ingenio peti* possint, ut *suopte ingenio* trahatur non ad ea, quae petantur, sed ad eos, qui petant. Id plane contortum est. Honesta petuntur, quae si suo ingenio petuntur, non aliorum peti ingenio intelligi possunt. Ex Ernestii interpretatione necessa-

morem cuperent, nihil per metum vetabantur. at postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim aut postquam regum pertaesum leges maluerunt. Hae primo rudibus hominum animis simplices erant: maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solon perscripsit. Nobis Romulus ut libitum imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit: repertaque quaedam a Tullo et Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent.

XXVII. Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae: creatique decemviri, et accitis quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. nam secutae leges etsi aliquando

rio cum Acidalio scribendum erat *peterent*; iam vero egregie fallebatur interpres, quum alium exeundi modum invenisse se putaret.

modestia ac pudore. Prius cernitur in eo, quod animus altiora cupiens abest; alterum in aspernandis flagitiis. Quare non satis recte Roth. p. 7. haec inter synonyma rettulisse videtur.

incedebat. Nostrum *auftreten.* cf. not. ad 1, 35. h. e. *oriri*, ut infr. 3, 36. 15, 37. Ceterum et hic vett. edd. dant *incidebat*; edd. Lips. sqq. *incedebat.* cf. not. ad 2, 55.

provenere. Sic edd. Lips. sqq. *provenire* edd. Beroald. Rhen. Ald. Micyll. quod aeque bonum est.

Solon. Sic edd. *Solo* cod. MS. et nuper Kiesslingius.

religionibus et divino iure. Haec quoque Roth. l. l. synonyma dicit. Oritur sane *ius divinum* e religionibus; propterea tamen utraque synonyma non dixerim. Semel monuisse sufficiat, non omnia esse synonyma, quae natura sua arte coniuncta esse solent.

Cap. 27. *factiones.* Ed. Ald. *factionis.*

tuendae libertatis et firmandae concordiae. cf. not. ad c. 7. et 2, 59.

finis aequi iuris. Freinshemius *aequum ius* interpretatur: „consensu ordinum introductum." Maluerim intelligi legum *σύστημα*, quae aequitate nituntur. Nam *aequum ius* opponitur iuribus ita dictis, quae per vim parantur. *Finis* Freinshemio nihil aliud est, quam extremum tempus, ut supr. 2, 34. et infr. 15, 50. Cum Freinshemio consentit Hillerus in Racem. 23. Ernestio autem finis accipitur de absolutione et perfectione iuris. cf. Cic. Planc. 25., ubi *consulatus* dicitur *finis honorum populi.* Id. Tusc. 2, 1. ubi *finis sperandi* est summum, quod quis sperare potest. Verum ad tempus respicere vocabulum *finis*, satis patet ex oppositis: *nam secutae leges.* Hoc sibi vult, leges post duodecim tabularum confectionem secutas non pertinuisse ad aequum ius, illas-

in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt. Hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis: nec minor largitor nomine senatus Drusus: corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum, quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia quoquo vellent populum agitandi.

que esse *fontem unicum omnis publici privatique iuris*, uti vocat Liv. 3, 34. Etenim de legum latione iurisque constitutione hic esse sermonem, non de iuris legumque usu, e contextu patet.

in maleficos ex delicto. Lex Calpurnia repetundarum a. u. 605. Hostilia de furtis, incerto anno; Peducaea de incestu an. u. 641. et aliae.

dissensione ordinum. Ut lex Valeria Horatia an. 305. *ut quod tributim plebs iussisset, populum teneret;* repetita an. 425. lege Publilia; lex Canuleia de connubiis plebis an. 309. Potissimum *leges agrariae* diversi temporis.

apiscendi inlicitos honores. Lex Sextia Licinia de consule plebeio creando an. 387. et aliae huius generis.

pellendi claros viros. Sc. in exsilium, ut Camillum aliosque. Coriolani exsilium, quod huc trahunt, ante duodecim tabulas fuit.

largitor. Per legem agrariam et aliam de civitate sociis danda an. u. 663.

nomine senatus. Cf. Cic. pro Milon. c. 7. Vellei. 2, 13 et 14.

corrupti spe. Sc. iuris civitatis. Flor. 3, 17.

inlusi per intercess. Flor. l. l.

bello — Italico. An. u. 664—666. Per id tempus latae sunt leges Iulia de civitate cum sociis et Latinis communicanda; Plotiae, iudiciaria, de vi armatis hominibus, de civitate.

otium eius rei. Sic ed. Beroald. e cod. MS. et inter recentt. Iac. Gronov. Broterius. *ei rei* edd. Rhenan. seqq. et recentt. Sed *otium eius rei* dictum est ut apud Cic. Cat. 4, 4. *mors laborum ac miseriarum quies est.*

statim turbidis Lepidi rogationibus. Flor. 3, 23. Varie hic locus in edd. distinguitur. Rhenanus: *paravit, statim t. L. rogationibus: neque multo — agitandi.* Is *reddita licentia* accipit in nominativo. I. Fr. Gronovius et Oberlinus, quique illos sequuntur plurimi: *paravit; statim t. L. rogationibus, neque — agitandi.* Rectius Bekkerus, quem sequimur. Nam verba: *statim turbidis L. r.* sqq. rationem reddunt antecedentium, explicant vocem *haud in longum.* Ablativi exprimunt caussam, cur non longius huius rei otium fuerit, sc. propter turbidas L. rogationes et tribunis redditam licentiam. *Turbidis* active ponitur, pro *turbantibus.*

tribunis reddita licentia. Per legem tribuniciam Pompeii, an. u. 684. cf. Cic. act. 1. Verr. c. 15. Id. de Legg. 3, 7 et 9.

Iamque non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones: et corruptissima re publica plurimae leges.

XXVIII. Tum Cn. Pompeius tertium consul corrigendis moribus delectus et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia: non mos, non ius: deterrima quaeque impune ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Caesar Augustus potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit, deditque iura, quis pace et principe uteremur. acriora ex eo vincla, inditi

sed. Omissum *etiam*. Vid. not. ad 1, 77.

in singulos homines l. q. Cic. pro Dom. c. 17. Id. de Legg. 3, 19. Gell. 10, 20.

Cap. 28. *Pompeius tertium consul.* An. u. 702. Dio 40, 50.

corrigendis moribus delectus. Nam primum in eo erat, ut dictator nominaretur; deinde consulatum accepit sine collega.

gravior remediis. Tulit legem de ambitu, alteram de vi; deditque formam iudiciorum breviorem, poenam constituit graviorem. Dio 40, 52 sqq.

subversor. Testes sunt Sueton. Iul. c. 28. et in primis Dio 40, 56.

exin .... discordia. Exin, e tertio Pompeii consulatu, ab an. 703. *per viginti annos*, usque ad victoriam Actiacam an. 723. reportatam, qua discordiae finis impositus est. Non igitur, ut Lipsio videtur, rotundus, sed exactus numerus hic est. Nam sextum Augusti consulatum Tacitus minime posuit ut discordiae terminum, sed ut principatus constituendi initium.

abolevit. Dio 53, 2.

quis pace et principe uteremur. I. Fr. Gronovius praeeuntibus Rhenano et Pichena explicat: *quis aleremur, regeremur, viveremus per pacem sub principe.* Maluerim: *quae erant comparata s. facta in usum pacis et principatus.* Est hic ablativus temporis, ut apud Suet. Iul. c. 11. *proscriptione.* Freinshemius sententiam constituebat hanc: „iura dedit ita comparata, ut eorum beneficio certa restitutae tranquillitatis bonique principis utilitas ad civitatem pertingeret." Acutius quam verius.

acriora ex eo vincla. Intellige legum (cf. Quintil. 5, 10.) h. e. necessitatem parendi legibus (*Strenge der Gesetze*). Quae vincla et *acriora*, ut hic ferunt libri, et *artiora*, uti quidam coniiciunt legendum esse, dici possunt, sensu tamen paulum diverso. Nam *artiora* sunt vincula, si leges propter diligentiam, qua conceptae sunt, spatium non relinquunt effugiendi ultionem; *acriora*, si leges strenue exercentur atque custodiuntur. Hoc Nostro hic agi neminem fugit. Sic apud Sueton. Iul. c. 67. *punitor acerrimus* h. e. qui non connivet. Id. Tib. c. 19. *disciplinam acerrime egit.* Tacit. An. 6, 48. *acrius servitium.* 1, 5. *acribus custodiis. Acrioribus* opp. *mitiora; artioribus solutiora.*

custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret: sed altius penetrabant, urbemque et Italiam et quod usquam civium, corripuerant, multorumque excisi status: et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

XXIX. Per idem tempus Neronem e liberis Germanici iam ingressum iuventam commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quaesturam peteret, non sine inrisu audientium postulavit. praeten-

inducti, ut, si a privilegiis .... teneret: sed etc. Cod. MS. edd. Beroald. Ald. *inducti uisi a priv.* etc. Rhenan. *inducti * uisi.* Quae quum aperto vitio laborent, varie tentata sunt. Rhenanus in castigatt. *inducti* (subaudi, *sunt illi custodes*), *si a pr.* etc. vel *sicubi a pr.* etc. vel *praemiis inducti vi*, veluti praemiis cogentibus. Vertranius: *praemiis inducti, ne si a privilegiis parentum cessaretur, velut p. o. populus vacantia teneretur.* Salinerius et nuper Herrmannus: *inducti, vi, si a pr.* etc. Danesius: *inducti, nisi a pr.* Alii alia, quae aeque parum apta sunt. Palmam praeripuit Lipsii emendatio: *inducti, ut, si a pr.* etc., quae iam omnes possidet libros. Interpretantur: „si ab illis privilegiis per matrimonium et susceptos liberos appetendis caelibes cessarent." At quis unquam eo sensu dixit *cesso a privilegiis*, ut esset *cunctor privilegia consequi? Cessare ab aliqua re* potius est *abstehen von einer Sache, dieselbe aufgeben.* Etenim lege Papia Poppaea lata videndum erat, ne privilegia in ea lege parentibus constituta retinerentur ab iis, qui contra legem in caelibatu et orbitate permanerent, postquam temporis spatium ad ineunda matrimonia concessum praeterierat, utque, si a privilegiis illis cessaretur, vacantia secundum illam legem ad populum deferrentur. Olim coniiciebam locum esse legendum: *inducti, iussi, a privil. p. cessaretur* etc. Hodie satis dubito, an haec Lipsii emendationi sint praeferenda. De verbo *visi* mutando in *iussi* cf. not. ad 1, 8. sub verbis: *ex quis maxime insignes visi.*

altius penetrabant. Intellige: quam erant iussi.

excisi status. Plin. Panegyr. c. 34. de eadem re similia plane refert.

legis nexus. Vocabulum usitatissimum in iure, i. q. vincula.

Cap. 29. *Neronem.* cf. Suet. Tib. c. 54. De Neronis morte vid. infr. 5, 3 sqq.

vigintiviratus. De hoc magistratu cf. Dio 54, 26. et 60, 5.

quam per leges. cf. praefat. in § de Taciti aetate, et Lips. in exc. ad h. l.

quaesturam. Sic edd. Ernest. Oberlin. sqq. *quaesituram* edd. Beroald. sqq. quod Kiessling. restituit. Sed quaeritur, cur hic legamus *quaesituram*, alibi *quaesturam?*

debat sibi atque fratri decreta eadem petente Augusto. sed neque tum fuisse dubitaverim, qui eiusmodi preces occulti inluderent: ac tamen initia fastigii Caesaribus erant, magisque in oculis vetus mos et privignis cum vitrico levior necessitudo quam avo adversum nepotem. Additur pontificatus et quo primum die forum ingressus est congiarium plebi admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem aspiciebat. Auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae. Utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur. polluisse nobilitatem familiae videbantur suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse.

sibi. Dio 55, 28. *fratri.* Id. 54, 10. Decreta eadem Germanico refert Sueton. Cal. c. 1.

occulti. Heins. emend. *occulte.* Frustra. cf. infr. 4, 12. *occulti laetabantur;* ib. c. 40. *non occulti ferunt.* Sallust. Iug. c. 61. *uti ad se occultus veniat.* Tac. Hist. 3, 47. *subitus inrupit.* Germ. c. 6. *rari gladiis utuntur.* Ramshorn. Gr. § 151. p. 297.

ac tamen. Gr. καὶ τοι cf. 6, 30. Perperam Muretus emend. *haec tamen.*

quo primum die. Diem tirocinii dicit Suet. Cal. c. 1. qui et de congiario plebi dato eadem refert.

nuptiis. Igitur non rata fuit pactio prius inita cum Silani filia, supr. 2, 42. sive mors illam abstulit.

secundo rumore. Horat. Ep. 1, 10, 9. *Quae vos ad coelum effertis rumore secundo.* cf. interpretes ad Virgil. Aen. 8, 90.

filio Claudii. Druso, qui per lusum piro in sublime iactato et hiatu oris excepto strangulatus est, cum ei ante paucos dies filiam Seiani pater despondisset. Sueton. Claud. c. 27. Dio 60, 32.

videbantur. Sic cod. MS. edd. vett. sqq. Et Freinshemio quidem intelliguntur *ii, quibus auctoribus id gestum erat.* Dissentit I. Fr. Gronovius, qui mutat *videbatur,* sc. Tiberius. Quam coniecturam recentiores in textum recepere. Sed unde hic statim Tiberii nomen legenti succurrere possit, non satis video. Immo verbum *videbantur* pendet e nominativo *familiae,* quae intelliguntur *Claudia* et *Iulia.* Namque Claudii et Iulii per Liviae aliasque adoptiones ita coaluerant, ut iidem fere essent et Iulii et Claudii. Quae ratio si dubia adhuc tibi videatur, lege infr. 6, 8. *Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem, quas adfinitate* (desponsata Druso filia) *occupaverat, tuum, Caesar, generum — — colebamus.* Sic et alibi *familiarum* voce significantur Claudii et Iulii. cf. 1, 26. *filios familiarum.*

ultra. Sic cod. MS. ed. Ber. Restituit Ernestius sqq. Nam edd. Rhen. sqq. dederant *ultro,* quod defenditur a Baumgarten-Crusio ad Sueton. Claud. c. 27. At *ultra* optime loco convenit; respicit ad *nimiam spem* Seiani, *ultra* quam nunc elatus esse videbatur. *Suasmet ipse spes anteiverat.* cf. infr. c. 66.

XXX. Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia neque tamen praeturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator. Crispum equestri ortum loco C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. atque ille, quanquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et adfluentia luxu propior: suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit: idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est, quod cupiant.

XXXI. Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam connexus fuerat. Eius

Cap. 30. *consulatum.* Consulem suffectum intelligi docent fasti, in quibus Volusii nomen deest.

legendis equitum decuriis. Equites Romani per turmas dividebantur; turma rursus decurias complectebatur tres. Quare ordinem equestrem nunc *turmas equitum* (Suet. Oct. c. 37 et 38.), nunc *decurias equitum* dicunt. Suet. Tib. c. 41. ubi *decurias equitum* perperam alii de re militari, alii de iudicum decuriis accipiunt, quum potius de ordine equestri supplendo ibi sermo sit, ut hic.

immensum. Sic *aeternum* supr. c. 26. Vid. not. ad c. 52.

Romanarum. Sic edd. Rhen. sqq. Ed. Beroald. *Romanorum.*

capessendos. Ed. Ald. *capescendos*, ut supra.

per cultum et munditias. Inter synonyma haec refert Roth. p. 8. Sic mox: *copia et adfluentia, somnum et inertiam.*

luxu propior. Pro *luxui.* cf. Voss. de Anal. 2, 18. Ramshorn. Gr. § 80. 2.) Priscian. lib. 7, p. 271 (ed. Bas. 1545). Gell. 4, 16. Oudendorp. ad Caes. B. G. 1, 16. — Agr. c. 6. *famae propior.*

idque et Maecenati acciderat. cf. Suet. Oct. c. 66.

Cap. 31. *neque natura tam connexus.* Quanam natura? Utriusque consulis. Nam Germanici na-

anni principio Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo praetura functus de L. Sulla nobili iuvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. certabantque orationibus et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit: et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et impervia clamitando exsecutionem eius negotii libens suscepit: quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat.

XXXII. Neque multo post missis ad senatum litteris Tiberius motam rursum Africam incursu Tacfari-

tura recedebat multum a Tiberii; Drusus vero et Tiberius invicem similiores. I. Fr. Gronovius frustra volebat *connexis*.

materiem. Sic cod. MS. vett. edd. hic et 1, 76. Dein inrepserat *materiam*, uti est in edd. Lips. Pich. Grut. sqq. — Iac. Gronovius sqq. restituere veterem scripturam.

loco non decessisset. Nam spectacula gladiatorum in amphitheatro, in septis et alibi edebantur, ubi non ut in theatro proprias habebat uterque ordo sedes. De loco editionis hic Noster tacet.

certabantque. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. Ald. et Iac. Gronov. *certabant* sine *que* edd. Lips. Pich. sqq. et quae post Iac. Gronovium prodiere.

ea aetate. Edd. Beroald. Rhen. Ald. omittunt *ea*, quod bene addidit Ferretus, et recepere Lips. sqq.

idem Corbulo. cf. Dio 59, 15. qui huic loco claram adfundit lucem.

exsecutionem. H. e. ultionem fraudis et incuriae, qua itinera corrupta esse dicebantur.

quorum in pecuniam. Lipsius cogitat de possessoribus agrorum viis vicinorum. Immo in eorum pecuniam saeviebat, qui viarum curam habuerant ac pecunias in eam rem acceptas non videbantur insumpsisse. Vid. Dio l. l.

natis docuit, iudicioque patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore validum et bello suffecturum. quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus M'Lepidum odii nactus ut socordem, inopem et maioribus suis dedecorum eoque etiam Asiae sorte depellendum incusavit, adverso senatu qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat. Igitur missus in Asiam. et de Africa decretum, ut Caesar legeret, cui mandanda foret.

XXXIII. Inter quae Severus Caecina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, multum ante repetito concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque, quae in publicum statueret, domi servavisse, cohibita intra Italiam, quanquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia

Cap. 32. *pro consule*. Sic cod. MS. edd. Beroald. Ald. Nec quidquam impedit, quo minus ita legatur cum I. Gronovio sqq. cf. not. ad 2, 52. Edd. Rhenan. sqq. *proconsulem*.

M' Lepidum. Ita edidi cum Ryckio, ut intelligatur idem Lepidus, de quo legimus supr. c. 22., quanquam libri omnes habent *M. Lepidum*. Etenim duo omnino sunt Lepidi, qui hucusque in Annalium scena egerunt: *M. Aemilius Lepidus*, de quo dictum est 1, 13. idem nobis occurrit mox c. 35. et 4, 20 etc. (Vid. not. ad 1, 13.) Alter *Manius Aemilius Lepidus* 3, 22. Iam illum, qui c. 35. legitur, intelligendum esse M. Aemilium Lepidum, laudatum a Tacito 1, 13. et 4, 20., nemo dubitabit. Nam virum Tiberius quaerebat gnarum militiae et bello suffecturum (initio huius capitis). Quis autem sibi persuadebit, eundem Lepidum et missum in Asiam et nominatum a Tiberio inter eos, e quibus Africae proconsul legeretur? aut eundem esse imperii capacem (1, 13.) militiaeque gnarum belloque suffecturum (3, 32.), quem Sex. Pompeius increpat socordem, inopem et maioribus suis dedecorum? Diversus igitur est hic Lepidus in Asiam missus a M. Lepido illo. At nonne Lepidus in Asiam missus, diversus quidem a Lepido 1, 13. et 3, 35., eodem tamen potuit uti praenomine? Minime. Nam si ita esset, aliquod saltem discriminis signum Noster addidisset. Quis feret hic simpliciter dici *M. Lepidum* et mox c. 35. iterum *M. Lepidum* sine ullo documento, unde intelligere possis, diversum fuisse utrumque virum?

nactus. Sic edd. Beroald. sqq. *nanctus* cod. MS.

paternas ei angustias. Sc. esse, h. e. non sua culpa ortas, sed a patre acceptas.

sine probro. Sc. mali quaestus, quo opes parare posset.

honori quam ignominiae. cf. not. supr. ad c. 17.

Cap. 33. *Caecina*. Ed. Ald. *Caecinna*, uti solet.

sex partus enixam. cf. 1, 10. *edito partu*.

quadraginta stipendia. cf. 1, 64.

explevisset. Haud enim frustra placitum olim, ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed, si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum: incedere inter milites, habere ad manum centuriones: praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari: his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et impotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae nunc vinclis exsolutis domos, fora, iam et exercitus regerent.

XXXIV. Paucorum haec adsensu audita, plures obturbabant neque relatum de negotio neque Caecinam dignum tantae rei censorem. mox Valerius Messallinus,

imbecillum. Sic ed. Beroald. *imbecillem* edd. Rhenan. sqq. — Pich. Bernegg. sqq. restituerunt veterem formam. cf. 1, 56. et mox c. 34.

praesedisse nuper feminam. cf. 2, 55. Ed. Beroald. addit *et* ante *nuper*. Haud inepte.

cohortium. Hoc vocabulum ex oppositione legionum de auxiliaribus intelligendum erit, inter quos et equites erant. cf. 4, 5. *alaeque et auxilia cohortium*. Contra 2, 55. cohortes equitibus opponuntur, ut intelligas et auxiliares pedites et legionarios.

decursu. Ut c. 30. *luxu*.

duo esse praetoria. Male Germanice convertunt: *Feldherrnzelte*. *Praetorium* in castris haud dubie est tabernaculum s. tentorium, in quo praetor vel dux summus habitat; in provincia domus proconsulis aut propraetoris et ad habitandum et ad res praetorias agendas: hinc locus iurisdictionis. Et hunc quidem sensum vocabuli Caecina in animo habuit, quum diceret *duo esse praetoria* h. e. duplicem esse in provincia iurisdictionem rerumque administrationem. Id sibi velle Caecinam patet etiam e sequentibus: *pervicacibus — iussis*, quibus innuit non solum duo esse praetoria, sed praevalere etiam mulieris praetorium, ut ita maior sit potentia apud hanc quam apud maritum.

Oppiis .. legibus. cf. Liv. 34, 1.

nunc vinclis exsolutis. *Nunc* ed. Beroald. Restituit Rhenanus, quum Alciatus edidisset *non*. — *Vinclis exsolutis* ut ante c. 28. *exsoluti — nexus*. Hist. 3, 12. *vincla exsoluta*. Supervacanea igitur fuit Acidalii emendatio: *vinculis exsolutae*.

CAP. 34. *neque relatum*. Per egressionem igitur Caecina eam sententiam exprompserat. cf. 2, 38.

cui parens Messalla ineratque imago paternae facundiae, respondit: Multa duritiae veterum melius et laetius mutata: neque enim ut olim obsideri urbem bellis aut provincias hostilis esse. et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent: cetera promiscua cum marito nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnes caelibes integros? placuisse quondam Oppias leges sic temporibus rei publicae postulantibus: remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. porro ob unius aut alterius imbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum

multae duritiae veterum melius et laetius. Dicunt in cod. MS. esse *duritie.* Quod si verum est, *duritie* puta scriptum pro *duritiae,* uti edidit Beroaldus. Persaepe enim *e* et *ae* sic permutantur in vett. libris. Rhenanus et Aldus sqq. habent *duritie.* Ursino auctore Pichena restituit Beroaldinam scripturam. Acidalius consentiente Mureto volebat: *multa a duritie veterum in melius et laetius mutata.* Heinsius: *multa duritiae veteris.* Ernestius cum Oberlino et seqq. edidere: *multa duritie veterum in melius et laetius mutata.* Accipiunt *duritie* pro *duritiei* in genitivo, antiqua forma, de qua refert Gell. 9, 14. Wopkens. exponit per *multa ex duritie.* Sed non video, quid veterem scripturam impediat? Nam eodem plane modo Liv. 1, 47. *eo nunc peius mutata est res, quod isthic cum ignavia est scelus.* Sic *melius et laetius mutata* sunt, quae mutationem in melius et laetius sunt experta. Ceterum 6, 34. *duritiae* Noster scripsit, nec *duritiei* vel *duritie.* Herrmannus legit: *multa duritie veterum melius et laetius mutata,* ut intelligas: multa melius et laetius, quam durities esset veterum, mutata. Quae ratio posset defendi exemplis 6, 16. *ne quis unciario fenore amplius exerceret.* 3, 64. *inferius maiestate principis.* Sallust. Iug. c. 53. *Metellus amplius opinione morabatur.* cf. not. ad 14, 43.

post laborem. Ne coniunge *revertentibus post laborem,* sed *revertentibus quod levamentum post laborem honestius quam uxorium.* Ita verba *post laborem* non ut Bongarsio frustra tibi videbuntur adesse.

natura invalidum deseri et exponi suo luxu, cupidinibus alienis. vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur? Sic obviam irent iis, quae alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. Addidit pauca Drusus de matrimonio suo. nam principibus adeunda saepius longinqua imperii. quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia? se quoque in Illyricum profectum et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur.

XXXV. Sic Caecinae sententia elusa. Et proximi senatus die Tiberius per litteras castigatis oblique patribus, quod cuncta curarum ad principem reiicerent, M. Lepidum et Iunium Blaesum nominavit, ex quis proconsul Africae legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum valetudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intelligereturque etiam, quod silebat, avunculum esse Seiani Blaesum atque eo praevalidum. Respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem adseveratione et consensu adulantium haud iutus est.

XXXVI. Exin promptum, quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cui-

discidii. Sic edd. Beroald. Rhen. et dein Bernegg. sqq. — Aldo praeeunte edd. Lips. Pich. Grut. *dissidii.* Vitiose. cf. 2, 86.

ab uxore. Sic edd. Beroald. Rhen. sqq. — Oberlin. et qui illum sequuntur, omittunt *ab.*

tot .. liberorum. cf. c. 56.

Cap. 35. *M. Lepidum.* Vid. not. ad c. 32.

Iunium Blaesum. cf. 1, 16. Mox *proconsul* edd. Rhenan. Ald. sqq. *pro consule* edd. Beroald. Iac. Gronov. e cod. MS. Recte forsitan. Non enim *proconsul* (h. e. vir proconsulatu praeditus) legendus erat, sed legendus unus ex illis *pro consule.* cf. not. ad 2, 52. 66. 3, 32.

et consensu adulantium haud iutus est. Cod. MS. test. I. Gronovio *haud iustus est.* Unde Beroaldo auctore vett. edd. et sqq. habent *auditus est.* Felicius I. Gronovius emendavit *haud iutus est.* Etenim si adulatores iuvissent Blaesum in recusanda provincia, tum recusatio vera potuisset videri. Iam vero cum uno consensu tacerent vel etiam recusanti reniterentur, nemo ignorabat speciem tantum recusantis prae se ferre Blaesum.

Cap. 36. *incedebat.* cf. not. ad c. 26. Ceterum ne coniunge *incedebat det. cuique,* sed *det. cuique licentia.* Sic supr. 2, 55. *intra decora fe-*

que licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi adrepta imagine Caesaris: libertique etiam ac servi, patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius senator disseruit: Principes quidem instar deorum esse: sed neque a diis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quenquam in capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem imperatoris oppositam. Haud dissimilia alii et quidam atrociora circumstrepebant, precabanturque Drusum, daret ultionis exemplum, donec accitam convictamque attineri publica custodia iussit.

XXXVII. Et Considius Aequus et Coelius Cursor equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari. neque luxus in iuvene adeo displicebat. huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret,

minis se tenebat; 1, 22. *plures seditioni duces*; 1, 51. *per quos exercitui regressus.* Vid. not. ad 1, 3. Ramshorn. Gr. § 116. p. 199. not. 2.

probra et invidiam. Secundum Roth. p. 51. ἓν διὰ δυοῖν *invidiam per probra.*

C. Cestius senator. Uti hic et multis locis (cf. 1, 75. 2, 27. 6, 38. 12, 42.) vocabulum *senator*, ita 3, 31. 2, 33. et alibi adduntur *consularis*, *praetorius*, *praetura functus*, taliaque, ut accuratius describantur viri, de quibus per praecedentem narrationem nondum constat. *Senator* tum indicat virum neque esse praetorium, neque consularem, nec denique in magistratu versantem, sed pedarium tantum senatorem. cf. infr. 3, 66. Lipsius pro *senator* volebat *senior* vel *senatu.* Male.

ius experiri. *Ius* sc. quod Cestio est in fraudis damnatam; *experiri*, tentare iuris exsecutionem. Vocabulum *ius* immerito suspectum erat Lipsio; nam necessario adest.

et quidam. Male Heinsius: *et quidem*, mero emendandi studio.

convictam. Sc. probrorum et minarum, quibus Cestium petierat.

Cap. 37. *Coelius* edd. Lips. sqq. *Caelius* edd. vett.

auctore principe. H. e. Tiberio, ne quis putet Druso, quod suspicatur Ruperti. Vide sequentia.

diem aedificationibus. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. At Lipsius quaerit: „Quis apud Romanos viro principi aedificationes vi-

quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret.

XXXVIII. Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Caesium Cordum proconsulem Cretae postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem e primoribus Macedoniae absolutum adulterii increpitis iudi-

tio dedit? et ut vitium sint, quis scriptor id prodidit de Druso?" Ad quae respondeo: Aedificandi studium in publicis operibus tuendis reficiendisve positum, ut Agrippae, Augusti aliorumque sane laudi quam vituperio illis fuit. Sed in privatis aedificationibus parcum laudabant iuxta eum, qui magnificus esset in publicum. cf. Plin. Panegyr. c. 51. Tac. An. 6, 45. *modicus privatis aedificationibus*. Et in aedificando profusum vituperabant. cf. Sueton. Ner. c. 31. Quare miror, quomodo illa Lipsio excidere potuerint. Magis miror Lipsii emendationem *editionibus* inde a Grutero in omnes edd. receptam. Iam licet Drusi nomen publicis operibus non innotuerit, potuit tamen aedificator (Nepos Att. c. 13. Iuvenal. 14, 86. Flor. 1, 8, 4.) esse in privatis, uti tum solebant luxuriosi. cf. infr. c. 53. *villarum infinita spatia*. Et *aedificationes* tam apte conveniunt luxui, de quo hic sermo est, ut plane non videam, quid in illo vocabulo interpretibus displicere potuerit. *Editiones* certe hic nihili sunt. Doceant quaeso, ita nude positam eam vocem dici de spectaculis in tali contextu, ubi nulla spectaculorum mentio praecessit. Utque eum usum obtineant, ut non obtinebunt, potius ad luxum spectant *aedificationes* quam *editiones*. Etiam Suetonius (Ner. l. l.) aliis luxus exemplis relatis deinde aedificandi studium addit. Vir doctus Gryph. emendat *aditionibus* sc. ad coetus, ad circulos, ad amicos, ad amicas, ad ientacula, prandia, coenas, ad ludos quoque et spectacula; Paschalius *ambulationibus*, quae utraque coniectura si cui placuerit, ego non invidebo.

traheret edd. Lips. sqq. *trahere* edd. Beroald. Rhen. Ald. Micyll. ut pendeat e verbo *intenderet*.

m. vigilantiam et malas curas. Roth. p. 45. haec habet inter dicta per formulam ἓν διὰ δυοῖν. Eodem iure pro synonymis accipies.

Cap. 38. *Caesium Cordum*. Sic edd. Rhenan. sqq. *Cordium* Beroald. Sed infr. c. 70. idem habet *Cordus*. Mox *pro consule* edd. Ber. Iac. Gronov. cf. not. ad c. 35. *proconsulem* edd. Rhenan. sqq. Ad *pro consule* intellige ὄντα.

Cretae. Haec enim inter provincias senatui populoque ab Augusto permissas. Vid. not. ad 1, 74. Post Caesium Cordum quaestorum Cretae mentio est apud scriptores. Suet. Vesp. c. 2. Mox iterum sunt proconsules sub Hadriano.

Caesar. Sc. Tiberius, litteris ad senatum missis. Ricklefs hic et c. 37. perperam intelligit Drusum. Sed de Tiberio et accusatoribus non fatiscentibus nunc sermo est.

e primoribus Macedoniae. Intellige virum Macedonem civitate donatum simul addito nomine Romano, uti moris erat, sive per adoptionem id nactus est. Quod autem Romae iudicatus est, id non miror. Nam cives Romani in crimine capitali a magistratibus provincialibus non debebant iudicari, sed mitti Romam.

cibus ad dicendam maiestatis causam retraxit ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye fratre interfecto bellum adversus nos volverat. Igitur aqua et igni interdictum reo adpositumque, ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraciae opportuna. Nam Thracia diviso imperio in Rhoemetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat, neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans popularium iniurias inultas sinere. Coeletae Odrusaeque et alii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem: quae causa fuit, ne in bellum atrox coalescerent. pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur, ut

Rhescuporidis cons. perm. Cf. 2, 64 sqq.

Cotye fratre interfecto. Vocabulum *fratre* exsulare hinc iusserunt interpretes, tanquam e margine in textum ab imperito librario receptum. Nam Cotyn non esse fratrem Rhescuporidis aiunt, sed fratris filium secundum 2, 64. Recte. Hoc vero non impedit, quo minus Cotys Rhescuporidis frater nominetur latiori sensu, quo id vocabulum, ut hebraicum אָח et graecum ἀδελφός, etiam de consanguineo, de fratre patrueli dicitur, potissimum apud barbaros. cf. Liv. 35, 10. Ovid. Her. 8, 27. Id. Met. 13, 31. Simile exemplum exstat infr. 11, 9. ubi Gotarzes et Bardanes fratrum nomine veniunt, licet testante Ioseph. Ant. 1, 20. Bardanes ex Artabano Gotarzis fratre genitus fratris filius Gotarzis debuisset dici. Et quod Cotyn et Rhescuporim attinet, non erat causa, cur accuratius viri utriusque cognationem exponeret, quoniam supra 2, 64. diserte de hac re locutus erat.

volverat. cf. not. ad 1, 64.

nam Thracia etc. cf. 2, 67. Hic quoque ut aliis locis cod. MS. dat *Threcia*.

Coeletae. Cod. MS. edd. Ber. Rhen. sqq. *Coelaletae.* Sed cum Plinio 4, 2. dicantur *Coeletae*, Ptolomaeo 3, 2. Κοιλητικὴ στρατηγία, Ryckius coniecit *Coeletae*, quod recepere Ernestius sqq. cf. et. Liv. 38, 40.

Odrusaeque et alii, validae nationes. Sic cod. MS. et vett. edd. Lipsio tamen auctore pro *et alii* hodie vulgant *et Dii* secundum Thucyd. 2, 96. cui οἱ Δῖοι καλοῦνται τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες. At hic non quaerendum est, fueritne huius nominis gens in illa regione, sed an necessario Coeletis Odrusisque tertium gentis nomen adiiciatur. Quod nego. Nam scriptor, ne plurium gentium nomina cumularet, commode potuit pergere: *et alii.* Non *aliae*, quia respicit ad gentium nomina. Verba: *validae nationes*, in adpositione adduntur Coeletis Odrusisque et aliis. Si Tacitus scripsisset: *et aliae validae nationes*, tum validas nationes opposuisset Coeletis Odrusisque tanquam non validis. Accuratiorem ubique invenio Tacitum, quam plerisque esse debuisset.

praesentia. Opponuntur *remotis populis.* Inutilis igitur est Paschalii coniectura: *tentant praesidia.*

remotos populos concirent: plurimi ac maxime compositi regem urbemque Philippopolim a Macedone Philippo sitam circumsidunt.

XXXIX. Quae ubi cognita P. Velleio (is proximum exercitum praesidebat), alarios equites ac leves cohortium mittit in eos, qui praedabundi aut adsumendis auxiliis vagabantur. ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit. Simulque cuncta prospere acta, caesis populatoribus et dissensione orta apud obsidentes regisque opportuna eruptione et adventu legionis. neque aciem aut proelium dici decuerit, in quo semermes ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine.

XL. Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere: cuius exstimulator acerrimus inter Treveros Iulius Florus, apud Aeduos Iulius Sacrovir. nobilitas ambobus et maiorum

regem urbemque. ἓν διὰ δυοῖν, *regem in urbe.* cf. Roth. p. 51.

a Macedone Philippo sitam. Freinshemius omissa praepositione: *Macedoni Philippo.* Perperam. Non eadem omnibus locis conveniunt. Nam urbs Philippo sita potest etiam intelligi, quae in Philippi memoriam ab alio est condita. cf. not. ad 2, 7.

Cap. 39. *P. Velleio.* Cod. MS. ed. Beroald. *Vellaeo,* unde sequentes edd. fecere *Velleio.* Utraque forma bona videtur esse. Nam variant etiam libri inter *Cnaeum* et *Cneium.* Iam dubitant, an sit hic Velleius ille, cuius historiam habemus Romanam. Et aetas et homo satis quadrant. Nam Velleius rerum Romanarum scriptor a re militari non abhorrebat, sed plurima sub Tiberio aliisque ducibus stipendia fecit; ac praetura functus an. u. 768 (cf. Vell. 2, 124.) videtur ex Caesaris legatione exercitui praefuisse annis insequentibus. Praenomen viri, quod dubio nos eripere possit, non satis certum est. Nam Priscianus *Marcum* scribit, ut optimae notae codices quidam Velleiani. Vulgatum est *Caius. Publium* etiam codex Burerii virum dicit. Ernestius cum Ryckio vix credit intelligendum esse Historicum, quum ipse nihil de hac expeditione dicat in historia sua. Id tamen levissimum est argumentum. Nam sub finem operis et quidem 2, 129. tam brevi ille absolvit res sub Tiberio gestas, ut profecto adrogantiae arguendus esset, si de hac sua expeditiuncula quidquam admiscuisset. Haud imprudens iactantia supersedit.

exercitum praesidebat. Ut 4, 5 et 72. 12, 29. Contra 1, 58. *exercitui praesidebat.* Vid. not. ibi. Eodem modo variat usus verbi *adsidere.* cf. not. ad 4, 58. Ernestius ad accusativum intelligit *ad* vel *apud.* Frustra.

levis cohortium. Sic cod. MS. edd. Ber. Rhen. Ald. *leves c.* edd. Lips. Pich. sqq. Verum non video cur hic veterem formam spernamus, quam alibi admittimus.

semermes. Sic edd. Ber. sqq. *semerme* MS. cf. not. ad 1, 6.

bona facta eoque Romana civitas olim data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis colloquiis, ferocissimo quoque adsumpto aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et coetus seditiosa disserebant de continuatione tributorum, gravitate fenoris, saevitia ac superbia praesidentium. et discordare militem audito Germanici exitio. egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam imbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus nisi quod externum, cogitarent.

XLI. Haud ferme ulla civitas intacta seminibus eius motus fuit: sed erupere primi Andecavi ac Turonii. quorum Andecavos Acilius Aviola legatus excita cohorte, quae Lugduni praesidium agitabat, coercuit. Turonii legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniae legatus miserat, oppressi eodem Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent. spectatus et Sacrovir intecto capite

Cap. 40. *bona facta.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. Hic tamen in castigatt. suspicatur *bene facta*, quod olim editores quidam recepere. Nam sic ed. Micyll. 1557. Mox omnes habent *bona facta*, h. e. quibus bene de Romanis meruerant, ut 1, 58. *bona societas.* Infr. c. 65. *pravis dictis factisque.*

peccandi necessitudo. Vid. not. ad 1, 9.

componunt ... concire. *Componere* (intellecto *foedus*) est συντίθεσθαι eademque hic utitur structura. Xenoph. Cyr. 3, 2, 23. καὶ ἐλευθέρους μὲν ἀμφοτέρους ἀπ' ἀλλήλων εἶναι συνετίθεντο.

conciliabula. A *concire* fit *concilium*, a *concilium conciliare*, a *conciliare conciliabulum*, ut *habitaculum* ab *habitare*. Intellige igitur loca, ubi quid componitur, ubi fit conventio de aliqua re. Roth. p. 8. *conciliabula et coetus* inter synonyma habet.

egregium resumendae libertati tempus. Pichena malebat: *libertatis.* Frustra. Dativus pendet e vocabulo *egregium*, quod est *aptissimum*, *bonum.* Mox ed. Beroald. *plebis.*

Cap. 41. *intacta seminibus e. m.* Durior haec Ernestio videbatur locutio, quae tamen nil in se habet absurdi. *Semina* si non tangunt agrum, ager seminibus intactus manet. Iam civitates sunt pro agro; seditiosos coniuratorum sermones accipe pro seminibus. *Semina rebellionis* sunt infr. 11, 19.

efferrent. H. e. palam facere, ostendere; opp. dissimulare. cf. infr. 6, 9. *repertus erat qui efferret quae omnes animo agitabant.* Terent. Ad. 4, 4, 17. *Id quidem minime est opus usquam efferri.*

pugnam pro Romanis ciens ostentandae, ut ferebat, virtutis: sed captivi, ne incesseretur telis, agnoscendum se praebuisse arguebant. Consultus super eo Tiberius aspernatus est indicium aluitque dubitatione bellum.

XLII. Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta Treveris militia disciplinaque nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus Romanis bellum inciperet: paucique equitum corrupti, plures in officio mansere. Aliud vulgus obaeratorum aut clientium arma cepit: petebantque saltus, quibus nomen Arduenna, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus obiecerant, arcuerunt. praemissusque cum delecta manu Iulius Indus e civitate eadem, discors Floro et ob id navandae operae avidior, inconditam multitudinem adhuc disiecit. Florus incertis latebris victores frustratus postremo visis militibus, qui effugia insederant, sua manu cecidit. Isque Treverici tumultus finis.

XLIII. Apud Aeduos maior moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium. Augustodunum caput gentis. armatis cohortibus Sacrovir occupaverat nobilissimarum Galliarum

cf. Cort. ad Plin. epp. 5, 6, 34. Graece ἐκφέρειν. Xenoph. Cyr. 6, 1, 5. καὶ τοῦτο σὺ ἐτόλμησας ἐξενεγκεῖν. Sunt qui male interpretentur *ausführen.*

ostentandae . . virtutis. Vid. not. ad 2, 59.

dubitatione. ἀπορίᾳ, ut Plin. epp. 10, 120. *rogo ergo, ut dubitationem meam regere ... digneris.* Noster infr. 6, 43. *oppressa cunctantium dubitatio*; 1, 7. *inductam dubitationem. Unschlüssigkeit, Bedenklichkeit.* Nam si Sacrovirum opprimere non dubitasset, belli auctorem et cum eo bellum ipsum abolevisset.

Cap. 42. *pellicere.* Absolute ponitur, ut 1, 2. 4, 3. 12, 3. non addita re vel facinore, ad quam vel quod.

caesis negotiatoribus. Vid. not. ad 2, 62.

vulgus obaeratorum aut clientium. Nam hi in ea re obsequi debebant creditoribus patronisque motus auctoribus. Iuvat conferre ad h. l. Caes. B. G. 1, 4. et 7, 40.

visis militibus. Ernestium latinitati meliori adsuetum offendit *visis* hic et Hist. 3, 62. *visa caede.* Heinsius vult *visus militibus*; Wopkens. *obvius militibus.* Sed non video, quae sit latinitas illa melior; nam eodem modo optimi scriptores id verbum ponunt. Virg. Aen. 1, 326. *nulla tuarum audita mihi neque visa sororum.* Sic ibi respondet, qui fuerat interrogatus, num vidisset aliquam sororum. Ib. 10, 787. *viso Tyrrheni sanguine.* Ovid. Met. 12, 220. *tibi pectus virgine visa ardet.*

Cap. 43. *Augustodunum caput gentis. armatis c. S. occupaverat nobilissimarum G.* etc. Sic cod.

subolem liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret. simul arma occulte fabricata iuventuti dispertit. Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis: ceteri cum venabulis et cultris, quaeque alia venantibus tela sunt. adduntur e servitiis gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: cruppellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. augebantur hae copiae vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione ita viritim promptis studiis et certamine ducum Romanorum, quos inter ambigebatur utroque bellum sibi poscente. mox Varro invalidus senecta vigenti Silio concessit.

XLIV. At Romae non Treveros modo et Aeduos, sed quattuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse: adsumptos in societatem Germanos: dubias Hispanias: cuncta, ut mos famae, in maius credita. optumus quisque rei publicae cura maerebat: multi odio praesentium

MS. et vett. edd. nisi quod ante *armatis* habent virgulam (,) pro puncto. Sed verba: *Aug. caput gentis* per se constant. Sic Hist. 5, 8. *Hierosolyma genti caput*. Iam sequentia commode procedunt neque opus est copula *et* vel *que* apud *nobilissimam* ab interpretibus posita. Reposuimus etiam *nobilissimarum*; nam quod mutavere in *nobilissimam*, et inutile et contortum erat. *Galliae* per enallagen sunt *Galli*, more usitatissimo, ut ita *nobilissimae Galliae* sint nobilissimae familiae Gallicae. Idque sibi vult Tacitus. Non enim hic agitur de subole Galliarum nobilissima h. e. de nobilissimis Galliarum incolis in universum, sed de nobilissimarum Galliarum subole h. e. de iuventute nobilissimarum familiarum.

subolem. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *sobolem* hic et 2, 42. 3, 4. Sequentis aetatis edd., inde a Lipsii prima hic habent *subolem*, alibi *sobolem*. Nos constanter volumus *subolem*.

ibi operatam. Sic Rhen. sqq. — Ed. Beroald. *sibi operatam*, quod Victor. in suo exempl. corr. *ibi op.*

cruppellarios vocant. Sc. Galli; gallica igitur vox, cuius originem et significatum nemo facile certo demonstrabit. Operam huic rei dederunt Boxhornius, Hillerus, Broterius aliique. Lipsius putat legendum esse *Clibanarios*, qui sunt apud Lamprid. in Severo c. 56. Ammian. 16, 10. Ceterum scriptura *cruppellarios* est e MS. et edd. vett. *Crupellarios*, quod vulgo edunt, dedit Pichena.

Cap. 44. *quattuor et sexaginta G. civitates*. H. e. omnes Galliarum civitates; nam licet in numero civitatum Gallicarum paulum differant auctores, verba sequentia hic satis docent de universis Galliis hunc numerum intelligendum esse, quia fama Germanos quoque in societatem adsumptos dubiasque Hispanias ferebat.

optumus. Sic edd. vett. *optimus* edd. Lips. sqq. Mox ed. Ald. *rerum* pro *reum*.

et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur: increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam. an Iulium Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? exstitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent. miseram pacem vel bello bene mutari. Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed ut solitum per illos dies egit, altitudine animi an compererat modica esse et vulgatis leviora.

XLV. Interim Silius cum legionibus duabus incedens praemissa auxiliari manu vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Aeduis contermini sociique in armis erant. Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite, ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur: id satis ad victoriam. Duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaeque patentibus locis apparuere. in fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos. Ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent: quam decora victoribus libertas: quanto intolerantior servitus iterum victis.

XLVI. Non diu haec nec apud laetos: etenim propinquabat legionum acies, inconditique ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis competebant.

altitudine animi. Intellige eam *altitudinem animi*, quam iis, qui rei publicae praesunt, commendat Cic. de off. 1, 25. laudatque in populo prisco Liv. 4, 6. in Sulla Sallust. Iug. c. 95.

Cap. 45. *qui finium extremi.* *Qui* sc. e Sequanorum pagis; *finium* (*Gebiet* cf. not. ad 1, 60.), intell. Sequanorum, *extremi* h. e. qui in extremis Sequanorum finibus erant. Non igitur omnes Sequanorum pagos vastavit; sed eos tantum, qui Aeduis contermini et quos vicinitas ad societatem et arma pellexerat.

glorias. τὰ κλέα, decora. Sallust. c. 41. *ruhmvolle Thaten*, sive gloriam saepius reportatam.

intolerantior. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. omnes. Grotius tamen malebat *intoleratior* ob locum 12, 11. ubi est *toleratior.* Sed *intolerantior servitus* est quae tolerari nequit; *intoleratior*, quam tolerare nolunt. Etenim *intolerans*, sicuti alia quaedam adiectiva, et activo et passivo significatu utitur. cf. 11, 10. Gell. 19, 7.

Cap. 46. *neque oculis neque auribus satis competebant.* H. e.

Contra Silius, etsi praesumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen: Pudendum ipsis, quod Germaniarum victores adversum Gallos tanquam in hostem ducerentur. „una nuper cohors rebellem Turo„nium, una ala Treverum, paucae huius ipsius exerci„tus turmae profligavere Sequanos. quanto pecunia di„tes et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles „Aeduos evincite et fugientibus consulite." Ingens ad ea clamor: et circumfudit eques frontemque pedites invasere: nec cunctatum apud latera. paulum morae at-

neque oculorum satis compotes erant, ut legiones propinquantes intrepide aspicerent, neque aurium, ut ducis adhortationes laeto animo exciperent. Nam Sallustius, quem Nonnius testatur scripsisse: *Formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere:* in alio fragmento habet: *neque animo neque lingua satis compotem*, eodem verborum sensu. Tac. Hist. 3, 73. *veluti captus animi non lingua, non auribus competere.*

una nuper cohors rebellem Turonium. Lipsius ob locum c. 41., ubi una cohors Lugduno excita Andecavos dicitur coercuisse, Turonii autem legionario milite feruntur oppressi, dubitat, annon hic sit scribendum *Andecavum* pro *Turonium*. Frustra. Nam *legionario milite* ibi intelligendum est de una cohorte legionaria, delecta et missa ad illud negotium, non de universa legione. Andecavorum mentionem hic Silius omittit, consulto an fortuito, incognitum mihi. Ceterum edd. Beroald. Rhen. Ald. Micyll. hic dant *Turonum* pro *Turonium*. Sed vid. c. 41.

evincite. Accipiunt hoc verbum pro simplici *vincite* convertuntque ad unum omnes *besiegt*, ut ita satis languida pinguisque oratio prodeat. Verum *evincite*, dicit, h. e. *überführt sie*, *beweiset* vel *erweiset ihnen*, sc. Aeduos; quid? eos tanto magis esse imbelles, quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos. Sic Cic. Verr. 1, 1. *Tam nefariis criminibus, tam multis testibus evictus.* De omissione verbi *esse* in talibus locis usurpata vid. not. ad 1, 35. sub verbis *mederetur ... orabant.* *Dites* et *imbelles* Noster iterum coniungit 11, 18. Dicunt *magis* omissum ante *pecunia dites.* Sed vid. not. ad c. 17. sub verbis: *miseratio quam invidia.*

fugientibus consulite. Sic cod. MS. test. I. Gronovio, et sic I. Fr. Gronovius dederat ex ingenio. Edd. Beroald. Rhen. sqq. *consilite.* Iam varie interpretantur verbum *consulite.* I. Fr. Gronovius: „trepidos et tantum non iam fugientes exuite detractisque armis et insignibus militaribus leviores et fugae paratiores reddite." Iac. Gronovius: „occidite, ne cogantur fatigari fuga." Herrmannus: „*besorget mir die Flüchtigen*" ut Schillerus noster (*Gang nach dem Eisenhammer*): „*Er ist besorgt und aufgehoben;*" quod hinc plane alienum est. Heinsius et Ryckius explicant: „parcite", quod et Ernestio placet. Et recte quidem. Miror tamen, quod locum, quo is verbi sensus luculenter probetur aptissimo, omiserunt. Exstat Hist. 3, 82. *ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret.* Nam uti *non consulere* ibi est *non parcere*, eodem plane modo hic *con-*

tulere ferrati, restantibus laminis adversum pila et gladios: sed miles correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, caedere tegmina et corpora: quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere, iacentesque nullo ad resurgendum nisu quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. incensa super villa omnes cremavit.

XLVII. Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit: neque dempsit aut addidit vero: sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. simul causas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen. nunc, quia non metu ducatur, iturum, ut praesentia spectaret componeretque. Decrevere patres vota pro reditu eius supplicationesque et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus censuit, ut ovans e Campania urbem introiret. Igitur secutae Caesaris litterae, quibus se

sulite fugientibus erit *parcite fugientibus*. Ratio huius praecepti neminem fugiet. Namque inter Sacroviri copias invita aderat iuventus nobilissimarum familiarum, quam trucidari Silius nolebat. Similiter Caesar apud Lucan. 7, 318.

nisu. Ed. Ald. *nixi*.

incensa. Cod. MS. edd. Ber. Alciat. *ingressa*, vitiose. Edd. Rhenan. Ald. sqq. *incensa*, bono sensu. Iac. Gronovius tentabat *ingesta*, non satis feliciter.

Cap. 47. *superfuisse*. H. e. περιγενέσθαι, superasse, victoriam reportasse. Xenoph. Cyrop. 1, 6, 9. Ibid. 3, 1, 19., plane ut Cic. apud Gell. 1, 22. dicitur scripsisse: *doctrina superfuit*. cf. Hiller. in Racem. 28. Alii perperam interpretantur: „adfuisse, opem tulisse."

neque decorum principibus. Unice audiendus Pichena, qui intelligit e praecedentibus *proficisci*, quod solemne est verbum de principibus in bellum euntibus. cf. Hist. 1, 89. 90. 19. Ryckius paulo contortius intelligit *duci* e sqq. Aurelius et Freinshemius inutilem medicinam attulerunt emendantes: *omisisse urbem*; Heinsius: *omissam urbem*.

nunc quia non metu ducatur. *Quia* rationem reddit, sed remotiorem et a re, quae agitur, seiunctam, ut indicet non propter quod, sed quomodo. Sententia est: nunc, ubi non dici possit metu duci.

iturum. Vid. not. ad 1, 47. sub verbo *fefellit*.

non tam vacuum gloria praedicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.

XLVIII. Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirini publicis exsequiis frequentaretur, petivit a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. quod tunc patefecit in senatu, laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat. sed ceteris haud laeta memoria Quirini erat ob intenta, ut memoravi, Lepidae pericula sordidamque et praepotentem senectam.

XLIX. Fine anni C. Lutorium Priscum equitem Romanum post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, maiore praemio vulgaretur. Id C. Lutorius in domo P. Petronii socru eius Vitellia coram mul-

peregrinationis suburbanae. Vid. not. ad 13, 43. sub voc. *suburbana crimina.*

Cap. 48. *Quirini.* Sic edd. Ryck. Ernest. sqq. *Quirinii* edd. ante Ryckium. cf. not. ad c. 22.

consulatum. An. u. 742. cf. Dio 54, 28.

expugnatis p. C. H. c. cf. Strabo 12, p. 569. et p. 679. Plin. 5, 27.

C. Caesari. cf. 1, 3. *Rhodi agentem.* cf. 1, 4.

incusato M. Lollio. cf. Sueton. Tib. c. 12. Vell. 2, 97 et 102. Ante Lipsium inde a Beroaldo legebatur: *M. Folio.*

pravitatis et discordiarum. Roth. p. 25. ἓν διὰ δυοῖν hic esse dicit, collato loco Liv. 4, 26. *pravitas consulum et discordia inter ipsos.* Nam in utroque loco non aliam pravitatem indicari, nisi quae per discordias apparuerit. Maluerim particulae *et* tribuere vim explicativam. Frequens Nostro est *pravitatis* vocabulum. cf. 3, 16. 12, 41. (eodem sensu ut hic), 14, 38. Hist. 3, 85. 5, 5.

ut memoravi. cf. c. 22.

Cap. 49. *C. Lutorium Priscum* etc. Eandem rem narrat Dio 57, 20., ex quo Lipsius emendavit *C. Lutorium.* Namque edd. Beroald. Rhen. sqq. *Clutorium.*

tisque inlustribus feminis per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit. sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit. sententiaque Haterii Agrippae consulis designati indictum reo ultimum supplicium.

L. Contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est. „Si P. C. unum id spectamus, quam nefaria voce „C. Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum „polluerit, neque carcer neque laqueus, ne serviles qui„dem cruciatus in eum suffecerint. sin flagitia et fa„cinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis „moderatio maiorumque et vestra exempla temperant, „et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt: est lo„cus sententiae, per quam neque huic delictum impune „sit et nos clementiae simul ac severitatis non poeniteat. „Saepe audivi principem nostrum conquerentem, si „quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset.

ad dicendum t. exterritis. cf. not. ad 2, 62. sub vv. *corruptisque prim. ad societatem.*

adseveravit. Sic edd. Beroald. Rhen. sqq. *adseuavit* cod. MS. cf. not. ad 2, 83.

Cap. 50. *sin flagitia ..... poeniteat.* Diversa distinctione hunc locum edunt. Alii protasin proferunt usque ad verbum *differunt*; reliqua pro apodosi habent. Sic Rhenan. Gronov. Ryck. aliique et nuper Lünemannus et Bekkerus. Oberlinus et qui eum sequuntur post *differunt* puncti notam ponunt. Ita et verba nostratium, qui hunc locum Germanice converterunt, in duas partes abeunt. Accurate consideratis loci partibus nemo non vanam Oberlini rationem videbit. Nam particula *sin* requirit, ut in hac orationis parte quaedam dicantur opposita praecedentibus. Ita demum aequalitas membrorum servatur, quae apud Oberlinum est nulla. Ex eius ratione verba procedunt sic: *Si unum id spectamus —, neque carcer, neque laqueus — suffecerint. Sin flagitia et f. sine modo sunt, suppliciis — temperant.* Quae membra quomodo sibi invicem respondeant, non video. Contra protasi in verbo *differunt* finita omnia bene procedunt. Ita enim se habent: *Sin* (h. e. si non unum illud spectamus, sed si) *flagitia et facinora* (quidem) *sine modo sunt, suppliciis* (vero) *et remediis pr. — temperant, et vana — differunt:* (tum carcere, laqueo servilibusque cruciatibus omissis) *est locus sententiae* etc. Germanice ad verborum sensum: *Wenn aber* (*auf der einen Seite*) *Schand- und Uebelthaten* (*zwar*) *alles Maas überschreiten, in Strafen und Schreckmitteln jedoch des Fürsten Gnade und der Vorfahren und euer eigenes Beispiel mit Maßen zu Werke geht, und Thorheit von Verbrechen, Worte von bösen Thaten sich unterscheiden; so bleibt Raum für ein Urtheil* etc.

audivi. cf. 2, 31.

„vita Lutorii in integro est, qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit. studia illi ut plena vecordiae ita inania et fluxa sunt: nec quidquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis, sed muliercularum adrepit. cedat tamen urbe et bonis amissis aqua et igni arceatur. quod perinde censeo ac si lege maiestatis teneretur."

LI. Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit: ceteri sententiam Agrippae secuti, ductusque in carcerem Priscus ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem quamvis modicas principis iniurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam praecipitis verborum poenas, laudaret Lepidum neque Agrippam argueret. Igitur factum senatus consultum, ne decreta patrum ante diem decumum ad aerarium deferrentur, idque vitae spatium damnatis prorogaretur. sed non senatui libertas ad poenitendum erat, neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur.

LII. C. Sulpicius, D. Haterius coss. sequuntur: inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui immensum proruperat ad

in integro est. h. e. vivit adhuc estque locus misericordiae principis. Lipsius non satis recte mutabat: *esto.* Verum Lutorius opponitur iis, qui sumpta morte misericordiam principis praevenissent.

inania et fluxa ... grave ac serium. cf. Roth. p. 14. qui haec habet inter synonyma.

quod perinde ... teneretur. Sententia est: Hac poena ad rem publicam idem effici ac si ultimum supplicium indiceretur.

Cap. 51. *ante diem decumum.* Edd. vett. omittunt *decumum*, quem numerum haud dubia emendatione addidit Lipsius. Nam Dio 57, 20. *καὶ δόγμα τι παραδοθῆναι ἐκέλευσε* (Tiberius), *μήτ' ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν, μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἀποτίθεσθαι· ὅπως καὶ ἀποδημῶν προπυνθάνηται τὰ δόξαντα σφίσι καὶ ἐπιδιακρίνῃ.* cf. id. 58, 27. Suet. Tib. c. 75. Senec. de tranq. an. c. 14.

Cap. 52. *immensum.* *ἄμετρον.* Nam et Graeci sic adiectiva neutr. gen. sing. num. loco adverbiorum ponunt. Eodem modo Noster supr. 3, 30. *immensum;* 3, 26. *aeternum.* Suet. Tib. c. 34. eodem sensu scribit *in immensum.*

cuncta, quis pecunia prodigitur. Sed alia sumptuum quamvis graviora dissimulatis plerumque pretiis occultabantur: ventris et ganeae paratus adsiduis sermonibus vulgati fecerant curam, ne princeps antiquae parcimoniae durius adverteret. Nam incipiente C. Bibulo ceteri quoque aediles disseruerant sperni sumptuariam legem vetitaque utensilium pretia augeri in dies: nec mediocribus remediis sisti posse. et consulti patres integrum id negotium ad principem distulerant. Sed Tiberius saepe apud se pensitato an coerceri tam profusae cupidines possent? num coercitio plus damni in rem publicam ferret? quam indecorum attrectare, quod non obtineret, vel retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret: postremo litteras ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit.

LIII. „Ceteris forsitan in rebus . P. C. magis expediat me coram interrogari et dicere, quid e re publica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam

alia sumptuum. Spectat ad vestimenta, picturas etc.

dissimulatis. Sic edd. Rhenan. sqq. *dissimilatis* ed. Beroald. Vid. not. ad 1, 28. sub verbo *adsimulans.*

ventris et ganeae. Synonym. cf. Roth. p. 8.

parcimoniae. Sic edd. Ryck. sqq. *parsimoniae* edd. ante Ryckium hic et alibi.

adverteret. Ut 4, 35. 2, 32.

sumptuariam legem. cf. Gell. 2, 24. Sueton. Octav. c. 34. et Iul. c. 43. Dio 54, 2 et 16.

vetitaque utensilium pretia augeri. De *utensilibus* cf. 1, 70. ibique not. I. Fr. Gronovius huius loci sententiam constituit talem: „in cibaria et convivia plus plusque in dies, quam concessum sit, impendi." Sed verba illum sensum non ferunt, quae potius accipienda sunt de *annona macelli.* cf. Suet. Tib. c. 34. *annonamque macelli senatus arbitratu quotannis temperandam.*

remediis sisti. Cod. MS. corrupte *remedii isti.* Unde Pichena fecit *remediis sisti.* Familiaris enim Tacito hic usus verbi *sisti.* cf. 14, 14. 15, 39. Hist. 2, 11. 3, 71. Libri ante Pichenam editi *remediis resisti* a Beroaldo habent.

obtineret. Sic cod. MS. edd. Beroald. Iac. Gronov. Ernest. sqq. *obtineretur* edd. Rhen. sqq. Pro *retentum* ed. Ber. vitiose habet *recentum.*

Cap. 53. *denotantibus vobis.* cf. Agr. c. 45. *denotandis tot hominum palloribus.* Coniicit Tiberius se ex patrum denotatione eorumque oculis observandi causa in hunc illumve defixis deprehensurum esse nocentes. Simplex *observandi* significatio, quam Ernestius huic verbo vindicat, non sufficit.

„viderem eos ac velut deprenderem. Quod si mecum „ante viri strenui aediles consilium habuissent, nescio „an suasurus fuerim omittere potius praevalida et adulta „vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. sed illi quidem officio functi „sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere „velim: mihi autem neque honestum silere neque pro„loqui expeditum, quia non aedilis aut praetoris aut „consulis partes sustineo: maius aliquid et excelsius a „principe postulatur: et cum recte factorum sibi quisque „gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. „Quid enim primum prohibere et priscum ad morem „recidere adgrediar? villarumne infinita spatia? fami„liarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? „aeris tabularumque miracula? promiscuas viris et fe„minis vestes? atque illa feminarum propria, quis lapi„dum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostilis „gentes transferuntur?

LIV. „Nec ignoro in conviviis et circulis incusari „ista et modum posci: sed si quis legem sanciat, poenas

deprenderem. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. *deprehenderem* edd. Beroald. Rhen. sqq. Illa forma Nostro usitatior. cf. 1, 34. *prensa manu.* Ib. c. 35. *prensam dextram.* cf. not. ad 15, 61. Constanter etiam scribit *prensare* 1, 21. 68. Hist. 1, 36. 66. 2, 46. 3, 28.

viri strenui. Epitheton honoris et ornamenti causa additum cum Freinshemio puto; neque tamen concesserim, peculiare aedilibus parisque dignitatis hominibus illud fuisse ornamentum. cf. Liv. 28, 40. *consulis viri fortis ac strenui.*

nescio an. cf. Ramshorn. Gr. § 174. p. 498. not. 3.

quia non etc. Hoc pertinet ad proxime praecedentia tantum: *neque proloqui expeditum.*

maius aliquid et excelsius. Synonym. apud Roth. p. 14. Pro *partes* ed. Beroald. habet *partis.*

villarumne inf. sp. Intellige aedificia. cf. Senec. de benef. 7, 10. Iuvenal. Sat. 14, 86 sqq.

familiarum numerum. cf. infr. 14, 43. Plin. 33, 6. 47. Athenaeus 6, 20. Senec. l. l.

nationes. cf. infr. 14, 44.

aeris — miracula. Intell. signa Corinthia; nam *tabulas* statim addit. cf. Plin. 3, 6.

promiscuas viris et feminis vestes. Sericas Coasque intelligunt. cf. supr. 2, 33. Senec. ep. 122. et 114. Plin. 11, 27. Potest tamen simul cogitari de tunicis in modum muliebrium factis. cf. Gell. 7, 12.

illa feminarum propria. Accipe de gemmis, margaritis, electro. cf. Böttiger. Sabin. II. p. 120 sqq.

Cap. 54. *circulis.* De multitudine hominum loquitur colloquendi causa coronam facientium. Hinc *circulatim* Suet. Iul. c. 84. *circulator* Plin. epp. 4, 7. *Circuli* et *convivia* et alibi coniunguntur.

„indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cui„que exitium parari, neminem criminis expertem cla„mitabunt. Atqui ne corporis quidem morbos veteres „et diu auctos nisi per dura et aspera coerceas: corruptus „simul et corruptor, aeger et flagrans animus haud le„vioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus „ardescit. tot a maioribus repertae leges, tot quas di„vus Augustus tulit: illae oblivione, hae, quod flagi„tiosius est, contemptu abolitae securiorem luxum fe„cere. nam si velis quod nondum vetitum est, timeas „ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, ne„que metus ultra neque pudor est. Cur ergo olim par„cimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur: quia „unius urbis cives eramus: ne inritamenta quidem ea„dem intra Italiam dominantibus. externis victoriis „aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. „Quantulum istud est, de quo aediles admonent! quam, „si cetera respicias, in levi habendum! At hercule ne„mo refert, quod Italia externae opis indiget, quod „vita populi Romani per incerta maris et tempesta„tum quotidie volvitur. ac nisi provinciarum copiae „et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos „scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur? Hanc „P. C. curam sustinet princeps: haec omissa funditus „rem publicam trahet. reliquis intra animum meden„dum est: nos pudor, pauperes necessitas, divites sa„tias in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus tan„tam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam

civitatem verti. cf. not. ad 2, 42.

dura et aspera. Synonym. apud Roth. p. 14.

quia unius urbis cives eramus. cf. Senec. ad Helv. c. 6. Dionys. Halic. 4, 23. Contra Atheniensium civitas *colluvies nationum* dicebatur 2, 55.

vita p. R. — volvitur. cf. infr. 4, 6. 12, 43. et supr. 2, 59.

ac nisi. Ernestius pro *ac* malebat *nam.* Sed *ac* plane sic ponitur in transitu. cf. Ramshorn. Gr. § 179. p. 523. 7. Vulgatum bene defendit Hiller. in Racemat. 29.

tuebuntur. Ed. Ald. *tuebantur.*

aut si quis. Ernestius mavult *quodsi quis*, quod tamen ab hoc loco alienum est. Commodius foret *at si quis.* Verum est *aut.* cf. Virg. Ecl. 7, 23. *aut si non possumus omnes* etc. Id. Aen. 9, 495. *aut tu magne pater* etc.

„queat, hunc et laudo et exonerari laborum meorum „partem fateor. sin accusare vitia volunt, dein, cum „gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi „relinquunt, credite P. C. me quoque non esse offen„sionum avidum: quas cum graves et plerumque iniquas „pro re publica suscipiam, inanes et inritas neque mihi „aut vobis usui futuras iure deprecor."

LV. Auditis Caesaris litteris remissa aedilibus talis cura: luxusque mensae a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolevere. Causas eius mutationis quaerere libet. Dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes studio magnificentiae prolabebantur. nam etiam tum plebem, socios, regna colere et coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur.

exonerari laborum meorum partem fateor. Heinsius corrigebat *parte*, Wopkensius *parte mea*. Nam vulgo aliquis dicitur exonerari aliqua re. At Tacito *exonerari* etiam dicuntur res, quae auferuntur, cf. Hist. 5, 2. *multitudinem proximas in terras exoneratam.* Potest tamen *partem* et accipi pro accusativo graeco. cf. 6, 43. *adlevatur animum.*

simultates faciunt. Interpretes locum lacessunt; pro *faciunt* volunt *fugiunt* vel *iaciunt*, vel denique *faciendas.* Non satis video, quid in vulgatis displicere possit. Nam formulam *simultates facere*, non est quod vituperes. cf. Ovid. Amor. 1, 8, 82. Nec in contextu quidquam impedimenti adest. Sententia: simultates facere satis habent, ipsi ferre nolunt, sed ferendas principi relinquunt. Perstringit Tiberius senatum, quod illud negotium ad principem distulerant.

inanes et inritas. Synonym. apud Roth. p. 14.

Cap. 55. *remissa aedilibus talis cura.* *Remissa* alii explicant *permissa* (*überlassen*); sed cf. not. ad 1, 8. Alii aedilibus eius curae gratiam factam esse interpretantur (*erlassen*). Recte. Ne tamen putes curam aedilitiam circa legem sumptuariam inde ex illo tempore abolitam. Sed intellige senatum decrevisse: *remitterent aediles curam suam nollentque amplius de illa re ad senatum referre.* Germanice: *Es wurden die Aedilen der geäusserten Sorge überhoben.* Levius et modestius dictum pro: abirent cum Caesaris responso, tali cura non esse opus.

rerum adeptus est. Duplici structura verbum *adipisci* apud Nostrum utitur. Accusativum adsumit 1, 13. 32. 53. 3, 24, 75. 4, 16. et alibi: genitivum hic et infr. 6, 45. Etenim genitivus accedit in solemni formula: *rerum*, *regni*, *dominationis adipisci*, ut cum verbo in unam notionem coeat. Accusativus iustum obiectum offert. cf. not. ad 1, 33. sub verbo *potiri.*

ut quisque ... habebatur. Vulgo haec verba ita accipiuntur, ut quisque dicatur eo inlustrior habitus —, quo speciosior. Quae sententia tam inepta est quam aliena ab hoc loco. Aliud sibi vult Tacitus: opum, domus paratusque speciem,

postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parcimoniam intulerunt: et quanquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus: nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices ita morum

qua quisque polleret, inlustriorem esse factam accessu celebrati nominis et clientelarum, et propterea viros opibus, domo, paratu speciosos tantopere magnificentiae operam dedisse, ut nomen et clientelas sibi pararent et inlustriorem speciem inde oriundam. *Nomen et clientelas* Roth. p. 38. accipit ut ἓν διὰ δυοῖν, hoc sensu: „per nomen clientium: quo magis conspicui apud suos essent, et quo pluribus imperarent, quos quis clientes habebat, eo plus splendoris ipsi accedebat." Quae tamen explicatio longe a vero abesse videtur. *Nomen et clientelae* opponuntur opibus, domibus, paratui, ut *nomen* (h. e. fama, gloria) intelligatur περιβόητον, quod oriebatur e clientelis. De re cf. Tacit. de Orat. c. 36. Sallust. Iug. c. 4.

ceteri. h. e. quibus magnitudo famae nondum exitio fuerat; hi aliorum periculis monebantur, ne magnitudinem famae sectarentur. Ruperti pro *ceteri* vult *multi*, vel *plerique*, vel *plurimi*, vel denique *coacti*, non video quo iure. Nam voc. *ceteri* sic aptissime exprimit, quod Graeci dicunt οἱ ἄλλοι.

pervenirent. Apud Ernestium temporum ratio requirit *pervenissent*, et sic a Tacito scriptum ille putat. Ego non puto. *Pervenirent* est optativus praesentis, *pervenissent* optativus aoristi. Iam nemo nescit, optativum ad certum tempus non pertinere, sed per optativum praesentis enuntiari, quae continuo aut saepius fieri solent, in optativo aoristi poni ea, quibus inest cogitatio definiti temporis. Igitur *pervenissent* si scribis, necesse est cogites de certis quibusdam hominibus, qui certo quodam tempore *pervenerunt*, qui hic sunt nulli. (Recte autem infr. c. 57. Noster scripsit *censuisset*, non *censeret*; et 6, 12. *potuissent*. non *possent*, uti volebat Ernestius.) *Pervenirent* vero dicitur de eo, quod saepius et a diversis fieri solebat. Nec levius errat idem Ernestius, dum scribit, ex meliori latinitate requiri *quanquam pervenerant*. Nam *quanquam* in se nil habet, quod verbi modum regat, qui potius pendet ex ipsius loci ratione. Et hic *quanquam* coniungit enuntiationes invicem arte coniunctas nexu causali, nec per se constat sententia, quae incipitur per *quanquam*. cf. not. ad 2, 6. sub voc. *donec*. Eadem ratio est locis omnibus, ubi *quanquam* ponitur cum coniunctivo. cf. 1, 3. 4. 24. 2, 1. Germ. c. 35. 38. Agr. c. 3. 13. Contra 1, 55. legimus: *quod quanquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Cattos excursu praecepit.* Nam ibi non idem est nexus causalis.

poena ex legibus et metus. Apud Roth. p. 33. ἓν διὰ δυοῖν *poenae ex legibus metus*. Sic et *laudis et artium* apud eundem p. 26.

vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Verum haec nobis maiores certamina ex honesto maneant.

LVI. Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis accusatores represserat, mittit litteras ad senatum, quis potestatem tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. M. deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. sic cohiberi

Verum .... maneant. Locus multae pugnae et quem tangere reformides. Nonnulli verba, uti sunt, explicare studuerunt, interque eos Salinerius praeeunte Lampugnano vocem *maiores* per apostrophen accipit, quam nuper ut suam coniecturam rettulit vir doctus Gryphiensis in libello ad 3, 14. laudato. Herrmannus intelligit: *verum* (quoad) *haec — maiores maneant nobis certamina ex honesto* (*Hinsichtlich der Sparsamkeit aber* etc.). Idem putat verba *nobis maiores* admittere sensum ancipitem: *uns Vorfahren* et *grösser denn wir*. Quam rationem utramque contortam esse, non est quod moneam. Alii locum dissecant in duas partes: *Verum haec nobis maiores* (sc. exempla reliquere). *Certamina ex honesto maneant.* Sic Boxhornius et Broterius. Alii emendant addita praepositione ante *maiores*. Lipsius: *nobis in maiores*; Rhenanus: *nobis erga maiores*; Faërnus: *adversus maiores*; Acidalius: *quorum haec nobis in maiores c. e. h. m.* Alii vocem molestam *maiores* mutant, et Crollius quidem in *meliora*; Hillerus in *maiora*; Huetius (apud Broterium) in *maior res.* Ruperti pro *maneant* vult *moveant.* Quarum emendationum nulla est ita opportuna et concinna, ut sine cunctatione in textum recipi possit. Difficile etiam est diiudicatu, utrum corruptus sit locus, an ratione utatur nemini adhuc perspecta. Quid si in vocabulo *certamina* admittamus metonymiam, ut intelligantur ii, quibuscum certatur, aemuli, *Gegenstand des Wetteifers*? Germanice: *Doch mögen uns die Vorfahren ein solcher Gegenstand des Wetteifers in achtbaren Dingen bleiben.* Simili metonymia Noster utitur Hist. 2, 23. *acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae.* An. 6, 29. Sextia uxor Scauro *incitamentum mortis* fuisse dicitur. Virgil. Ecl. 7, 16. *Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.* Thucyd. 1, 96. καὶ Ἑλληνοταμίαι τότε πρῶτον Ἀθηναίοις κατέστη ἀρχή, οἳ κ. τ. λ. Durissimam vero hanc explicandi rationem esse haud infitior. Veniam petit ab difficultate loci.

Cap. 56. *Augustus repperit.* cf. 1, 2.

praemineret. Sic cod. MS. edd. vett. sqq. nisi quod Aldus dedit *praeminerent.* Gutherius de off. dom. Aug. 1, 39. frustra coniecit *praemuniret*, quod minime congruit cum verbis *appellatione aliqua cetera imperia.*

M. deinde Agrippam. cf. Dio 54, 12.

Tib. Neronem. cf. 1, 3. ibique not.

pravas aliorum spes rebatur: simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. Sed principio litterarum veneratus deos, ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de moribus adulescentis neque in falsum aucta rettulit: esse illi coniugem et tres liberos, eamque aetatem qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem noti laboris participem sumi.

LVII. Praeceperant animis orationem patres, quo quaesitior adulatio fuit. nec tamen repertum, nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent: nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit dixitque pro sententia, ut publicis privatisve monimentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur, sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent. At Q. Haterius cum eius diei senatus consulta aureis litteris figenda in curia censuisset, deridiculo fuit senex foedissimae adulationis tantum infamia usurus.

Cap. 57. *nisi ut*, *außer dem daß* — *nisi quod*, *als nur daß*.

publicis privatisve. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Multi interpretes eo inclinant, ut *privatisve* velint mutari in *privatisque*; plane simili errore 2, 47. volebant *ac* pro *aut*. Vid. ibi not. Et hic quidem illud *ve* ita bene se habet, ut, si vulgata scriptura ferret *que*, sine dubio mutaturus essem in *ve*. Namque Silanus censuit, ut nomina — monimentis praescriberentur: quae monimenta quum publica vel privata esse possent (tum enim nondum erant), debuit addere: *publicis privatisve* h. e. sive forent publica sive privata. Eodem sensu *ve* frequentatur in legum verbis, ut varii distinguantur casus, ad quos spectant. Ita: *ut vectigal agris lege Sempronia divisis dividendisve impositum plebi remitteretur*.

At Q. Haterius. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. *atque Haterius*; inde Lipsius fecit: *at Q. Haterius*. Recte. Nam duo sunt illius aetatis Haterii, hic *Q. Haterius* cf. 1, 13. 2, 33. et *D. Haterius Agrippa* cf. 1, 17. 2, 51. 3, 49. 52. Quos ut accurate distingueret, scriptor debebat addere praenomen.

tantum infamia usurus. Heinsius corruptum suspicatus locum emendabat *tantum infamia ausurus*, non satis feliciter. Ernestius vacillante pede incedit nec quidquam certi statuit. Qui Taciti libros in sermonem Germanicum converterunt, hallucinantur. Editorum alii virgulam ponunt post

LVIII. Inter quae provincia Africa Iunio Blaeso prorogata Servius Maluginensis flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet, postulavit, frustra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia. neque aliud ius suum quam Martialium Quirinaliumque flaminum: porro si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri. Saepe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valetudine

senex, ut ita genitivus *foedae adulationis* pendeat e vocabulo *infamia*, *senex* pertineat ad *fuit*. Alii eam notam ponunt post *adulationis*, coniungunt igitur *senex foedissimae adulationis*; alii ante *senex* idque vocabulum accipiunt in adpositione. Bekkerus virgulam sustulit utroque loco unaque serie legit a *deridiculo* usque ad *usurus*. *Haterius — deridiculo fuit*, haec per se constant: sequentia rationem reddunt, cur deridiculo fuerit, scilicet quod senex, cui ob aetatem neque spes neque metus tam foedae adulationis necessitatem imponerent, nihilominus foeda adulatione uti vellet, quanquam nullum inde fructum nisi infamiam percipere posset. Convertas: *Als aber Q. Haterius stimmte, es möchten desselben Tages Senatsbeschlüsse in goldner Schrift in der Curie aufgehängt werden, so ward er zum Gelächter, da er in seinem Greisenalter von der häſslichsten Schmeichelei nichts als die Unehre gewinnen konnte.* Si quis aetate florens et ob honores capessendos aut potentiam sibi parandam principum gratiae avidus talia censuisset, deridiculo certe non fuisset, sed odium atque iram optimi cuiusque movisset. De usu participii *usurus* cf. 4, 39. Simili modo ponitur *iturum* infr. c. 66.

Cap. 58. *Asiam sorte haberet.* I. Fr. Gronovio suadente plerique in eo consentiunt, ut scribi malint: *Asiae sortem*, secundum c. 71, quoniam de sortitione, quae proprie dicitur, hic non sit sermo. Sed *sorte habere* ad extremum idem est ac *sortiri*, quod saepissime omissa sortitionis notione simpliciter significat nancisci, acquirere. Olim sorte solebat decerni, quae cuique consulari provincia contingeret; deinde ipsa provincia, quae contingeret alicui, sors eius dicta est. Quod si tenes, *Asiam sorte habere* nil aliud erit, nisi Asiam pro sua provincia habere. Nos: *Asien zum Loose bekommen.* Ceterum *sorte provinciam habere* opponitur formulae *habere missu Caesaris.* — De *flamine diali* cf. infr. 4, 16. Sueton. Oct. c. 31. Iul. c. 1. Dio 54, 36.

non licere Dialibus etc. cf. Liv. 5, 52. *Flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas est.*

ius suum. Ed. Beroald. *iussum*, quod Victorius in s. exemplari correxit *ius suum*, et sic edd. Rhen. sqq.

Martialium Quirinaliumque fl. Bene observavit Lipsius, ne his quidem antiquitus egredi Italia concessum fuisse. cf. Valer. Max. 1, 1, 2. Liv. epit. 19. Id. 37, 51. Id. epit. 59. Addit Ernest. Cic. Phil. 11, 8.

si hi duxissent. Lipsius coniecit: *si hi duo rexissent* vel *si hi direxissent.* Rectius alii tuentur *duxissent*, intellecto *sorte*, quod commode omitti potuit, quum e contextu satis constet de sensu formulae. Et solet ita Noster in brevius contrahere eiusmodi locutiones. Vid. not. ad 1, 64. Broterius cum Rutgersio *ducere* ut graecum ἡγεῖσθαι accipit pro *regere.* cf. not. ad Agr. c. 6. *ludos duxit.*

aut munere publico impediretur: duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones. Quod si per tot annos possit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius abfuturum ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum, ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulatione, non odio aut privatis adfectionibus obnoxium.

duobus ... suffectum. L. Cornelius Merula a. u. c. 667. quomodo abierit, vide apud Vellei. 2, 22. et Flor. 3, 21, 16. et potissimum Appian. B. C. 1, p. 395. An. u. 743. vel 744. quum Augustus restitueret nonnulla ex antiquis caerimoniis paulatim abolitis, flaminium Diale etiam restitutum est. Suet. Oct. c. 31. Dio 54, 36. Iam ex anno 667. usque ad an. 743. non sunt duo et septuaginta anni, sed aliquanto plures. Hinc non capio, quomodo Lipsius huic loco potuerit adscribere, rationem constare. Vossius ad Vellei. 2, 43. Tacitum emendat *sex et septuaginta*. Sed hoc temerarium. Nam facilius concedes Dionem quam horum Annalium contextum de tempore falsum esse. At ne Dionem quidem falsum esse puto. Si quid recte video, Servius duo et septuaginta annos ita numeravit, ut omitteret quattuor annos ad Iulii Caesaris flaminium pertinentes, de quo vide Vellei. 2, 43. et Sueton. Iul. c. 1. ibique interpretes. Etenim Servii verba non sunt ita comparata, ut necessario de 72 annis continuis cogitemus; possunt etiam intelligi ita, ut inter eos annos, qui inde a Merulae caede usque ad flaminium ab Augusto restitutum sint praeterlapsi, 72 anni dicantur fuisse, quibus nemo fuerit Dialis.

non aemulatione. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. usque ad Pichenam. Hodie omnium interpretum sententia eo redit, uti Muretum *aemulatione* in *aemulationi* recte mutasse censeant propter vocabulum *obnoxium*. Quare plerosque offendet repetita nunc vetus scriptura. Accuratius igitur causae erant exponendae. Etenim triplici ratione utitur vocabulum *obnoxius*. Ponitur cum dativo rei, ut significet eum, in quem ea res vim suam exercet, ut supr. 2, 75. *fortunae obnoxia*; infr. 16, 6. *amori uxoris obnoxius*; 14, 40. *insidiis obnoxius*. Deinde et nude positum invenitur id vocabulum et sine ullo casu, ut indicet eum, qui sui non est compos, aut quia studio alicui indulget, aut quia alieno arbitrio tenetur. cf. Hist. 1, 1. *inter infensos vel obnoxios*. Hist. 2, 56. *obnoxiis ducibus*. Sueton. Tib. c. 12. *obnoxium et trepidum egit*. Seneca de ira 3, 8. *cum placidissimo et facillimo et minime obnoxio morosoque vivendum est*. Sallust. Cat. c. 14. *dum illos obnoxios fidosque faceret*. Ut tamen constet de causa, quae ita obnoxium aliquem reddat, ea additur in sexto casu. cf. supr. 2, 75. *Agrippina infelici fecunditate fortunae obnoxia*; infr. 14, 40. *orbitate et pecunia insidiis obnoxius*; 15, 38. *obnoxia urbe artis itineribus*. Eundemque ablativum et hic habes, ut *non aemulatione, non odio aut privatis adfectionibus obnoxium* intelligas eum, qui neque ob aemulationem neque ob odium aut privatas adfectiones sibi insitas obnoxius (*befangen*) sit. Sic *amore in-*

LIX. Adversus quae cum augur Lentulus aliique varie dissererent, eo decursum est, ut pontificis maximi sententiam opperirentur. Tiberius dilata notione de iure flaminis decretas ob tribuniciam Drusi potestatem caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureasque litteras contra patrium morem. Recitatae et Drusi epistolae quanquam ad modestiam flexae pro superbissimis accipiuntur: Huc decidisse cuncta, ut ne iuvenis quidem tanto honore accepto adiret urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet. bellum scilicet aut diverso terrarum distineri litora et lacus Campaniae cum maxime peragrantem. sic imbui rectorem generis humani: id primum e paternis consiliis discere. sane gravaretur aspe-

fensus 14, 42. Contra *aemulationi obnoxius* est, qui aemulos habet; *odio* (dativ.) *obnoxius*, quem alii odere, invisus; *privatis adfectionibus* (dativ.) *obnoxius*, non qui ipse adficitur aliqua cupiditate in alios, sed qui aliorum in se cupiditates patitur. Verum hoc minime vult Servius; dicit potius Tiberium ut summum in neminem uti aemulatione, odio aut privatis adfectionibus h. e. eum *non aemulatione* etc. *obnoxium* esse. Ceterum *privatae adfectiones* sunt, quae Nostro Agr. c. 19. dicuntur *studia privata*, favor ex necessitudine aut gratia privata oriundus (*Parteilichkeit*); quo sensu aptissime opponuntur *aemulationi* et *odio*. Sic Acidalii quoque coniectura, qua censebat delendum esse *aut*, inutilis evadit.

Cap. 59. *notione*. H. e. cognitione. Ita et Cic. pr. dom. c. 13. Id. ad Att. 11, 20. Liv. 27, 25. Gell. 17, 18.

decidisse. Sic cod. MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1574. *recidisse* edd. Lips. posteriores, Pich. Grut. sqq. usque ad Iac. Gronovium, qui restituit veterem scripturam. Recte. Nam *recidisse* significat ad pristinam calamitatem rediisse. cf. Suet. Iul. c. 17. *Recidit rursus in discrimen aliud*; namque prius iam fuerat in discrimine. *Decidisse* simpliciter mutationem in peius innuit. cf. Suet. Claud. c. 9. *ad eas rei familiaris angustias decidit*: quod interpretes contra Ernestium ibi bene tuentur. Nec absurde Baumgarten - Crusius scribit *decidere* adiectam habere loci, *recidere* temporis notionem.

auspicia saltem. Lucem dat Liv. 22, 1.

bellum scilicet. Intellige *esse* (*es sei wohl Krieg*). Aegre ferunt, quod in tanta rerum tranquillitate, nec ulla absentiae necessitate in urbem venire negligat. Delectatur Noster ea brevitate dicendi. cf. not. ad 2, 82. Ne igitur audias, qui cum Lipsio mutant *bellum* in *bello* vel cum Heinsio emendant: *diversa terrarum distinere*. Male etiam Ricklefs ad *bellum scilicet* e sequentibus intelligit *eum non distinere*; peius Ruperti, qui *bellum* adiective positum accipit et pro *aut* substituit *haud*; pessime Crollius, qui ponit: *Illum scilicet haud — distineri*.

cum maxime. Sic cod. MS. edd. Pichen. sqq. suadente Rhenano in castigatt. Edd. Ber. Rhenan. Ald. sqq. *tum maxime*. cf. Ramshorn. Gr. p. 319. Idem vitium frequens est in vett. libris. cf. 4, 27.

ctum civium senex imperator fessamque aetatem et actos labores praetenderet: Druso quod nisi ex adrogantia impedimentum?

LX. Sed Tiberius vim principatus sibi firmans imaginem antiquitatis senatui praebebat postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis. Igitur placitum, ut mitterent civitates iura atque legatos. Et quaedam, quod falso usurpaverant, sponte omisere: multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta ipsorumque numinum religiones introspexit, libero ut quondam, quid firmaret mutaretve.

LXI. Primi omnium Ephesii adiere memorantes non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae,

Cap. 60. *licentia atque impunitas.* ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 51.

protegentis. Ed. Ber. *protegentes*, quod Victorius in s. exempl. corr. *protegentis*, uti est apud Rhenan. sqq. Scilicet Beroald. interpungit *seditionibus: populi* etc.

iura atque legatos. Roth. l. l. explicat *iura per legatos. Iura* h. e. privilegia.

libero. Sic 1, 6. *periculoso.* Vide ibi not.

Cap. 61. *Ephesii.* De quorum asylo vid. Strabo. 14, p. 641.

non .... genitos. Cf. nummi Ephes. apud Eckhel. vol. 2, p. 512 sq. Brunck. Anal. 1, 194. 2, 16. Strabo. 14, p. 689.

lucum Ortyg. Cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. *locum*, quod Victorius in suo exempl. Beroald. corr. *lucum.* Sic inde a Pichena omnes. Lipsius iam prius in margine posuerat. Nam Strabo de eadem re 14, p. 639. *καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὲς ἄλσος κ. τ. λ.* Idem vitium in cod. MS. iam supr. 2, 25. deprehendimus.

ubi Latonam. Pichena malebat *ibi.* Perperam. Nam verba *ubi — edidisse* non adsunt, ut explicent notionem praecedentem, sed *ubi* hic ut saepissime aliam sententiam priori adnectit. cf. Ramshorn. Gr. §. 195. 1. b) p. 616. et exempla ibi adscripta.

quae tum etiam maneat, adnisam edidisse ea numina: deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem bello victorem supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse. Auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia potiretur, caerimoniam templo: neque Persarum ditione deminutum ius. Post Macedonas, dein nos servavisse.

LXII. Proximo Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret. Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris ob vetusta in partis merita et recens divi Augusti decretum attulere, laudati quod Parthorum inruptionem

quae tum etiam. Cf. not. ad 2, 26. Mox ed. Ald. *adnixam.*

aram insederant. Thucyd. 3, 28. ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ὅμως καθίζουσι. Palaeph. c. 41. καθέζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν.

potiretur. Sic edd. Ber. sqq. *poteretur* cod. MS. hic et c. 73. Eandem scripturam constanter praefert cod. Flor. litt. Lang. scr. testibus Iac. Gronovio et Victorio. Idem cod. dat *oreretur* pro *oriretur.* Mox *deminutum* edd. Pich. sqq. *diminutum* edd. vett. cf. not. ad 1, 14.

Cap. 62. *Proximo Magnetes.* Sic cod. MS. edd. vett. sqq. Freinshemio et Acidalio suadentibus recentiores mutavere in *proximi,* quoniam antecessit *primi omnium Ephesii adiere.* Sed Noster in talibus variare solet, et *proximo* intellecto tempore vel loco non minus est verbum ordinis, quam *proximi;* nam *proximi* hic etiam dicuntur tempore vel loco. Mox etiam sequitur *posthac* et *exin.* Plane sic nos: *Demnächst stützten sich die M.* etc. brevius pro: *Magnetes, qui proximo adiere, nitebantur* etc. Heinsius satis e longinquo repetit coniecturam suam: *E proximo. Proximo* hic exacte respondet vocabulo ἐγγυτάτω. Xenoph. Cyr. 5, 3, 45.

decoravere. Freinshemius coniecit *decoraverint* vel *decoravissent.* Ernestius vulgatum tuetur propter *insederant* c. 61. et recte quidem. cf. not. ad 2, 26. Aliter se habet *dicaverint* c. 63.

Leucophrynae. Sic legimus auctore Lipsio et praeeuntibus Pich. sqq., quia sic constanter id nomen scribitur. Edd. vett. *Leucophryenae,* quam scripturam Broterius revocavit et e nummis defendit, qui habent Λευκοφρυήνη.

posthac. Acidalius malebat *post hos,* Heinsius *post haec* vel *post has* sc. civitates, sine ulla mutandi necessitate.

in partis. Sic cod. MS. ed. Iac. Gronov. *in parteis* edd. Ber. sqq.

attulere, laudati etc. Sic locum interpungo cum Bekkero. Priores edd. inde a Beroaldo: *attulere. Laudati* etc. Sed participium ad eandem pertinet enuntiationem respicitque ad subiectum. Acidalius volebat: *attulere, laudantis* etc. Sed idem sensus inest scripturae vulgatae, nec tempus in *laudantis* loco satis convenit.

Parthorum inruptionem. cf. Dio 48, 26.

nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent. Sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. Altius Hierocaesarienses exposuere: Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum. et memorabantur Pepernae, Isaurici multaque alia imperatorum nomina; qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aerias: post filius eius Amathus Veneri Amathusiae et Iovi Salaminio Teucer Telamonis patris ira profugus posuissent.

LXIII. Auditae aliarum quoque civitatum legationes. Quorum copia fessi patres et quia studiis

sed Aphrodisiensium. Acidalius: *pertulissent; seque ... religione tuebantur*, quod placebat Heinsio, quanquam est ineptum. Nam, ut taceam de illo *seque*, quod plane alieno loco positum est, civitates illae non sese religione suorum numinum, sed potius eorum religionem tueri voluerunt. *Sed*, quod Acidalio et Mureto molestum erat, satis eleganter sic ponitur, ut ἐπανόρθωσιν efficiat, ut nostrum *jedoch* vel *aber*, ne intelligas utrosque eadem tuitos esse. Eodem modo c. 63. *sed cultus numinum* etc. cf. Ramshorn. Gram. §. 181. B. II. 1., p. 588. Wopkens. volebat: *religione nitebantur*, ut c. 68. et 4, 55. Sed aptissime dicuntur *tueri*, qui documenta pro tuenda aliqua re adferunt.

rege Cyro. Freinshemius et Ryckius malunt *regi Cyro*, ut sit a rege Cyro, quoniam sic validius ius asyli adstruatur. Sed ambiguitas verborum intolerabilis est. cf. not. ad 2, 7. Neque tamen puto per formulam *rege Cyro* tempus tantum denotari, sed accipio, Cyro auctore et sub eius auspiciis delubrum esse dicatum. Nam quae aliquo rege fieri dicuntur, intelligimus illo fieri iubente, permittente. A Cyro delubrum illud dicatum minime est credibile. Similis locus infr. c. 71. *quae principe Augusto constituta* etc.

non modo — sed —. Omisso *etiam*, ut saepe et c. 65. cf. Ramshorn. Gr. p. 536. c). et not. ad 1, 77.

exin Cyprii tribus delubris, quorum etc. Elliptice dictum. Ad *Cyprii* intellige verbum *adiere* vel simile quid. *Tribus delubris* h. e. τριῶν τεμενῶν ὄντων.

auctor Aerias: post filius etc. Inter *Aerias* et *post* pro (,) posui (:), ne coniungas: *quorum vetustissimum ... post filius ... et Teucer ... posuissent.* Ad *auctor Aerias* e sequentibus supplendum est *posuisset.*

posuissent. Est optativus aoristi, qui exprimit rem e coniectura pendere neque in certo esse positam certisque documentis confirmari nequivisse. cf. Herodot. 2, 47. τὰ δὲ ἄλλα χρέα σιτέονται ἐν τῇ πανσελήνῳ, ἐν τῇ ἂν τὰ ἱρὰ θύσωσι· ἐν ἄλλῃ δὲ ἡμέρῃ οὐκ ἂν ἔτι γευσαίατο. Diversum igitur sensu est a *posuerint.*

Cap. 63. *quorum.* Non ad proxime praecedentia tantum pertinet, sed ad Ephesios, Magnetes, ceterosque omnes. Ne igitur putes, corrigendum esse *quarum.* Paulo ante ed. Beroald. habet *civitatium.*

certabatur, consulibus permisere, ut perspecto iure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent. Consules super eas civitates, quas memoravi, apud Pergamum Aesculapii compertum asylum rettulerunt: ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. nam Smyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint, Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint. propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios Dario rege niti. sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi. Petere et Cretenses simulacro divi Augusti. Factaque senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam: neu specie religionis in ambitionem delaberentur.

Edd. Rhenan. seqq. *civitatum.* cf. not. ad 4, 14.

quia studiis certabatur. Bene Strombeckius animadvertit, hoc pertinere ad patres, quorum alii alias civitates gratia iuvarent.

super eas civitates. Non video, quo tandem iure Ruperti coniecerit scribendum esse: *super iis civitatibus*, quum constet *super* hic poni pro *praeter*; ut apud Suet. Claud. c. 28. et Tac. An. 1, 59.

ceteros. Intellige *Smyrnaeos, Tenios.* Ruperti mavult *ceteras* sc. civitates. Frustra.

Stratonicidi. Sic edd. Rhenan. sqq. — Ed. Beroald. *Stratonici divae*, syllaba *vae* e vocabulo sequenti repetita. Paulo ante cod. MS. refert *Zmyrneris;* ed. Beroald. sqq. *Smyrnaeos.* Sic et 4, 43. in MS. sunt *Zmyrnei.* Mox ed. Ald. dat *domum* pro *donum.*

Dario rege. Edd. Ber. Rhen. Ald. *Dareo rege.* Vulgata script. est in edd. Lips. 1574. sqq.

niti. E Lipsii emendatione, quam recepit Pichena sqq. Edd. Beroald. Rhenan. et nuper Ruperti *uti.*

venerandi. cf. not. ad 2, 47. Describitur *cultus* qualis fuerit. De particula *aut* vid. not. ad 1, 8. et 2, 47. *aerario aut fisco.*

petere. Sc. asylum. Sic vett. edd. et Bernegg. sqq. — Lipsius Pich. Gruter. alii *petiere.*

figere aera. Cod. MS. test. Pichena *fiere aera*, unde idem Pich. aptissime fecit *figere aera.* Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *facere aras.*

sacrandam ad memoriam. Sacrare hic non est sacram facere rem, quae ante vulgaris fuit; sed constituere, instituere rem sacram, ut 1, 73., ubi *ludos sacravit* est: instituit ludos, rem sacram. Ne igitur interpreteris: *um das Andenken zu heiligen;* sed *zur Stiftung eines geheiligten Andenkens.* Strombeckius haec verba plane neglexit.

neu specie. Germanice reddunt: *damit*, ut ita aera ad sacrandam memoriam fixa esse dicantur, ne specie — delaberentur. Quod contortum est. Immo duo patres iusserunt vel monuerunt, primum ut aera figerentur, tum ne specie — delaberentur. Ad alterum membrum e verbo *iussi* ἀναλόγως intelligendum est *moniti.*

ambitionem. Hackius mire con-

LXIV. Sub idem tempus Iuliae Augustae valetudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia sive occultis odiis. Neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat, idque ille credebatur ut inferius maiestate principis gravi et dissimulata offensione abdidisse. Sed tum supplicia diis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut fetiales quoque iis ludis praesiderent. Contradixit Caesar distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam fetialibus hoc maiestatis fuisse. ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur.

LXV. Exsequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore: quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus

vertit *Umgehung*; alii rectius *Anmaſsung*. Maluerim *Ehrsucht*.

Cap. 64. *valetudo*. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *valitudo*. cf. not. ad 14, 51.

Tiberii nomen suo postscripserat. De Liviae adrogantia fusius Dio 57, 12. qui scribit: οὐχ ὅσον ἐξ ἴσου οἱ ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ πρεσβεύειν αὐτοῦ, ἤθελεν.

gravi et dissimulata offensione. Roth. (p. 56) haec docet esse accipienda per figuram ἓν διὰ δυοῖν et quidem eius generis, quod pertinet ad adiectiva. Vid. not. ad 1, 20. *antiquam duramque*; 1, 40. *muliebre et miserabile agmen.* Etenim *dissimulata offensio* unam efficit notionem.

abdidisse. H. e. alta mente condidisse ibique retinuisse, ut in tempore promeret, licet nunc offensionem dissimularet. Perperam Ernestius malebat *accepisse*.

ludique magni. H. e. circenses.

fetialibus. Edd. Beroald. Rhen. Ald. *foecialibus*, et paulo ante *foeciales*. Alii *feciales*. Sed scriptura *fetiales* nititur auctoritate inscriptionum. cf. Muratori thes. nov. inscr. T. I, p. 188. 3.

ideo Augustales etc. Tiberius hisce verbis cavet, ne fetiales in deminutionem sui accipiant, quod ipsi arceantur, Augustales admittantur.

Cap. 65. *exsequi sententias haud institui* etc. Germanice: *Ausführlicher Bericht über die Abstimmungen gehört nicht zu meiner Einrichtung, sind sie nicht ausgezeichnet* etc. Alii alia. Est sententia, quae in universum quidem valet, cuius tamen hic potissimum locus fuit, ut brevior in antecedentibus expositio excusaretur.

pravis dictis factisque. Sic *bona facta* c. 40.

ex posteritate et infamia. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 51.

sit. Ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum, qui praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia censerent. Memoriae proditur Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum: „o homines ad servitutem paratos!" Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat.

LXVI. Paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum proconsulem Asiae repetundarum a sociis postulatum Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Brutidius Niger aedilis simul corripiunt obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem: Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Ser. Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos. videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur aut ille Scaurus, quem proavum suum opprobrium maiorum Mamercus infami opera dehonestabat. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis propolluebat.

Cap. 66. *C. Silanum.* Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Rhen. Ald. *C. Sillanum.*

Brutidius. Edd. Beroald. Ald. *Brutedius* e MS.; Rhenan. Lips. sqq. *Brutidius.* Mox redit eadem librorum varietas.

violatum Augusti numen. Sic et supr. 1, 73.

litterarium ludum. Sic edd. Beroald. Rhen. sqq. Per Oberlini editionem inrepsit *litterarum ludum*, operarum vitio puto, quod dein ceteri omnes propagarunt. Paulo ante ed. Beroald. pro *maiorum* habet *malorum.*

propolluebat. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhen. sqq. Quod verbum ἅπαξ λεγόμενον, variis tentarunt emendationibus. Faber (apud Lipsium): *perpolluebat*; Groslotius: *propellebat*, quod a I. Fr. Gronovio et Ryckio ac plerisque recentiorum editum est. Pichena: *praetor polluebat*; Acidalius: *protollebat.* Secutus est Woltmannus: *in die Höhe bringen.* Lipsius teste Acidalio: *porro polluebat*; Freinshemius: *propalabat.* Hinc Strombeckius: *er suchte — aufzuhellen.* Heinsius: *praepollebat*; Iac. Gronovius: *provolvebat*; Hillerus: *praetegebat.* Ego cum Bekkero cod. MS. verbum reposui, quia *propellebat* illud Groslotii, quod vulgo edunt, eo loco indignum erat. Nam quis unquam scripsit: *obscura initia propellere*, ut sit oblitterare, abolere, obtegere? Iam *propol-*

Brutidium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis, quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant.

LXVII. Auxere numerum accusatorum Gellius Publicola et M. Paconius, ille quaestor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa, cum super tot senatores adversos facundissimis totius Asiae eoque ad accusandum delectis responderet solus et orandi nescius proprio in metu,

luebat satis probabiliter quidem defendi potest. *Polluere* apud Nostrum frequens est verbum; significat μιαίνειν. Sic 3, 29. *pollu sse nobilitatem familiae videbantur.* Uti vero clara initia impudentibus ausis haud dubie videntur pollui, ita obscura initia satis iam habent sordium, quam ut pollui dici possint. At si quis ex humili loco in altiorem evectus in tantum impudentiae procedit, ut ne obscuris quidem initiis suis, nedum claris digna patret, sed pudenda initia impudentia superet, tum haud inepte diceretur obscura initia impudentibus ausis propolluere. Nam *pro*, ut πρό, in compositione inter alia etiam significat *ulterius, longius*, ut progredi, προβαίνειν, provehere, προάγειν. Hinc *propolluere* erit in polluendo ulterius progredi. Ita fere sensit Gruterus. Quod *propolluere* inusitatum est verbum, nil nos morabitur; Tacitus pro huius loci ratione id verbum sibi indulsisse videbitur, ut infr. 6, 25. *provixisse.* Unum considero, nempe quod *polluere* omni compositioni repugnet, quippe et ipsum compositum. Defensionem igitur eius scripturae trepidare haud infitior et si quid recte video *propolluebat* ortum est ex *proluebat* (ἀποκλύζειν *hinwegwaschen, abspülen*). Etenim *obscura initia* sunt pro sordibus; *impudentibus ausis proluebat*, acerbe est dictum. Nam debuisset potius egregie factis proluere. Opinor librarium aliquem aut codicis possessorem, quum mendum suspicatus esset in *proluebat*, super syllaba *pro* scripsisse *pol*, ut ostenderet legendum esse *polluebat*, idque alius ita accepit, ut syllabam superscriptam pro omissa haberet et verbo insereret.

iter pergeret. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. Lips. 1574. *perageret.* Edd. sqq. *pergeret* suadente Rhenano in castigatt. Recte. cf. 15, 27. 4, 20. Hist. 3, 68.

exstimulabat. Edd. Ber. Rhen. Ald. *extimulabat*, uti solent.

aequalis. Sic ed. Beroald. aliaeque. Ed. Rhenan. aliaeque *aequaleis.* Ald. *aequales.*

anteire. Ed. Beroald. vitiose *antere parat.* Emendavit Rhenan.

Cap. 67. *Publicola.* Sic MS. edd. Ber. Rhen. Ald. *Poplicola* edd. Lips. Pich. Grut. sqq.

adgerebantur. Sic edd. vett. cf. not. ad 1, 19.

qui exercitam quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat. neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. Servos quoque Silani, ut tormentis interrogentur, actor publicus mancipio acceperat. et ne quis necessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierum interiectu defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.

eo quod. Lipsius *et quod*, quod placuit Ricklefsio. Acidalius *eoque quod.* Sed Ernestius bene docuit hisce verbis explicari antecedentia. Debebat enim scriptor rationem reddere, quomodo Tiberius reum voce et vultu presserit, sc. *eo quod* etc. Mox ante *neque* plene erat interpungendum, uti est apud Rhenanum; nam haec non amplius pendent e *quod.*

servos quoque. cf. 2, 30. ibique not.

interrogentur. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. Ald. sqq. Sed quoniam grammatices ratio illud tempus videbatur vetare, Paschalio auctore Pichena sqq. mutarunt in *interrogarentur.* Nimia fuit sedulitas. Nam in temporum consecutione Noster eandem cum Graecis rationem diligentiamque usurpat. Et hic quidem optativus, qui est in *interrogarentur*, locum obtinere nequit, quia sensum detorquet. Significat enim: *damit sie durch die Folter befragt werden könnten*, sc. si quando interrogari eos placeret. Utrum interrogati sint, necne, incertum relinquitur. At hic non est res, quae cogitari tantum posse dicatur; sed iubetur: *Sie sollen befragt werden* h. e. *interrogentur*; igitur *ut interrogentur*, *um befragt zu werden.* Sic Herodot. 9, 51. ἐς τοῦτον δὴ τὸν χῶρον ἐβουλεύσαντο μεταναστῆναι, ἵνα καὶ ὕδατι ἔχωσι χρᾶσθαι ἀφθόνῳ καὶ οἱ ἱππέες σφέας μὴ σινοίατο. Ubi ἵνα ἔχωσι exacte respondet coniunctivo *ut interrogentur*, at μὴ σινοίατο ex mera cogitatione pendet. Simile exemplum apud Nostrum exstat 13, 27. *Scripsitque Caesar senatui: privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur* (haec e cogitatione pendent, *sie könnten* etc. Pergit autem) *in commune nihil derogent* (hoc iubetur). Hermannus ad Viger. sub 350 negligentiam dicit, quam diligentiam esse puto. Cf. idem de emend. rat. gramm. II, 21. p. 212. Vid. not. supr. ad 1, 19. sub v. *meditentur.*

actor publicus. cf. not. ad 2, 30.

vinclum et necessitas. Cf. Roth. p. 21.

ausis. Hoc verbum Oberlinus satis defendit locis Liv. 39, 8. *pleraque per vim audebantur.* Id. ib. c. 55. *ad talia audenda.* Nepos 1, 4. Vellei. 2, 56. Ovid. Met. 2, 328. 11, 242. Noster 13, 47. Potuisset addi e cap. praec. *impudentibus ausis.* Priores interpretes mutandum hic aliquid esse putaverant. Faërnus: *missis* pro *ausis*; Ryckius: *ausus codicillos*; Groslotius: *orsis* pro *ausis.*

invidiam et preces. cf. infr. 4, 53. *invidiam et preces orditur.*

LXVIII. Tiberius quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messalla eiusdem Asiae proconsule factumque in eum senatus consultum recitari iubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat. ille multum de clementia principis praefatus aqua atque igni Silano interdicendum censuit ipsumque in insulam Gyarum relegandum. Eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus separanda Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit adnuente Tiberio.

LXIX. At Cornelius Dolabella, dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus addidit, ne quis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur: idque princeps diiudicaret. nam a legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios provideri, ne peccaretur? Adversum quae disseruit Caesar: non quidem sibi ignara, quae de Silano

Cap. 68. *Messalla.* cf. not. ad 1, 8. non de viro, sed de scriptura. Cod. MS. et vett. edd. hic dant *Messala.*

igni. Sic edd. Ber. Lips. sqq. *igne* edd. Rhen. Ald.

quippe alia parente geniti. C. Silanus si fuit frater M. et L. et D. Silanorum, de quibus Noster 3, 24. et 12, 4. 8. et 13, 1., tum matrem eius intellige Aemiliam Lepidam, proneptem Augusti ex Julia Agrippae et Iuliae filia. Id certum est, hunc Silanum fuisse fratrem Iuniae Torquatae. cf. c. 69. et Iunius Torquatus, qui abavum ferebat Augustum, legitur 15, 35. Connexus igitur haud dubie fuit domui Caesarum per matrem. Iam interpretes haerent in voce *alia*, quae multis emendationibus coniecturisque occasionem praebuit. Lipsius: *quippe tali parente geniti*, vel *quippe illa parente g.* Vir doctus ad Lipsium ex veteri libro: *quippe alta parente.* Freinshemius: *quippe Iulia p. g.* Grotius: *quippe Mallia parente g.* Reinesius: *q. Cornelia p. g.* Heinsius: *q. Aelia p. g.* Hillerus: *q. dia p. g.*, quod imitati sunt Ricklefs et Woltmann. Herrmannus maluit *Iulia parente* (*einer Iulischen Mutter*). Longum foret, harum coniecturarum sensum rationemque explicare. Weikertus locum: *quippe ... geniti*, delendum censet. Quibus consiliis supersedebimus, quum cod. MS. verbum bono sensu non careat. *Alia* hic ut saepissime praegnanti utitur significatu, ut sit *diversa*, *dissimilis* sc. in bonam partem. Liv. 44, 18. *Alius vir erat.* Tacit. Hist. 3, 55. *si alius dux foret.* Ibid. 1, 89. *si ducibus aliis bellatum foret.* An. 1, 43. *quorum alia nunc ora*, *alia pectora contueor.* Igitur: *quippe alia parente geniti*, accipiendum erit pro *quippe meliore* (a C. Silano dissimili) *parente geniti*, cuius memoria non sit digna, ut ignominiose tractetur. Adulatione haec iactabantur. Vide initium cap. seq. Meam rationem Hackio acceptam esse video. Nonnulli e voce *alia* haud absurde suspicantur duas Silano fuisse matres, veram et novercam. Ceterum solita eiusmodi bonorum separatio. cf. infr. 13, 43.

vulgabantur: sed non ex rumore statuendum. multos in provinciis, contra quam spes aut metus de illis fuerit, egisse. excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum; hebescere alios. neque posse principem sua scientia cuncta complecti: neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. ideo leges in facta constitui; quia futura in incerto sint. sic a maioribus institutum, ut, si anteissent delicta, poenae sequerentur. ne verterent sapienter reperta et semper placita. satis onerum principibus, satis etiam potentiae. minui iura, quotiens gliscat potestas: nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse: darent Iuniae familiae et viro quondam ordinis eiusdem, ut Cythnum potius concederet. id sororem quoque Silani Torquatam priscae sanctimoniae virginem expetere. In hanc sententiam facta discessio.

LXX. Post auditi Cyrenenses, et accusante Anchario Prisco Caesius Cordus repetundarum damnatur.

Cap. 69. *vulgabantur*. Valde Ernestius inclinabat, ut *vulgarentur* scribendum putaret. Bene abstinuit. Vid. not. ad 2, 26. Mox edd. vett. *antissent* pro *anteissent*, quod hodie edunt.

minui iura. Cod. MS. et inde vett. edd. *minutura*, quod Lipsius egregie mutavit in *minui iura*. Sic iam pridem Victorius in suo exempl. correxerat.

moderandi. Nostrates volunt: *sich zu mäfsigen*. At quem propria ira non impellit, huic eximia prudentia non opus est ad moderationem sui. Quod quum ita sit, *moderandi* verbum potius spectat ad sententias senatorum, in quis moderandis prudentem se ostendit Tiberius, si propria ira non impelleretur.

Cythnum. Cod. MS. test. Iac. Gronovio *Cythenum*, unde Beroald. fecit *Cytheram*. Sed Lipsius pridem coniecit legendum esse *Cythnum*, quae est insula iuxta Atticam sub Euboea. Nam eadem insula iterum apud Nostrum memoratur Hist. 2, 8. et ibi MS. Vatic. etiam habet tribus syllabis *Scithinum*, rectius Flor. *Scythnum*. Inde satis apparet, quomodo *Cythenum* sit corrigendum. Simile mendum ex enuntiatione oscitantium exortum exstat 4, 43. ubi cod. MS. refert *Limenatidis* pro *Limnatidis*. Nec dissimile est c. 62. *Leucophryenae* pro *Leucophrynae*. Ceterum *ut* ante nomen insulae deest in vett. edd. Addidit Pich. e MS.

virginem. Sc. Vestalem. Docent inscriptiones. Vid. Lipsius ad h. l.

Cap. 70. *Cyrenenses*. cf. supr. c. 38. Creta cum Cyrenis una erat provincia. cf. Suet. Vespas. c. 2. Strabo 17, extr.

L. Ennium equitem Romanum maiestatis postulatum, quod effigiem principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim statuendi: neque tantum maleficium impune habendum. sane lentus in suo dolore esset: rei publicae iniurias ne largiretur. Intellexit haec Tiberius, ut erant magis, quam ut dicebantur, perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

LXXI. Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustae equites Romani voverant Equestri Fortunae. nam etsi

insignitior infamia. Edd. vett. *insignior*; Pichena e cod. MS. restituit *insignitior*. Heinsii coniecturam *infamiae* e prave accepto Graecismo oriundam satis refutavit Ernestius.

egregium publicum. Varie interpretantur. Ricklefs *seine öffentliche Würde*; Hackius *öffentliches Wohl*; Woltmann *öffentliches Heil*; Strombeck et Herrmann *öffentlichen Ruhm.* Quorum hi soli Taciti mentem expressisse videntur. Nam *egregium* apud Nostrum constanter eo significatu dicitur, ut opponatur *pravis*, *scelestis*, *indecoris*. cf. 14, 60. 1, 12. et 13. et 42. et 59. 3, 6. Et hic *egregium* illud et *bonae artes*, invicem synonyma, distinguuntur per *publicum* et *domi*, quae vocabula et supra c. 38. aeque sibi opponuntur. Iam *bonae artes* sunt, quod nostrates dicunt *Rechtschaffenheit*; hinc etiam *egregium* de virtute potius quam de viri dignitate aut de salute rei publicae intelligendum esse censeo, ut sit: *seine öffentliche Vortrefflichkeit, sein Verdienst als Staatsmann.* Opponuntur *bonae domi artes*, *sein persönlicher Charakterwerth.* *Egregium publicum* dictum est, ut *bonum* vel *malum publicum*. Sic infr. 6, 24. *tanquam egregium*, substantive. De quo usu cf. Viger. c. 3. sect. 2. reg. 1. Rhenan. in castigg. *se*, *rem publicam et bonas* etc.

Cap. 71. *Equestri Fortunae.* Quoniam mox dicitur templum eius deae in urbe non esse repertum, contra Valerius Max. 1, 1, 20. et Liv. 40, 40. aliique auctores sunt, Q. Fulvium Romae dedicasse aedem Fortunae Equestri; nonnulli cum Lipsio suspicantur eam aedem incendio consumptam ad id tempus non exstitisse. Quae tamen ratio non satis apta esse videtur ad tollendam difficultatem. Nam Tacitus ita loquitur de hac re, ut apertum sit, Romae plane inauditum fuisse templum eo cognomento. Si casu aliquo tum templum illius Fortunae abolitum esset, profecto mentionem eius casus scriptor fecisset, quod recte animadvertit Ryckius. Quaero etiam, quid sibi voluerit aedes Equestris Fortunae apud Antium? porro, quid valetudo Augustae habuerit cum Equestri Fortuna? Satis igitur verisimile est, vitio laborare textum. Nec defuerunt, qui emendarent. Gruterus coniecit: *Sequestri Fortunae.* Probant Pichena, I. Fr. Gronovius, Ryckius,

delubra eius deae multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat. repertum est aedem esse apud Antium, quae sic nuncuparetur, cunctasque caerimonias Italicis in oppidis templaque et numinum effigies iuris atque imperii Romani esse. ita donum apud Antium statuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem flaminem Dialem prompsit Caesar recitavitque decretum pontificum: quotiens valetudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificii neu saepius quam bis eundem in annum. Quae principe Augusto constituta satis ostendebant annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi.

Lallemandus aliique. Gruterus intelligit Fortunam, quae se mediam collocaret inter fatum et Augustam, inter adversam et prosperam fortunam. I. Fr. Gronovius *Sequestrem* interpretatur custodem, apud quam Augustae salutem deponerent. Utramque significationem ei vocabulo propriam esse constat. Unum deest, nempe idoneum aliquod testimonium, Fortunam id cognomentum apud veteres usurpasse, de qua re nil usquam innotuit. Quare cuncta hic incerta manent.

prompsit. Sic edd. Beroald. et Lips. sqq. *promisit* edd. Rhenan. Ald. nescio an vitio typograph.

ut pontificis m. arbitrio plus quam b. a. Sic Lipsius et Pichena e cod. MS. locum restituerunt. Prius inde a Beroaldo vulgabatur *arbitrium* pro *arbitrio.* Lipsius explicat: licere flamini abesse etiam plus quam binoctium; sed duntaxat in adversa valetudine et cum exceptionibus quae sequuntur. Sed haec non sufficiunt, ut locus sanus sit. Nam, ut bene vidit Ricklefs, absurdum est arbitrium pontificis m. in hac verborum serie. Absentia si adversa flaminis valetudine excusatur, quid tum arbitrium pontificis m.? Num decreto pontificum caveri potuit, ne saepius quam bis eundem in annum aut diebus publici sacrificii flamen valetudine laboraret? Iam Ricklefs lacunam hic suspicatur, quam explet sic: *Quotiens val. — arbitrio pontificis sacra dialia faceret; ipse ne plus quam* etc. Sed illud *ipse ne* concoquere nequeo, leniоremque medicinam suffecturam esse confido; immo diaeta aegrotum curabimus. Accipe *ut* pro adverbio *wie;* tum sententia erit: liceret abesse et ob valetudinem adversam et secundum pontificis m. arbitrium. Iam reliqua *dum ne* etc. non ad valetudinem adversam, sed ad pontificis m. arbitrium respiciunt. Germanice: *So oft Krankheit den Opferpriester des Jupiter ergriffe, sowie mit Bewilligung des Oberpriesters, möchte er über zwei Nächte abwesend seyn* etc. Quae ratio si displicet, muta *ut* in *aut*, non *et*, uti vult Herrmannus. Nam copulae *et* hic non est locus. Coniunctio *ut* non solum inutilis est, sed etiam, ubi nunc ponitur, alienum obtinet locum. Rhenan. in castigatt. emendat: *ut pontificis m. arbitrio ne plusquam binoctium abesset.* Mox ed. Ald. *memorabanturque.*

memorabaturque L. Metelli pontificis maximi exemplum, qui Aulum Postumium flaminem attinuisset. Ita sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata.

LXXII. Iisdem diebus Lepidus ab senatu petivit, ut basilicam Paulli, Aemilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque. erat etiam tum in more publica munificentia: nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuvias aut exundantis opes ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre. quo tum exemplo Lepidus quanquam pecuniae modicus avitum decus recoluit. At Pompeii theatrum igne fortuito haustum Caesar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii. simul laudibus Seianum extulit, tanquam labore vigilantiaque eius tanta vis unum intra damnum stetisset. Et censuere patres effigiem Seiano, quae apud theatrum Pompeii locaretur. neque multo post Caesar, cum Iunium Blaesum proconsulem Africae triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat.

LXXIII. Ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere. nam Tacfarinas, quanquam saepius depulsus, reparatis per intima Africae auxiliis huc adrogantiae ve-

Cap. 72. *monimenta.* Sic cod. MS. ed. Beroald. et recentt. inde a Iac. Gronovio. — Edd. Rhenan. Ald. sqq. *monumenta.* cf. not. ad c. 23. Idem Iac. Gronovius paulo ante e MS. restituit *ab senatu,* quum priores ederent *a senatu.*

arcuerat. Ex emendatione Lipsii, quam recepere recentiores editores. Edd. Beroald. Rhenan. sqq. *arguerat*, quod Ruperti repetiit, Wopkens. defendit locis 4, 12 et 37. 5, 8. Livius 38, 28. 40, 12. Sulp. Sev. 412. Et *arguere* sane dicitur pro accusare, criminari aliquid, ἐλέγχειν, *rügen.* Sed nusquam legi *arguere aliquem aliquid facere*, ut sit vituperare vel criminari aliquem, quod aliquid faciat. Eadem utriusque verbi confusio est Hist. 3, 56. ubi ed. Spir. dat *arguere* pro *arcuere.*

proconsulem Africae. Ed. Ber. *procons.* Edd. Rhenan. sqq. *proconsulem.*

Cap. 73. *ac tamen.* Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Bekkerus nuper dedit: *At tamen*, quod non est huius loci. cf. not. ad 14, 55. et Hist. 5, 16. Vid. Ramshorn. Gr. § 179. 7. p. 523. Si auctor ante dixisset triumphi honores Blaeso negatos, tum scribendum esset *at tamen.* cf. Ramshorn. Gr. § 181. p. 540.

nerat, ut legatos ad Tiberium mitteret sedemque ultro sibi atque exercitui suo postularet aut bellum inexplicabile minitaretur. Non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret. ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quanquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum, ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. Dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo potiretur.

LXXIV. Et recepti ea venia plerique. mox adversum artes Tacfarinatis haud dissimili modo belligeratum. Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, pluris per globos incursaret eluderetque et insidias simul tentaret, tres incessus, totidem agmina parantur. ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit, qua praedatio in Leptitanos et suffugia Garamantum:

inexplicabile. Sic *inexplicabilis morbus* apud Plin. epp. 5, 9. *inexplicabilis facilitas* apud Liv. 37, 52. Ne igitur putes corrigendum esse *inexpiabile.*

non alias. Hill accepit pro: „non ob aliam magis quam hanc causam." Rectius Buhle: „non alio tempore aliaque occasione." Sic *alias* de tempore apud Cic. ad Att. 1, 11. Quaest. Acad. 4, 4. Apud posterioris aetatis scriptores etiam de loco: Plin. 22, 14. Iustin. 4, 1, 8.

populique Romani contumelia. Sic cod. MS. test. I. Gronovio, edd. Beroald. Pichen. sqq. — Edd. Alciat. Rhenan. Ald. *populique contumelia Rom.*, qui verborum ordo placebat auribus I. Fr. Gronovii. Mox ed. Ald. *Sparcaco* pro *Spartaco.*

potiretur. De constructione vid. not. ad 1, 33.; de scriptura not. ad c. 61.

Cap. 74. *pluris per globos.* Sic edd. vett. sqq. usque ad Berneggerum, qui dedit *plures.* Obtemperavere sequentes edd.

Leptitanos. Sic edidi cum Broterio suadentibus Freinshemio et Ryckio pro vulgato *Leptinos.* Nam ubique audiunt *Leptitani* cf. Hist. 4, 50. Sallust. Iug. c. 77 et 79. Caes. B. C. 2, 38. Hirt. B. Afr. c. 97. Cogitandum est de Lepti minore, quae saepius absolute dicitur *Leptis.* Nam Leptis, quae audit *magna*, in regione Syrtica longius ab hoc bello aberat. Iam Ernestius non intelligit, quomodo e finibus Leptitanorum suffugium fuerit in Garamantas, cum Leptis sit ad mare, Garamantes in interiori Africa. Nimirum Garamantum suffugia qui quaerebant, Tritonem fluvium debebant superare. Igitur exercitus in Byzacio positus simul potuit tutelam Leptitanorum suscipere et hostem ab illo fluvio

alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit: medio cum delectis castella et munitiones idoneis locis imponens dux ipse arta et infensa hostibus cuncta fecerat, quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere et saepe a tergo erat: multique eo modo caesi aut circumventi. Tunc tripartitum exercitum plures in manus dispergit praeponitque centuriones virtutis expertae: nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit: sed ut in limine belli dispositis castellis per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbat: donec fratre eius capto regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus id quoque Blaeso tribuit, ut imperator a legionibus salutaretur prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures simul imperatores nec super ceterorum aequalitatem. concessit quibusdam et Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blaeso postremum.

LXXV. Obiere eo anno viri inlustres, Asinius Saloninus M. Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso

arcere. Nihil in hac re mirum esse video.

traherentur. Cf. supr. c. 54. *haec cura omissa rem publicam funditus trahat.*

medio . . . dux ipse opponitur legatis in utroque latere. *Arta et infensa* autem hostibus *cuncta fecerat*, non solum castella et munitiones imponens, sed omni copiarum collocatione. Igitur Cornelio Scipione uni lateri, Blaeso filio alteri lateri praefectis, ipse medium tenens arta et infensa hostibus cuncta fecerat.

ut mos fuerat. Ed. Ald. *ut mox fuerat.*

ut in limine. In limine alicuius rei dicuntur esse, qui non sunt procul ab illa, sed quam proxime instant. Germanice: *sondern als dem Kriege im Angesicht.* Ed. Ald. omittit *in.*

proturbat. Edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. 1574. *proturbabat*, quod huic loco aptius esse videtur. *proturbat* edd. Lips. posteriores, Pich. Grut. sqq.

gaudio et impetu. Haec Roth. p. 26. ut ἓν διὰ δυοῖν interpretatur. De re cf. not. ad 1, 8.

tunc Tiberius Blaeso. Testis est Vellei. 2, 125. Ceterum contra cod. MS. auctoritatem olim haec distinguebantur ita: *Blaeso. Postremum obiere* etc. Meliorem rationem induxit Pichena.

CAP. 75. *Saloninus.* Sic edd. Lips. sqq. cf. Servius ad Virg. Ecl. 4, 1. — Edd. Beroald. Rhen. Ald. *Salonius.*

insignis Caesarique progener destinatus, et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus, sed avo centurione Sullano, patre praetorio. consulatum ei acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria: huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.

LXXVI. Et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit. quod civiliter acceptum, neque prohibuit, quo minus laudatione pro rostris ceterisque solemnibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii, Quintii aliaque eiusdem nobilitatis nomina: sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

memoravi. cf. 1, 76. 79. 3, 74. *incorrupta libertate.* Cuius specimen exstat apud Suet. Oct. c. 54. Inepta est virgula post *fama* in edd. Oberl. Weikert. Naudet.

Cap. 76. *opibus.* Edd. Ber. et Alc. e MS. *operibus;* Victorius in suo exemplari e Beroaldi sententia correxit *opibus*, uti legitur in edd. Rhen. sqq.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

A N N A L I U M

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

CAP. 1. Tiberius saevit. Causa penes Ael. Seianum, cuius ingenium et mores. 2. Is ad dominationem aspirat, quo ut perveniat, Romae in castra praetoria militem conducit. 3. Druso Tiberii filio insidiatur per uxorem eius stupro pollutam. 4. Drusus Germanici togam virilem sumit. Status publicus, numerus legionum, 5. earum et cohortium et classium loca exponuntur. 6. Civilis administratio qualis hactenus. 7. Seianus potentiam auget 8. sublato per venenum Druso. Tiberius animum obfirmat, senatum erigit eique filios Germanici duo commendat ut imperii heredes. 9. Funus Druso inlustre. 10. 11. Falsa de Druso a patre incaute necato fama. 12. Populi favor filiis Germanici noxius. Iis et Agrippinae Seianus insidias struit.

13. Tiberius legationes et accusationes civitatum et provinciarum audit. 14. De asylis actum: histriones Italia pulsi. 15. Alter ex Drusi liberis obit. Item Lucilius Longus principis amicus. Capito damnatus. 16. Lex lata de flamine Diali. Vestalibus habitus honos.

17. Solemnia vota pro principe. Iis inserti Nero et Drusus. hinc odium Tiberii, quem Seianus stimulat, 18. hic Germanici amicos adgreditur. 19. Silius damnatur. 20. Uxor eius Sosia in exsilium pellitur. M. Lepidi moderatio. 21. Piso accusatus obit. Cassius Severus in saxum Seriphium relegatur. 22. Plautius Silvanus perit.

23. Tacfarinatem bella rursus moventem 24. Dolabella opprimit 25. et caedit. 26. triumphalia non impetrat. Ptolemaeus munera accipit. 27. Servilis motus semina per Italiam oppressa.

28. Q. Vib. Serenus a filio accusatus. 29. 30. Amorgum reportatur. Praemia delatoribus statuta. 31. P. Suilius deportatur. Firmius senatu movetur. 32. 33. Iudicium de his annalibus.

34. Cremutius Cordus historiae scriptor ob Bruti et Cassii laudes accusatus libere se defendit et 35. vitam abstinentia finit. Libri eius cremati. 36. Cyzicenis adempta libertas. 37. 38. Templi honorem ab Hispanis oblatum Tiberius spernit. 39. Seianus nimia fortuna socors Liviam sibi uxorem a principe petit, qui 40. modeste negat et Seiani rationes refellit. 41. Hic augendae potentiae Tiberio secessum ab urbe suadet, 42. auditis in causa Votieni Montani contumeliis persuadet.

43. Romae legationes Graecorum auditae de iure asylorum. 44. Mors Lentuli, Domitii, Antonii. 45. L. Piso praetor a quodam agresti interficitur. 46. Thraces montani rebellantes 47—51. a Sabino pelluntur, caeduntur, obsidentur, frustra eruptione facta se dedunt.

52. Claudia Pulchra Romae adulterii accusata damnatur. 53. Agrippina maritum petit, nec impetrat. Ei 54. Seianus insidias struit. 55. Undecim urbes Asiae de templo Tiberio struendo certant. 56. praelati Smyrnaei. 57. 58. Tiberius dubia de causa in Campaniam abscedit arto comitatu. 59. In spelunca repentino lapidum lapsu periclitatus a Seiano servatur. hinc maior eius fides. Neronem Germanici adgreditur et 60. calumniis subvertit. 61. Mors Asinii Agrippae et Q. Haterii.

62. 63. Amphitheatri casu Fidenis multa hominum millia debilitata vel obruta. 64. 65. Romae incendium deurit Caelium montem. 66. Varus accusatur. 67. Princeps Capreas in insulam se abdit. 68—70. Titius Sabinus turpi fraude circumventus damnatur ipsis anni Kalendis. 71. Tiberius mentem suam recludi indignatur. Iulia neptis Augusti obit. 72. Frisios, quod avare habiti, rebellantes, 73. L. Apronius repressum it parum feliciter. 74. Turpis adulatio senatus. Seiani adrogantia. 75. Cn. Domitius Agrippinam Germanici filiam accipit uxorem. Haec sexennio fere gesta,

C. ASINIO, C. ANTISTIO COSS.
CORNELIO CETHEGO, VISELLIO VARRONE.
COSSO LENTULO, ASINIO AGRIPPA.
CN. LENTULO GAETULICO, C. CALVISIO.
M. LICINIO CRASSO, L. CALPURNIO PISONE.
AP. IUNIO SILANO, P. SILIO NERVA.

I. C. Asinio, C. Antistio coss. nonus Tiberio annus erat compositae rei publicae, florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat), cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere. Initium et causa penes Aelium Seianum cohortibus praetoriis praefectum, cuius de potentia supra memoravi: nunc originem, mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam.

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *compositae rei publicae, fl. d.* Ne credas Ernestio, cui melius videbatur *composita re publica florentis domus*. Nihil enim melius est quam quod nunc in contextu legitur. Asyndeton illud eximie Nostro convenit. cf. 3, 67. *voce, vultu*. Vid. not. ad 4, 68 et 43.

penes Aelium Seianum. cf. Dio 57, 19.

cohortibus praetoriis. Sic MS. edd. Alc. Rhen. sqq. *cohortibus praetorii* ed. Ber. e mendo typogr. Ita tamen 1, 7. 8. 17. 24. 30. et alibi.

supra memoravi. 1, 24. 3, 72.

raptum ierit. Cod. MS. tést. Pichena *raptum perit*, unde ille fecit *raptum ierit*, quia eadem formula est Hist. 2, 6. Coniicio librarium aliquem olim scripsisse *yerit*, indeque ortum esse *perit*. Edd.

Genitus Vulsiniis, patre Seio Strabone equite Romano, et prima iuventa C. Caesarem divi Augusti nepotem sectatus, non sine rumore Apicio diviti et prodigo stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia (quippe iisdem artibus victus est) quam deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax: sui obtegens, in alios criminator: iuxta adulatio et superbia: palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur.

II. Vim praefecturae modicam antea intendit dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus, crederetur.

Ber. Alc. Rhen. sqq. ante Pichenam *captaverit*. De *Apicio* cf. Dio l. l. cui nominatur *M. Gablus Apicius*.

veno dedisse. Sic cod. MS. testibus Pichena et Iac. Gronovio, edd. Ernest. Broter. sqq. cf. 13, 51. 14, 15. Olim auctore Beroaldo vulgabatur *venundedisse* vel *venumdedisse*. cf. 13, 39. 14, 33.

sollertia. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. *solertia*. Lips. sqq. *sollertia*.

sui obtegens. Ἀποκρύπτων ἑαυτόν. Xenoph. Cyr. 8, 7, 23. οὐ γὰρ ἐν σκότῳ ὑμᾶς οἱ θεοὶ ἀποκρύπτονται, ἀλλ' ἐμφανῆ πᾶσιν ἀνάγκη ἀεὶ ζῆν τὰ ὑμέτερα ἔργα. Tac. An. 1, 76. *perinde divina humanaque obtegens*.

Cap. 2. *Vim praefecturae*. cf. Dio l. l.

crederetur. Cod. MS. creditur habere *credetur*; certus testis non adest. Beroaldus aliique vett. dedere *crederetur*. Pluribus sane locis codex ille in eo falsus est, ut medias syllabas omittat. cf. not. ad 1, 20. Iam Pichena id putat dici, quod Seianus cohortes in una castra conducendo Tiberium ipsum ac populum Rom. decipere cogitaverit ea specie, ut illam militum coniunctionem ad ipsorum fiduciam et ceterorum metum crederent, cum re vera ad potentiam sibi sedulo parandam pertineret. Haud absurde. Nam saepius sic ad verbum *credere* Noster omittit *esse*, quod et hic deest. cf. 12, 64. *parem sibi claritudinem credebat*; 11, 18. *cui tantum asperitatis . . . credebatur*; Hist. 5, 1. *ut super fortunam crederetur*. Igitur *credo mihi fiduciam* erit: *ich messe mir Selbstvertrauen bei*. *Creditur mihi fiducia*, *ich stehe bei andern im Rufe des Selbstvertrauens*. Secundum haec locum convertes: *damit sie vereint befehligt würden und die Meinung Statt gewönne*, *Zahl, Stärke und gegenseitiger Anblick erfülle sie mit Selbstvertrauen* (*Muth*), *ein Schrecken für die übrigen*, vel: *und damit bei ihnen ein auf Zahl*, *Stärke und gegenseitigen Anblick gegründetes Selbstvertrauen vorausgesetzt würde*, *ein Schrecken für die übrigen*. Similis eiusdem verbi usus est

Praetendebat lascivire militem diductum: si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri: et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis inlecebris. Ut perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos adeundo, appellando: simul centuriones ac tribunos ipse deligere. neque senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus aut provinciis ornandi, facili Tiberio atque ita prono, ut socium laborum non modo in sermonibus, sed apud patres et populum celebraret colique per theatra et fora effigies eius interque principia legionum sineret.

infr. c. 33 et 39. Verba: *in ceteros metus*, adpositionem efficiunt, qualem invenimus 1, 27. *causam discordiae et initium armorum.* Vid. ib. not. Dio l. l. de eadem re haec habet: ὥςτε τὰ παραγγέλματα καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν, ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας, εἶναι. Non dubitabis Dionem e Tacito haec hausisse. — Paulo aliter locum interpretatus est I. Fr. Gronovius, et in hunc modum: „ut multitudinem suam noscendo, robur aestimando, vultus omnium singuli familiariores habendo certi fierent de fiducia inter sese deque metu sui apud ceteros; se, quidquid esset audendum, confidere inter se aliis metum facere posse." — Alii verbum *credere* damnant variasque coniecturas substituunt. Mercerus cum Acidalio: *dederetur* vel *dideretur*; Faërnus: *oriretur*; Muretus cum Ursino et Grotio: *cresceret*, quod nuper placuit Bekkero et Kiesslingio. Savilius: *crearetur*, quod damnata sua coniectura comprobavit postea Mercerus; etiam Freinshemius, Ryckius, Wopkensius, Broterius, Ernestius, qui *crederetur* certe alienum et corruptum esse putat. Crollius: *inderetur*. Sed locus ita est comparatus, ut latum coniiciendi spatium pateat; certi nihil arbitror definiri posse, quum cod. MS. ipse aperto vitio laboret.

procul urbis inlecebris. Non *procul urbe*; nam castra ad ipsam urbem fuere: sed procul urbis inlecebris, quippe disciplina castrensi habiti.

senatorio ambitu. Senatorius ambitus opponitur militari, innuitque studium senatum vel senatores sibi conciliandi, obligandi, in partes suas trahendi. Sic An. 2, 14. *ambitionem militarem* Noster dixit. Dio 58, 4. Ὁ δὲ δὴ Σηϊανὸς καὶ μείζων καὶ φοβερώτερος ἀεὶ ἐγίγνετο· ὥςτε καὶ τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προςέχειν, τὸν δὲ Τιβέριον ἐν ὀλιγωρίᾳ ποιεῖσθαι.

ornandi. Sic cod. MS. test. Pichena edd. Oberlin. sqq. Prius inde a Beroaldo edebatur *ornando*, cui formae nullus in hoc contextu locus est. Repetiit tamen Rupertius. Verum explicatur hic, qua ratione in ambitu illo usus sit h. e. qualis ambitus fuerit latetque in voce *ambitus* notio cupidinis, studii aliquid faciendi. cf. Hist. 1, 19. Nostrum aliquis scripsisset: *ita ut ornaret.* Vid. not. ad 2, 43 et 47. 3, 63.

socium laborum. Κοίνωνον τῶν φροντίδων. Dio 58, 4.

coli. Dio 58, 2. 4. 11.

per theatra. Dio 57, 21. Seneca ad Marc. c. 22.

effigies. cf. supr. 3, 72. infr. c. 7. Dio 57, 21.

interque principia legionum. Sueton. Tib. c. 48.

III. Ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis adferebant. et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat, placuit tamen occultior via et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus impatiens aemuli et animo commotior orto forte iurgio intenderat Seiano manus et contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta tentanti promptissimum visum ad uxorem eius Liviam convertere, quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. hanc ut amore incensus adulterio pellexit: et postquam primi flagitii potitus est (neque femina amissa

Cap. 3. *corripere.* H. e. trahere in perniciem, *συναρπάζεσθαι.* cf. 3, 49. 2, 28. 4, 19. 15, 44. Iustin. 3, 1. Perperam igitur Harlaeus coniecit *eripere.*

placuit tamen. Brevitas Taciti hic ut saepissime inutile emendandi studium excitavit. Harlaeus enim *tamen* delendum esse censebat; I. Fr. Gronovius malebat substitui *tandem*, Rupertius *itaque*, quibus coniecturis et Ricklefs favet. Aberrant etiam Strombeckius et Hackius. Nil tamen emendatione opus est. Nam quia vi tot simul corripere intutum erat, Seianus cogitabat de dolo; dolus autem intervalla scelerum poscebat, eaque intervalla displicebant, ut ita inter vim et dolum ambigeret. Placuit tamen occultior via h. e. dolus. Ita omnia bene cohaerent. Solent optimi scriptores negligere accuratiorem in talibus expositionem, ut quaedam intelligantur potius quam scribantur. Cf. not. ad 15, 1. Inepta est virgula, quam Oberlini editio habet inter *et* et *quia.* Retinuere tamen Ruperti, Weikert, Lünemann, Weise, Naudet. Bene delevit Bekkerus. Incommodum etiam erat punctum ante *placuit* in edd. positum. Nam a *placuit* incipit apodosis. cf. Roth. in commentatione, quae exstat in Seebod. *Neues Archiv* etc. 1829. nr. 22.

intenderat S. manus. Miror neminem interpretum ivisse contra Lipsii et Vertranii errorem, qui male intelligunt locum de eadem re apud Dionem et Zonaram obvium. Nempe his Drusum percussum dici a Seiano scribit Lipsius, et eadem opinione Vertranius Taciti verba mutabat: *et hic contra tendentis os verberaverat.* Falsi sunt. Nam Dionis verba de Seiano (57, 22.) *τά τε ἄλλα ὑπέρογκος ἦν καὶ τέλος καὶ ἐπὶ τὸν Δροῦσον ἐτράπετο, καί ποτε πὺξ αὐτῷ ἐνέτεινε·* et apud Zonaram verba *πὺξ αὐτῷ ἐντείνας* respiciunt ad Taciti: *contra tendentis*, neque *πὺξ ἐντείνειν* est colaphum infligere, *πληγὴν ἐντείνειν*, sed intendere manus.

adulterio pellexit. Non more poetarum, ut videtur Ernestio et Rupertio, ut sit pro *in* vel *ad adulterium;* sed duplex in verbo *pellicere* ratio est consideranda. Per se significat *anlocken, an sich ziehen.* Iam et aliqua re et ad aliquam rem pellicere alterum possum; ablativus indicat rationem pellicendi, accusativus finem. Utraque formula apud Nostrum invenitur. cf. 11, 19. *ad deditionem pellicerent;* 1, 2. *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit;* Hist. 4, 15. *occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia.* Ab-

pudicitia alia abnuerit), ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit. Atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat, ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectaret. Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae specie artis frequens secretis. pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. Sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

IV. Interim anni principio Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit: quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus, repetita. addidit orationem Caesar multa cum laude filii sui, quod patria benevolentia in fratris liberos foret. nam Drusus (quanquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse) aequus adulescentibus aut certe non adversus habebatur. Exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur. multitudinem veteranorum praetexebat imperator et delectibus supplendos exercitus. nam voluntarium militem deesse: ac si suppeditet, non

solute etiam ponitur sequente *ut*. cf. 3, 42. *pellicere alam equitum — ut* etc. Iam hic *adulterio pellexit* significat: *er zog sie an sich, verband sie sich durch Ehebruch.* Nam quod *ad adulterium* pellexit, hic non quaeritur, sed quomodo sibi devinxerit sc. adulterio adhibito. Sic 13, 45. *Otho pellexit iuventa ac luxu.*

abnuerit. Freinshemius malebat *abnueret;* Faërnus et Gruterus *abnuit.* Male. Nam quid grammatica ratio requirat, docebit locus Platonis de R. P. p. 492, E. οὔτε γίγνεται, οὔτε γέγονεν, οὐδὲ οὖν μὴ γένηται ἀλλοῖον ἦθος πρὸς ἀρετήν, παρὰ τὴν τούτων παιδείαν πεπαιδευμένον. Utuntur coniunctivo aoristi pro coniunctivo futuri, qui non exstat. cf. Matth. Gr. § 516. b. Buttmann. Gr. § 126. Anm. 8.

pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta. cf. not. ad 1, 2. *tuta et praesentia quam vetera et periculosa.*

frequens secretis. Secreta accipe de tempore et loco, quo Livia erat sola, quo secretum agebat. Sic *secreta Poppaeae* Hist. 1, 22.

Cap. 4. *fratri eius.* cf. 3, 29. Mox *benivolentia* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. *benevolentia* edd. Lips. sqq.

vetus .... consilium. cf. 1, 47. 3, 47.

multitudinem veteranorum. Qui missionem et praemia peterent. Mox *dilectibus* edd. Lips. Grut., uti solent; *delectibus* Ber. Alc. Rhen. Ald. Pichen. sqq.

si suppeditet. Ponit militem voluntarium re vera esse: *gesetzt es*

eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant: percensuitque cursim numerum legionum et quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque exsequendum reor, quae tum Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.

V. Italiam utroque mari duae classes, Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige. Sed praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani. cetera Africae per duas legiones parique numero Aegyptus: dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphratem,

gebe. Sin scripsisset *suppeditaret*, tum negaret militem voluntarium re vera esse, fingens tamen, rem fieri posse: *gesetzt es gäbe.*

non eadem virtute ac modestia agere. cf. Agr. c. 32. ibique not.

quanto sit angustius imperitatum. Bene Lipsius animadvertit haec dici in laudem Traiani, qui *Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffudit*, Eutrop. 8, 2. et Tac. An. 2, 61.

Cap. 5. *Misenum apud.* Ad tutelam inferi maris.

et Ravennam Ad tutelam maris superi. cf. Suet. Oct. c. 49.

praesidebant. cf. not. ad 3, 39.

octo legiones. cf. 1, 3.

recens perdomitae. Ab Augusto. cf. Suet. Oct. c. 21 et 81. Dio 51, 20. 53, 29. 54, 5 et 11.

Mauros Iuba rex acceperat. Dio 51, 15. 53, 26.

duas legiones. Per bellum Tacfarinatis altera legio e Pannonia addita est. cf. 3, 9. Prius et postea una tantum ibi fuit. cf. 2, 52. infr. c. 23. Hist. 2, 97. 4, 48. Post *Aegyptus* plenam distinctionem, quae est in edd., sustuli auctoritate veterum editionum. Nam verba: *cetera ... Aegyptus*, pertinent ad *coercita*. Inepta sane est ellipsis, quam in prioribus membris admittunt. Quia in toto loco singulis enuntiationibus verbum Noster addidit, nescio cur Africam et Aegyptum neglexerit.

dehinc initio ab Syria usque ad flumen. *Dehinc*, *darnach*, *ἐντεῦθεν;* respicit ad praecedentia. *Initio* absolute ponitur, intellige *facto*. *Initio ab Syria* exprimit nostrum: *von Syrien an* h. e. ita ut initium fiat a Syria. Nam simplex *ab Syria* potest etiam ita intelligi, ut Syria relinquatur neque computetur, ut nostrum: *von Syrien bis*. Quam scriptoris diligentiam in dicendo cum interpretes non intellexissent, locum emendationibus ornarunt. Muretus: *initio ab Syriae*, per transpositionem pro *ab initio Syriae*. Crollius: *dehinc interior Syria*. Ernestius vocabulum *initio* insititium putat. Rupertius: *dehinc Cilicia ac Syria*, vel: *Phoenicia ac S.* Sed nul-

quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quattuor legionibus coercita, adcolis Ibero Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. Et Thraciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis, ripamque Danubii legionum duae in Pannonia, duae in Moesia attinebant, totidem apud Dalmatiam locatis, quae positu regionis a tergo illis ac, si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur: quanquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. At apud idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium: sed persequi incertum fuerit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando minuerentur.

VI. Congruens crediderim recensere ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur:

lum hic locus ab emendandi studio auxilium petit.

coercita. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. et dein Pichena sqq. Ante Pichenam edebatur *coercitum* sive *cohercitum*, uti est apud Rhenanum et Ald. *Coercita* respicit etiam ad *cetera Africae* et *Aegyptus*, ut proxime dixi; ideoque *coercitum* ferri nequit. Malum punctum post *Aegyptus* in edd. recentt. positum decepit Kiesslingium, ut *coercita* scripturam vix ferendam censeret.

Ibero. Edd. vett. *Hybero.*

Rhoemet. et liberis C. cf. 3, 38. Ed. Beroald. *Cothyis*; sed eadem 3, 38. *Cotyis.*

duae in P. Nam tertia in Africam transposita tum nondum redierat. Prius tres ibi legiones invenimus. cf. 1, 16.

tres urbanae, novem praetoriae cohortes. Dio 55, 24. decem praetorias, quattuor urbanas habet. Nimirum uterque scriptor pro diverso tempore intelligendus est, Dio de aetate Augusti.

coloniis. Ex emendat. Lipsii. Vett. edd. *colonis* per contractionem. Rupertius tamen *colonis* repetiit. Muretus volebat *coloniis antiquis.*

incertum fuerit. Ex emendat. Lipsii. Nam edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *fuit.* cf. 15, 41. *Domuum.... numerum inire haud promptum fuerit.* Si tamen *fuit* defendendum sumpseris, auctorem dices non coniicere incertum fore; sed potius adseverare, incertum fuisse, cum ex actis monimentisque publicis haec scrutaretur.

CAP. 6. *quando.* Exacte respondet nostro *sintemal.* Woltm., Stromb., Ricklefs convertunt *als*, nullo idoneo sensu.

dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse: mandabatque honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. sua consulibus, sua praetoribus species. minorum quoque magistratuum exercita potestas: legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. At frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur. Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat: semelque adsumpti tenebantur prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Et ne provinciae novis oneribus turbarentur utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.

VII. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus, ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius. Quae cuncta non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus

eximeretur. Optativus Graecorum, ut 2, 30. *si mollius acciperes.* Vid. ib. not.

frumenta. Sc. vectigalia, quod intelligendum est e voc. *vectigales.* cf. Agr. c. 19. Mox ed. Ald. *res sua* puncto posito ante *quibusdam*; dein *iidem* pro *iisdem.*

acri. Edd. Ber. Alc. *agri*, quod Victorius in suo exemplari correxit *acri* et sic edd. Rhenan. sqq. Mox pro *fatigabatur* per ed. Oberl. vitio operarum irrepsit *fatigabantur*, quod transiit in alios libros.

asperis maris. cf. 3, 54.

avaritia ... magistratuum. cf. 1, 2.

Cap. 7. *modesta servitia.* *Modesta* Muretus interpretatur *pauca, intra modum.* Freinshemius et Ernestius de moribus servorum accipiunt, quod non attingerent rem publicam, non potentes nimis aut insolentes essent, ut postea. Hos sequitur Ricklefs et Kiesslingius; illum Strombeck. Hacke, Herrmann. Sane inter *raros agros* et *paucos libertos* non est locus disserendi de moribus servorum. *Modesta servitia* significant modestiam Tiberii in servitiis. Neque tamen de numero tantum, sed etiam de cultu et pretio modesto servitiorum cogites. Etenim Iulii Caesaris luxum in hac re dum perstringit Suetonius, scribit c. 47. *Servitia rectiora politioraque immenso pretio et cuius ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.*

comi via. Suet. Oth. c. 4. *alium alia via militem demerebatur.* Graece ὁδός i. q. τρόπος.

retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam dum superfuit, mansere, quia Seianus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat et ultor metuebatur non occultus odii et crebro querens, incolumi filio adiutorem imperii alium vocari: et quantum superesse, ut collega dicatur? primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. exstructa iam sponte praefecti castra, datos in manum milites: cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii: communes illi cum familia Drusorum fore nepotes. precandam post haec modestiam,

occultus odii. Sic edd. Lips. Pich. Grut. sqq. *odiis* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

cerni effigiem eius. cf. 3, 72. et not. ad 4, 3.

monimentis. Sic edd. Ber. Alc. et recentt. — Ed. Rhen. sqq. *monumentis.* cf. 3, 72.

communes — nepotes. Respice ad 3, 29. collato Suet. Claud. c. 27. Dio 60, 32. Obierat quidem Drusus filiae Seiani destinatus, cum ei ante paucos dies pater illam despondisset, et Lipsius magnifica ambage Tacitum guttam attigisse e flumine Lethes arguit; at mire oblitus est, a Tacito hasce Drusi querelas disertis verbis referri ad incipientem adhuc Seiani potentiam, ubi Claudii filius in vivis erat, et potuit Drusus haec queri ante sponsalia illa et cum primum audivisset ea esse futura.

precandam post haec modestiam. Lipsius ita dictam accipit *modestiam*, quasi sit inter deas, eamque interpretationem strenue defendit Freinshemius contra I. Fr. Gronovium, qui vult intelligi *modestiam* pedestri et vulgari significatu, ut locus suppleatur sic: *precandam post haec modestiam* sc. Seiani, vel *precandam* (a diis) *modestiam* (Seiano). Cum Gronovio faciunt Ryckius, Ernestius, Oberlin. sqq. Stant ab hac parte etiam, qui germanice Taciti libros edidere. Sunt tamen, quae Gronovii rationi adversentur. Nam primum duriuscula sane est omissio pronominis *ei* vel *eius*, quum ea omissione totus locus incertus evadat. Deinde concedes parum salis inesse verbis e Gronovii interpretatione acceptis. Denique ad illum sensum verba debebant collocari sic: *modestiam post haec precandam.* Quid igitur? num ad Lipsii rationem redibimus? At dea Modestia apud Romanos inaudita. Concedo. Templa aut aras modestiae quemquam posuisse non invenio. Atqui in eo ipso lepidissimum sententiae acumen latet; Drusus enim dicit porro precandam esse modestiam, uti dii invocari solent, ut Seianus contentus sit, utque ita ope divina efficiatur, quod supra vires sit humanas. Sed haec quisque e suo sensu iudicet. Id tantum addo, usu loquendi satis commendari Lipsii interpretationem. cf. 15, 17. *Sit quoque optimam Fortunam orandam, ut* etc. Plin. Panegyr. c. 86. *precatusque maria.* Ceterum cave, ne Romanos putes serio cogitasse de veris qui dicuntur diis, cum aras aut templa statuerent quibusdam virtutibus, animi adfectibus et eiusmodi nominibus aliis, eaque invocarent ut numina. Mera fictione poetica utebantur in hoc genere, et e fictione poetica apud illos omnino res divinae pendebant. Quaevis res, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa

ut contentus esset. Neque raro neque apud paucos talia iaciebat: et secreta quoque eius corrupta uxore prodebantur.

VIII. Igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum, quo paulatim inrepente fortuitus morbus adsimularetur. id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. Ceterum Tiberius per omnes valetudinis eius dies nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto curiam ingressus est. consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes honoris locique admonuit: et effusum in lacrimas senatum victo gemitu simul oratione continua erexit. Non quidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium. neque illos imbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse. miseratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aetatem suam, ut Germanici liberi unica praesentium malorum levamenta inducerentur, petivit. Egressi consules firmatos adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt. Quibus adprensis, „Patres conscripti, hos," inquit, „orbatos „parente tradidi patruo ipsorum precatusque sum, quan-

vis nominetur deus. cf. Cic. de N. D. 2, 23.

ut contentus esset. H. e. ne maiora cuperet. cf. 12, 52. *contentum honore Pallantem.* Plin. ep. 7, 29. *cuius honore contentus fuit.*

Cap. 8. *octo post annos.* cf. Dio 58, 11. Mox vett. edd. *valitudinis.*

sede vulgari. H. e. qua vulgus senatorum sedere solebat. Alias consules insigni sede utebantur. Simile quid factum est in morte Augusti. cf. Dio 56, 31. *ἐκαθέζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοὶ, ὥς που ἕκαστος εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν δημάρχων.*

e complexu rei publicae. De vocabulo cf. Cic. ad div. 4, 6. Noster supr. 2, 82.

rudem adhuc nepotum. Ernestius male coniungit: *rudem adhuc nepotum aetatem suam.* Immo miseratus est *rudem adhuc nepotum aetatem et vergentem aetatem suam.* Nepotes enim e Druso habebat. Vide mox: *quanquam esset illi propria suboles.* Ernestium cum fide secutus est Rupertius. Alii tamen rectius locum percepere.

adprensis. Sic cod. MS. Non est causa, cur reiiciamus, quum supra 3, 53. *deprenderem* e cod. MS. in textum sit receptum. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *adprehensis*, ed. Kiessl. *apprensis.*

„quam esset illi propria suboles, ne secus quam suum „sanguinem foveret ac tolleret sibique et posteris con„formaret. erepto Druso preces ad vos converto diisque „et patria coram obtestor, Augusti pronepotes clarissi„mis maioribus genitos suscipite, regite: vestram meam„que vicem explete. Hi vobis, Nero et Druse, paren„tum loco. ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rem „publicam pertineant."

IX. Magno ea fletu et mox precationibus faustis audita: ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus de reddenda re publica, utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.

X. In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, rettuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo

conformaret. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. Reduxit Pichena, postquam per edd. Lips. inrepserat *confirmaret*, quod aliud est, quam quod sibi vult Tiberius de educatione liberorum loquens. Defendit tamen Wopkensius locis 1, 71. Hist. 5, 4. Sallust. Iug. c. 45. huc non facientibus. Contra Plin. epp. 10, 118. *prudentiam tuam elegi, ut formandis istius provinciae moribus ipse moderareris.* Id. 4, 19. *me quoque a pueritia statim formare — solebas.* Id. 8, 23. *ut me formatore morum — uteretur.*

Cap. 9. *impleverat.* Vulgo interpretantur: *er hätte erfüllt*, vel *würde erfüllt haben.* Sed re vera impleverat, deerat tamen constantia sensuum in audientibus propter vana, quae sequebantur. Eadem huic verbo inest ratio, quam vidimus in *aberant* 1, 23. Vid. ib. not. et Ramshorn. Gr. §. 166. p. 410. c.) not.

plerisque additis. Plerisque h. e. multis. cf. Baumgarten-Crus. in clav. Sueton. sub h. v.

Attus Clausus. Sic cod. MS. unde reduxit Pichena. Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. *Appius Clausus.* cf. not. ad 11, 25. Liv. 2, 16. *namque Atta Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romae nomen.* Alii pro *Atta* vel *Attus* praenomen illud scribunt *Accius* vel *Attius.*

ut nondum exolescat. Corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is Lygdus aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat. deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sint, eo audaciae provectum, ut verteret et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens moneret Tiberium, vitandam potionem, quae prima ei apud filium epulanti offerretur. ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse: atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem, tanquam metu et pudore sibimet inrogaret mortem, quam patri struxerat.

Cap. 10. *corrupta.* Int. adulterio: *ad scelus*, int. in marito perpetrandum. Eodem sensu *scelus* dicitur 6, 33. et alibi.

quod is Lygdus. Sic cod. MS. edd. vett. Ernestius nomen *Lygdus* spurium et a glossatore additum arguebat; expunxit Oberlinus et dein alii. Sed minime ab usu bonorum scriptorum talis repetitio abhorret et hic satis idonea eius repetitionis ratio fuit. Nam verba: *corrupta .... vinxisse*, pendent e voce *rumorem;* sequentia: *quod .... erat*, explicandi causa ab ipso scriptore adduntur, hinc apte repetitur nomen *Lygdus.* Similis plane locus est 12, 49. *Is Pelignus*, quem eadem temeritate interpretes tractarunt.

locus v. tempusque. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Restituit Pichena, cum ante eum ederetur: *locus v., tempus*, sine copula *que*.

composita sint. Sic cod MS. test. Pich. et inde edd. Pichenae sqq. Contra edd. Ber. Alc. Rhen. aliaeque *composita sunt*, quod nescio an veram exhibeat scripturam. cf. not. ad 2, 26. Ernestius pro *sint* aut *sunt* volebat *fuerint* vel *fuerant*, contra quem Wopkensius disseruit eandem enallagen temporis esse 14, 11. et passim. Sed locus, ad quem ille respicit, satis dubiae est fidei; quanquam nil veri est in Ernestii commento.

eo audaciae provectum. Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. Unus Bekkerus nuper dedit *profectum.* At 2, 55. simillimo loco plerique recentiorum *provectus* mutaverunt in *profectus*, hic *provectum* servant, mira inconstantia. In loco Hist. 3, 17. *eo postremo ardoris provectus est*, et ceteri et Bekkerus veterem scripturam retinuere. Libri vett. constanter *provect.*, quod suis locis reposui.

quae prima ei apud f. e. Sic emendavit Rhenanus. Edd. Ber. Alc. Rhen. 1533. Ald. *quae prima et apud f. e.* Utramque vocem *et* et *ei* saepius permutari in cod. MSS. satis constat. cf. not. ad 3, 8. Verum permultis locis editores temere copulam *et* abegere bono et antiquo iure positam. cf. not. ad 1, 55. Neque inepte diceretur potio, *quae prima et apud filium pulanti offerretur.* Placidior haud dubie est auribus nostris emendatio Rhenani.

ea fraude tum senem. *Tum* Ernestio aliisque suspectum est. Pro *tum* volunt *captum*, *inductum*, *deceptum* vel simile quid. Frustra cf. notat. ad 2, 9. *tum permissum.*

XI. Haec vulgo iactata, super id quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad poenitendum regressu, quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur? Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est. neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

XII. Ceterum laudante filium pro rostris Tiberio senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur. quod principium favoris et mater Agrippina spem male tegens perniciem acceleravere. Nam Seianus ubi videt mortem Drusi in-

Cap. 11. *offerret.* Verbum proprium de iis, quae dantur edenda aut bibenda. cf. Sueton. Claud. c. 44. *boletum medicatum . . . obtulerat.* Id. Domit. c. 16. *oblatas tuberes.* Iam quia hic exitium fuit in poculo, apte dici potuit: *exitium offerret.* Ceterum interrogationis signum ponendum erat post *uteretur*, tollendum post *regressu.* Ricklefs id signum utroque loco posuit, uti est apud Beroaldum et Kiesslingium.

nullo ad poenitendum regressu. Int. Tiberio.

cunctatione et mora. Synonyma. cf. Roth. p. 8. — *erga* Graec. πρός, *in Rücksicht auf.*

Cap. 12. *laudante filium,* cf. Senec. cons. ad Marc. c. 15. Dio 57, 22. Mox una Aldina *dolentium* pro *dolentum.*

revirescere. Sic cod. MS. edd. vett. Restituit Iac. Gronovius sqq. In Lipsianas edd. inrepserat *reviviscere*, quod dein vulgavere usque ad Iac. Gronovium.

occulti laetabantur. cf. not. ad 3, 29.

ultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae impenetrabili. Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent, atque haec callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum per adulterium Mutiliae Priscae inter intimos aviae et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

XIII. At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat: factaque auctore eo senatus consulta, ut civi-

provenerant. cf. not. ad 1, 19.

spargi venenum. Verbum translatum est de animalibus nocentibus. cf. Ovid. Metam. 14, 403 et 57. Id. 2, 801. Cic. Catil. 2, 10.

superbam fecunditate. E verissima Mureti emendatione, quam recepit Ernestius. Edd. vett. *superbiam fecunditate subnixam p. st. i. d.* Dein virgulam ponebant post *subnixam.*

atque haec. Sic cod. MS. edd. vett. Muretus tamen et Acidalius, quum nescirent, quo referendum esset vocabulum *haec*, mutabant *atque* in *adque*, ut esset *ac super haec*, ἐπὶ τούτοις. cf. infr. 14, 31. Recepit Ernestius et deinde plerique editores. Sed hoc si scriptor voluisset, tum sufficiebat *ad haec*, ut 14, 31, neque unquam mihi credibile est, Tacitum sine omni necessitate ab initio huius loci admisisse molestum illud *adque*, quod auribus non potest non ambiguum esse. Hinc aliis, ut Ryckio et Barthio, *haec* intelligitur *Livia.* Sic. 2, 52. *atque hic, quem memoramus* etc. Et Ryckius quidem: „De Livia Seiani adultera, ait, sermonem esse patet ex eo quod Augusta mox appellatur eius avia." Observarunt alii aviam etiam dici potuisse Agrippinae, ut 3, 17 et 3. Sed superest tertia hunc locum explicandi via, quam nemo adhuc ingressus est, nempe ut *atque haec* accipias pro καὶ ταῦτα, *und zwar.* cf. Ramshorn. Gr. §. 158. p. 337. g.) et h.). *Haec* respicit ad praecedentia: *contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare.* In fine loci coniungas: *quia Prisca ... efficiebat.* Crollii acumen, quo *haec callidis* coniungit structura graeca, ut *artem edoctus, rem gnarus*, memoratu indignum est.

inliciebantur ... perstimulare. cf. not. ad 2, 37 et 27.

tati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam motu terrae labefactis subveniretur remissione tributi in triennium. Et Vibius Serenus pro consule ulterioris Hispaniae de vi publica damnatus ob atrocitatem temporum in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos reus, tanquam frumento hostem Tacfarinatem iuvisset, absolvitur, eiusdemque criminis C. Gracchus.

Cap. 13. *Aegiensi.* Sic cod. MS. Inde edd. vett. fecerant *Aeginensi* vel *Aegirensi.* Rectius edd. recentt. inde ab Ernestio et Broterio tuentur cod. MS. scripturam. De Aegio cf. Pausan. 7, 24. Liv. 38, 30. Senec. Q. N. 6, 25.

Vibius Serenus. Ad hunc referenda sunt verba Dionis 58, 8. *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι διά τε ταῦτα, καὶ ὅτι ὁ Τιβέριος ἐχθρόν τινα αὐτοῦ* (Seiani), *ἠρημένον μὲν πρὸ δέκα ἐτῶν Ἰβηρίας ἄρξαι, κρινόμενον δὲ ἐπί τισιν, ἐξ ἐκείνου ἀφῆκε κ. τ. λ.*

pro consule. Sic edd. Ber. Alc. et Iac. Gronov. cf. not. ad 2, 52. Edd. Rhenan. sqq. *proconsul.* Cod. MS. *procons.*

ob atrocitatem temporum. Sic cod. MS. edd. vett. Sed quum non pateret, quae tandem atrocitas temporum intelligi posset, plurimi acceperunt Lipsii emendationem: *ob atrocitatem morum*, et alii quidem virgulam ponunt post *morum*, alii post *damnatus.* Absurdum tamen esse videtur, sive dicatur ob atrocitatem morum de vi publica damnatus sive ob atrocitatem morum insigni poena adfectus. Sunt etiam qui de idonea veteris scripturae explicatione cogitent. *Atrocitatem temporum* iubent referri ad saevum imperium Tiberii, ut ita intelligatur gravior quam pro lege poena Vibio inflicta *ob atrocitatem temporum.* Sic nuper Kiesslingius. Verum hic cogitandum est non de Iulii Caesaris lege de vi et maiestate, qua constitutum fuit, ut de vi et maiestate damnatis aqua et igni interdiceretur; sed potius de lege Iulia Augusti *de vi publica* in eos lata, qui potestate aliqua praediti civem Romanum provocantem necassent vel aliquo supplicio adfecissent. cf. Paull. Sentent. V, 26, 1. Cuius legis poena fuit deportatio vel ultimum supplicium. Vibius igitur leviore poena punitur; causa sive iusta sive ficta fuit atrocitas temporum, sc. quae fuerant in ulteriore Hispania, ubi haud dubie peccaverat ille. Coniicio turbulentum fuisse Vibii imperium atque infestum tumultu aliquo vel latrociniis, ut ita crimen ab eo commissum excusatum quodammodo videri posset. Hispanos enim cognosces infr. c. 45. Woltmannus *tempora* intelligit de temperie coeli apud Cycladas atrociori, nisi malis cum eodem corrigere *verborum*, secundum c. 29 et 30. Freinshemius verba disceptata loco suo mota suspicabatur volebatque haec referri ad narrationem superiorem ac legi post *triennium.* Sed verba scripta tam facile suo loco non excidunt, quam videtur iis, qui saepius et ubique putant ex eiusmodi transpositionibus auxilia peti posse.

Carsidius Sacerdos. Cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Carsius S.* Sed quum infr. 6, 48. sit *Carsidius Sacerdos* (cod. MS. et vett. edd. *Grasidius*, quod haud temere correxerunt in *Carsidius*), idemque nomen inveniatur in inscriptt. apud Gruter. p. 767. nr. 10, hic etiam *Carsius* suadente Reinesio Ernestius mutavit in *Carsidius.* De mediis syllabis in illo codice saepius omissis vid. not. ad 1, 20. Ceterum iste vir videtur fuisse provincialis civitate Romana donatus. Alius eiusdem cognomenti, Iulius sacerdos, occisus est a Caligula. cf. Dio 59, 22.

Hunc comitem exsilii admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. illic adultus inter extorres et liberalium artium nescios mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur: neque tamen effugit magnae fortunae pericula. ac ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

XIV. Is quoque annus legationes Graecarum civitatum habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco. nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur. Variis dehinc et saepius inritis praetorum questibus postremo Caesar de immodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos tentari: Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et vi-

pater Sempronius. Cf. supr. 1, 53.

sordidas merces. Ernestius accipit non de certo mercium genere, sed de mercatura universa, quam sordidam et nobili homini indecoram putaverint. Non satis recte. Nam *sordidae merces* hic potius intelligendae sunt de *tenui mercatura*, quae sordida audit Ciceroni de Off. 1, 43. Mercatura si magna et copiosa est, multa undique adportans multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Sic Cicero l. l.

neque tamen. Vett. edd. *nec tamen.* Iac. Gronovius e cod. MS. dedit *neque t.*

Cap. 14. *civitatum.* Edd. Beroald. Rhen. Alc. Ald. *civitatium.* Vid. not. ad 3, 63. — Vulgatum est in edd. Lips. sqq. Mox Ald. *queis* pro *quis*, uti solet.

qua tempestate. Edd. Beroald. aliaeque vett. *ea qua tempestate.* Dein auctore Rhenano editum est: *ea tempestate qua*, vel: *qua tempestate*, quod hucusque locum obtinuit in omnibus edd.

ora maris potiebantur. cf. not. ad 1, 33.

cum iussu regis M. cf. Vell. 2, 18. Appian. B. Mithr. 22 et 23. Cic. pr. Flacc. 25.

Oscum ludicrum. Cf. Liv. 7, 2. Strabo 5, p. 533.

rium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. pulsi tum histriones Italia.

XV. Idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo, neque minus morte amici. is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius unusque e senatoribus Rhodii secessus comes: ita quanquam novo homini censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere: apud quos etiam tum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit, magna cum adseveratione principis non se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quod si vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios. Ita reus cognito negotio damnatur. ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui. et permissum statuere:

ut auctoritate. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. omittunt *ut.* Addidit Victorius in exempl. suo Beroald. et habent edd. sequentis aetatis.

Pulsi tum histriones. cf. Dio 57, 21. Sueton. Tib. c. 37.

Cap. 15. *alterum ex geminis.* cf. 2, 84. Dio 57, 14. Vell. 2, 130.

Lucilius. Sic cod. MS. et inde edd. Iac. Gronov. sqq. Priores edd. inde a Beroaldo *Lucillius*, et sic 1, 23.

censorium funus. Quale fuerit, disceptatur inter viros antiquitatis gnaros. Genus publici funeris fuisse nemo dubitat. Peculiare tamen aliquid habuisse funus censorium e nomine satis intelligitur. Cogita funus eadem pompa iisdemque caerimoniis ornatum, quibus efferri solebant censores in magistratu defuncti. Constat enim mortem censoris pro re magna et luctus plena esse habitam. cf. Liv. 5, 31. 6, 27. Inde colligi potest insignibus caerimoniis Romanos tale funus ornasse. cf. Polyb. 6, 53.

procurator Asiae. Dio 57, 23. τὸν Καπίτωνα, τὸν τὴν Ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα, ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ, ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινὰ ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν. οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν, ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι. Qui Dionis locus satis adfundit lucis Taciti verbis. De nomine *Lucilius* respice ad notata ab initio capitis.

damnatur. Dio l. l. ἐφυγάδευσεν.

priore anno. cf. 3, 66—69.

C. Silanum. Edd. Ber. Alc. *C. Syllanum;* edd. Rhenan. Ald. *C. Sillanum.* cf. not. ad 3, 66.

et permissum statuere. Video plerisque verbum *statuere* accipi pro *statuerunt*, ut ita ridiculum loco sensum intrudant. Tum enim sequentia: *egitque Nero grates ea causa*, non possunt intelligi nisi de

dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse: mandabatque honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. sua consulibus, sua praetoribus species. minorum quoque magistratuum exercita potestas: legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. At frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur. Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat: semelque adsumpti tenebantur prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Et ne provinciae novis oneribus turbarentur utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.

VII. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus, ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius. Quae cuncta non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus

eximeretur. Optativus Graecorum, ut 2, 30. *si mollius acciperes.* Vid. ib. not.

frumenta. Sc. vectigalia, quod intelligendum est e voc. *vectigales.* cf. Agr. c. 19. Mox ed. Ald. *res sua* puncto posito ante *quibusdam*; dein *iidem* pro *iisdem.*

acri. Edd. Ber. Alc. *agri*, quod Victorius in suo exemplari correxit *acri* et sic edd. Rhenan. sqq. Mox pro *fatigabatur* per ed. Oberl. vitio operarum inrepsit *fatigabantur*, quod transiit in alios libros.

asperis maris. cf. 3, 54.

avaritia ... magistratuum. cf. 1, 2.

Cap. 7. *modesta servitia. Modesta* Muretus interpretatur *pauca, intra modum.* Freinshemius et Ernestius de moribus servorum accipiunt, quod non attingerent rem publicam, non potentes nimis aut insolentes essent, ut postea. Hos sequitur Ricklefs et Kiesslingius; illum Strombeck. Hacke, Herrmann. Sane inter *raros agros* et *paucos libertos* non est locus disserendi de moribus servorum. *Modesta servitia* significant modestiam Tiberii in servitiis. Neque tamen de numero tantum, sed etiam de cultu et pretio modesto servitiorum cogites. Etenim Iulii Caesaris luxum in hac re dum perstringit Suetonius, scribit c. 47. *Servitia rectiora politioraque immenso pretio et cuius ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.*

comi via. Suet. Oth. c. 4. *alium alia via militem demerebatur.* Graece ὁδός i. q. τρόπος.

retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam dum superfuit, mansere, quia Seianus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat et ultor metuebatur non occultus odii et crebro querens, incolumi filio adiutorem imperii alium vocari: et quantum superesse, ut collega dicatur? primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. exstructa iam sponte praefecti castra, datos in manum milites: cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii: communes illi cum familia Drusorum fore nepotes. precandam post haec modestiam,

occultus odii. Sic edd. Lips. Pich. Grut. sqq. *odiis* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

cerni effigiem eius. cf. 3, 72. et not. ad 4, 3.

monimentis. Sic edd. Ber. Alc. et recentt. — Ed. Rhen. sqq. *monumentis.* cf. 3, 72.

communes — nepotes. Respice ad 3, 29. collato Suet. Claud. c. 27. Dio 60, 32. Obierat quidem Drusus filiae Seiani destinatus, cum ei ante paucos dies pater illam despondisset, et Lipsius magnifica ambage Tacitum guttam attigisse e flumine Lethes arguit; at mire oblitus est, a Tacito hasce Drusi querelas disertis verbis referri ad incipientem adhuc Seiani potentiam, ubi Claudii filius in vivis erat, et potuit Drusus haec queri ante sponsalia illa et cum primum audivisset ea esse futura.

precandam post haec modestiam. Lipsius ita dictam accipit *modestiam*, quasi sit inter deas, eamque interpretationem strenue defendit Freinshemius contra I. Fr. Gronovium, qui vult intelligi *modestiam* pedestri et vulgari significatu, ut locus suppleatur sic: *precandam post haec modestiam* sc. Seiani, vel *precandam* (a diis) *modestiam* (Seiano). Cum Gronovio faciunt Ryckius, Ernestius, Oberlin. sqq. Stant ab hac parte etiam, qui germanice Taciti libros edidere. Sunt tamen, quae Gronovii rationi adversentur. Nam primum duriuscula sane est omissio pronominis *ei* vel *eius*, quum ea omissione totus locus incertus evadat. Deinde concedes parum salis inesse verbis e Gronovii interpretatione acceptis. Denique ad illum sensum verba debebant collocari sic: *modestiam post haec precandam*. Quid igitur? num ad Lipsii rationem redibimus? At dea Modestia apud Romanos inaudita. Concedo. Templa aut aras modestiae quemquam posuisse non invenio. Atqui in eo ipso lepidissimum sententiae acumen latet; Drusus enim dicit porro precandam esse modestiam, uti dii invocari solent, ut Seianus contentus sit, utque ita ope divina efficiatur, quod supra vires sit humanas. Sed haec quisque e suo sensu iudicet. Id tantum addo, usu loquendi satis commendari Lipsii interpretationem. cf. 15, 17. *Sit quoque optimam Fortunam orandam, ut* etc. Plin. Panegyr. c. 86. *precatusque maria.* Ceterum cave, ne Romanos putes serio cogitasse de veris qui dicuntur diis, cum aras aut templa statuerent quibusdam virtutibus, animi adfectibus et eiusmodi nominibus aliis, eaque invocarent ut numina. Mera fictione poetica utebantur in hoc genere, et e fictione poetica apud illos omnino res divinae pendebant. Quaevis res, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa

ut contentus esset. Neque raro neque apud paucos talia iaciebat: et secreta quoque eius corrupta uxore prodebantur.

VIII. Igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum, quo paulatim inrepente fortuitus morbus adsimularetur. id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. Ceterum Tiberius per omnes valetudinis eius dies nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto curiam ingressus est. consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes honoris locique admonuit: et effusum in lacrimas senatum victo gemitu simul oratione continua erexit. Non quidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium. neque illos imbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse. miseratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aetatem suam, ut Germanici liberi unica praesentium malorum levamenta inducerentur, petivit. Egressi consules firmatos adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt. Quibus adprensis, „Patres conscripti, hos," inquit, „orbatos „parente tradidi patruo ipsorum precatusque sum, quan-

vis nominetur deus. cf. Cic. de N. D. 2, 23.

ut contentus esset. H. e. ne maiora cuperet. cf. 12, 52. *contentum honore Pallantem.* Plin. ep. 7, 29. *cuius honore contentus fuit.*

Cap. 8. *octo post annos.* cf. Dio 58, 11. Mox vett. edd. *valitudinis.*

sede vulgari. H. e. qua vulgus senatorum sedere solebat. Alias consules insigni sede utebantur. Simile quid factum est in morte Augusti. cf. Dio 56, 31. ἐκαθέζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοὶ, ὥς που ἕκαστος εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν δημάρχων.

e complexu rei publicae. De vocabulo cf. Cic. ad div. 4, 6. Noster supr. 2, 82.

rudem adhuc nepotum. Ernestius male coniungit: *rudem adhuc nepotum aetatem suam.* Immo miseratus est *rudem adhuc nepotum aetatem et vergentem aetatem suam.* Nepotes enim e Druso habebat. Vide mox: *quanquam esset illi propria suboles.* Ernestium cum fide secutus est Rupertius. Alii tamen rectius locum percepere.

adprensis. Sic cod. MS. Non est causa, cur reiiciamus, quum supra 3, 53. *deprenderem* e cod. MS. in textum sit receptum. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *adprehensis*, ed. Kiessl. *apprensis.*

„quam esset illi propria suboles, ne secus quam suum „sanguinem foveret ac tolleret sibique et posteris con„formaret. erepto Druso preces ad vos converto diisque „et patria coram obtestor, Augusti pronepotes clarissi„mis maioribus genitos suscipite, regite: vestram meam„que vicem explete. Hi vobis, Nero et Druse, paren„tum loco. ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rem „publicam pertineant."

IX. Magno ea fletu et mox precationibus faustis audita: ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus de reddenda re publica, utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.

X. In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, rettuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo

conformaret. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. Reduxit Pichena, postquam per edd. Lips. inrepserat *confirmaret*, quod aliud est, quam quod sibi vult Tiberius de educatione liberorum loquens. Defendit tamen Wopkensius locis 1, 71. Hist. 5, 4. Sallust. Iug. c. 45. huc non facientibus. Contra Plin. epp. 10, 118. *prudentiam tuam elegi, ut formandis istius provinciae moribus ipse moderareris.* Id. 4, 19. *me quoque a pueritia statim formare — solebas.* Id. 8, 23. *ut me formatore morum — uteretur.*

Cap. 9. *impleverat.* Vulgo interpretantur: *er hätte erfüllt*, vel *würde erfüllt haben.* Sed re vera impleverat, deerat tamen constantia sensuum in audientibus propter vana, quae sequebantur. Eadem huic verbo inest ratio, quam vidimus in *aberant* 1, 23. Vid. ib. not. et Ramshorn. Gr. §. 166. p. 410. c.) not.

plerisque additis. Plerisque h. e. multis. cf. Baumgarten-Crus. in clav. Sueton. sub h. v.

Attus Clausus. Sic cod. MS. unde reduxit Pichena. Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. *Appius Clausus.* cf. not. ad 11, 25. Liv. 2, 16. *namque Atta Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romae nomen.* Alii pro *Atta* vel *Attus* praenomen illud scribunt *Accius* vel *Attius.*

ut nondum exolescat. Corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is Lygdus aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat. deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sint, eo audaciae provectum, ut verteret et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens moneret Tiberium, vitandam potionem, quae prima ei apud filium epulanti offerretur. ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse: atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem, tanquam metu et pudore sibimet irrogaret mortem, quam patri struxerat.

Cap. 10. *corrupta.* Int. adulterio: *ad scelus*, int. in marito perpetrandum. Eodem sensu *scelus* dicitur 6, 33. et alibi.

quod is Lygdus. Sic cod. MS. edd. vett. Ernestius nomen *Lygdus* spurium et a glossatore additum arguebat; expunxit Oberlinus et dein alii. Sed minime ab usu bonorum scriptorum talis repetitio abhorret et hic satis idonea eius repetitionis ratio fuit. Nam verba: *corrupta .... vinxisse*, pendent e voce *rumorem;* sequentia: *quod .... erat*, explicandi causa ab ipso scriptore adduntur, hinc apte repetitur nomen *Lygdus*. Similis plane locus est 12, 49. *Is Pelignus*, quem eadem temeritate interpretes tractarunt.

locus v. tempusque. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Restituit Pichena, cum ante eum ederetur: *locus v., tempus*, sine copula *que*.

composita sint. Sic cod MS. test. Pich. et inde edd. Pichenae sqq. Contra edd. Ber. Alc. Rhen. aliaeque *composita sunt*, quod nescio an veram exhibeat scripturam. cf. not. ad 2, 26. Ernestius pro *sint* aut *sunt* volebat *fuerint* vel *fuerant*, contra quem Wopkensius disseruit eandem enallagen temporis esse 14, 11. et passim. Sed locus, ad quem ille respicit, satis dubiae est fidei; quanquam nil veri est in Ernestii commento.

eo audaciae provectum. Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. Unus Bekkerus nuper dedit *profectum.* At 2, 55. simillimo loco plerique recentiorum *provectus* mutaverunt in *profectus*, hic *provectum* servant, mira inconstantia. In loco Hist. 3, 17. *eo postremo ardoris provectus est*, et ceteri et Bekkerus veterem scripturam retinuere. Libri vett. constanter *provect.*, quod suis locis reposui.

quae prima ei apud f. e. Sic emendavit Rhenanus. Edd. Ber. Alc. Rhen. 1533. Ald. *quae prima et apud f. e.* Utramque vocem *et* et *ei* saepius permutari in cod. MSS. satis constat. cf. not. ad 3, 8. Verum permultis locis editores temere copulam *et* abegere bono et antiquo iure positam. cf. not. ad 1, 55. Neque inepte diceretur potio, *quae prima et apud filium pulanti offerretur*. Placidior haud dubie est auribus nostris emendatio Rhenani.

ea fraude tum senem. Tum Ernestio aliisque suspectum est. Pro *tum* volunt *captum*, *inductum*, *deceptum* vel simile quid. Frustra cf. notat. ad 2, 9. *tum permissum.*

XI. Haec vulgo iactata, super id quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad poenitendum regressu, quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur? Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est. neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

XII. Ceterum laudante filium pro rostris Tiberio senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur. quod principium favoris et mater Agrippina spem male tegens perniciem acceleravere. Nam Seianus ubi videt mortem Drusi in-

Cap. 11. *offerret.* Verbum proprium de iis, quae dantur edenda aut bibenda. cf. Sueton. Claud. c. 44. *boletum medicatum . . . obtulerat.* Id. Domit. c. 16. *oblatas tuberes.* Iam quia hic exitium fuit in poculo, apte dici potuit: *exitium offerret.* Ceterum interrogationis signum ponendum erat post *uteretur*, tollendum post *regressu.* Ricklefs id signum utroque loco posuit, uti est apud Beroaldum et Kiesslingium.

nullo ad poenitendum regressu. Int. Tiberio.

cunctatione et mora. Synonyma. cf. Roth. p. 8. — *erga* Graec. πρός, *in Rücksicht auf.*

Cap. 12. *laudante filium,* cf. Senec. cons. ad Marc. c. 15. Dio 57, 22. Mox una Aldina *dolentium* pro *dolentum.*

revirescere. Sic cod. MS. edd. vett. Restituit Iac. Gronovius sqq. In Lipsianas edd. inrepserat *reviviscere,* quod dein vulgavere usque ad Iac. Gronovium.

occulti laetabantur. cf. not. ad 3, 29.

ultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae impenetrabili. Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent, atque haec callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum per adulterium Mutiliae Priscae inter intimos aviae et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

XIII. At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat: factaque auctore eo senatus consulta, ut civi-

provenerant. cf. not. ad 1, 19.

spargi venenum. Verbum translatum est de animalibus nocentibus. cf. Ovid. Metam. 14, 403 et 57. Id. 2, 801. Cic. Catil. 2, 10.

superbam fecunditate. E verissima Mureti emendatione, quam recepit Ernestius. Edd. vett. *superbiam fecunditate subnixam p. st. i. d.* Dein virgulam ponebant post *subnixam.*

atque haec. Sic cod. MS. edd. vett. Muretus tamen et Acidalius, quum nescirent, quo referendum esset vocabulum *haec*, mutabant *atque* in *adque*, ut esset *ac super haec*, ἐπὶ τούτοις. cf. infr. 14, 31. Recepit Ernestius et deinde plerique editores. Sed hoc si scriptor voluisset, tum sufficiebat *ad haec*, ut 14, 31, neque unquam mihi credibile est, Tacitum sine omni necessitate ab initio huius loci admisisse molestum illud *adque*, quod auribus non potest non ambiguum esse. Hinc aliis, ut Ryckio et Barthio, *haec* intelligitur *Livia.* Sic. 2, 52. *atque hic, quem memoramus* etc. Et Ryckius quidem: „De Livia Seiani adultera, ait, sermonem esse patet ex eo quod Augusta mox appellatur eius avia." Observarunt alii aviam etiam dici potuisse Agrippinae, ut 3, 17 et 3. Sed superest tertia hunc locum explicandi via, quam nemo adhuc ingressus est, nempe ut *atque haec* accipias pro καὶ ταῦτα, *und zwar.* cf. Ramshorn. Gr. §. 158. p. 337. g.) et h.). *Haec* respicit ad praecedentia: *contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare.* In fine loci coniungas: *quia Prisca ... efficiebat.* Crollii acumen, quo *haec callidis* coniungit structura graeca, ut *artem edoctus, rem gnarus*, memoratu indignum est.

inliciebantur ... perstimulare. cf. not. ad 2, 37 et 27.

tati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam motu terrae labefactis subveniretur remissione tributi in triennium. Et Vibius Serenus pro consule ulterioris Hispaniae de vi publica damnatus ob atrocitatem temporum in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos reus, tanquam frumento hostem Tacfarinatem iuvisset, absolvitur, eiusdemque criminis C. Gracchus.

Cap. 13. *Aegiensi.* Sic cod. MS. Inde edd. vett. fecerant *Aeginensi* vel *Aegirensi.* Rectius edd. recentt. inde ab Ernestio et Broterio tuentur cod. MS. scripturam. De Aegio cf. Pausan. 7, 24. Liv. 38, 30. Senec. Q. N. 6, 25.

Vibius Serenus. Ad hunc referenda sunt verba Dionis 58, 8. *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι διά τε ταῦτα, καὶ ὅτι ὁ Τιβέριος ἐχθρόν τινα αὐτοῦ* (Seiani), *ᾑρημένον μὲν πρὸ δέκα ἐτῶν Ἰβηρίας ἄρξαι, κρινόμενον δὲ ἐπί τισιν, ἐξ ἐκείνου ἀφῆκε κ. τ. λ.*

pro consule. Sic edd. Ber. Alc. et Iac. Gronov. cf. not. ad 2, 52. Edd. Rhenan. sqq. *proconsul.* Cod. MS. *procons.*

ob atrocitatem temporum. Sic cod. MS. edd. vett. Sed quum non pateret, quae tandem atrocitas temporum intelligi posset, plurimi acceperunt Lipsii emendationem: *ob atrocitatem morum*, et alii quidem virgulam ponunt post *morum*, alii post *damnatus.* Absurdum tamen esse videtur, sive dicatur ob atrocitatem morum de vi publica damnatus sive ob atrocitatem morum insigni poena adfectus. Sunt etiam qui de idonea veteris scripturae explicatione cogitent. *Atrocitatem temporum* iubent referri ad saevum imperium Tiberii, ut ita intelligatur gravior quam pro lege poena Vibio inflicta *ob atrocitatem temporum.* Sic nuper Kiesslingius. Verum hic cogitandum est non de Iulii Caesaris lege de vi et maiestate, qua constitutum fuit, ut de vi et maiestate damnatis aqua et igni interdiceretur; sed potius de lege Iulia Augusti *de vi publica* in eos lata, qui potestate aliqua praediti civem Romanum provocantem necassent vel aliquo supplicio adfecissent. cf. Paull. Sentent. V, 26, 1. Cuius legis poena fuit deportatio vel ultimum supplicium. Vibius igitur leviore poena punitur; causa sive iusta sive ficta fuit atrocitas temporum, sc. quae fuerant in ulteriore Hispania, ubi haud dubie peccaverat ille. Coniicio turbulentum fuisse Vibii imperium atque infestum tumultu aliquo vel latrociniis, ut ita crimen ab eo commissum excusatum quodammodo videri posset. Hispanos enim cognosces infr. c. 45. Woltmannus *tempora* intelligit de temperie coeli apud Cycladas atrociori, nisi malis cum eodem corrigere *verborum*, secundum c. 29 et 30. Freinshemius verba disceptata loco suo mota suspicabatur volebatque haec referri ad narrationem superiorem ac legi post *triennium.* Sed verba scripta tam facile suo loco non excidunt, quam videtur iis, qui saepius et ubique putant ex eiusmodi transpositionibus auxilia peti posse.

Carsidius Sacerdos. Cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Carsius S.* Sed quum infr. 6, 48. sit *Carsidius Sacerdos* (cod. MS. et vett. edd. *Grasidius*, quod haud temere correxerunt in *Carsidius*), idemque nomen inveniatur in inscriptt. apud Gruter. p. 767. nr. 10, hic etiam *Carsius* suadente Reinesio Ernestius mutavit in *Carsidius.* De mediis syllabis in illo codice saepius omissis vid. not. ad 1, 20. Ceterum iste vir videtur fuisse provincialis civitate Romana donatus. Alius eiusdem cognomenti, Iulius sacerdos, occisus est a Caligula. cf. Dio 59, 22.

Hunc comitem exsilii admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. illic adultus inter extorres et liberalium artium nescios mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur: neque tamen effugit magnae fortunae pericula. ac ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

XIV. Is quoque annus legationes Graecarum civitatum habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco. nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur. Variis dehinc et saepius inritis praetorum questibus postremo Caesar de immodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos tentari: Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et vi-

pater Sempronius. Cf. supr. 1, 53.

sordidas merces. Ernestius accipit non de certo mercium genere, sed de mercatura universa, quam sordidam et nobili homini indecoram putaverint. Non satis recte. Nam *sordidae merces* hic potius intelligendae sunt de *tenui mercatura*, quae sordida audit Ciceroni de Off. 1, 43. Mercatura si magna et copiosa est, multa undique adportans multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Sic Cicero l. l.

neque tamen. Vett. edd. *nec tamen*. Iac. Gronovius e cod. MS. dedit *neque t.*

Cap. 14. *civitatum*. Edd. Beroald. Rhen. Alc. Ald. *civitatium*. Vid. not. ad 3, 63. — Vulgatum est in edd. Lips. sqq. Mox Ald. *queis* pro *quis*, uti solet.

qua tempestate. Edd. Beroald. aliaeque vett. *ea qua tempestate*. Dein auctore Rhenano editum est: *ea tempestate qua*, vel: *qua tempestate*, quod hucusque locum obtinuit in omnibus edd.

ora maris potiebantur. cf. not. ad 1, 33.

cum iussu regis M. cf. Vell. 2, 18. Appian. B. Mithr. 22 et 23. Cic. pr. Flacc. 25.

Oscum ludicrum. Cf. Liv. 7, 2. Strabo 5, p. 533.

rium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. pulsi tum histriones Italia.

XV. Idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo, neque minus morte amici. is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. ita quanquam novo homini censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere: apud quos etiam tum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit, magna cum adseveratione principis non se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quod si vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios. Ita reus cognito negotio damnatur. ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui. et permissum statuere:

ut auctoritate. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. omittunt *ut.* Addidit Victorius in exempl. suo Beroald. et habent edd. sequentis aetatis.

Pulsi tum histriones. cf. Dio 57, 21. Sueton. Tib. c. 37.

Cap. 15. *alterum ex geminis.* cf. 2, 84. Dio 57, 14. Vell. 2, 130.

Lucilius. Sic cod. MS. et inde edd. Iac. Gronov. sqq. Priores edd. inde a Beroaldo *Lucillius*, et sic 1, 23.

censorium funus. Quale fuerit, disceptatur inter viros antiquitatis gnaros. Genus publici funeris fuisse nemo dubitat. Peculiare tamen aliquid habuisse funus censorium e nomine satis intelligitur. Cogita funus eadem pompa iisdemque caerimoniis ornatum, quibus efferri solebant censores in magistratu defuncti. Constat enim mortem censoris pro re magna et luctus plena esse habitam. cf. Liv. 5, 31. 6, 27. Inde colligi potest insignibus caerimoniis Romanos tale funus ornasse. cf. Polyb. 6, 53.

procurator Asiae. Dio 57, 23. τὸν Καπίτωνα, τὸν τὴν Ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα, ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ, ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινὰ ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν. οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν, ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι. Qui Dionis locus satis adfundit lucis Taciti verbis. De nomine *Lucilius* respice ad notata ab initio capitis.

damnatur. Dio l. l. ἐφυγάδευσεν.

priore anno. cf. 3, 66—69.

C. Silanum. Edd. Ber. Alc. *C. Syllanum;* edd. Rhenan. Ald. *C. Sillanum.* cf. not. ad 3, 66.

et permissum statuere. Video plerisque verbum *statuere* accipi pro *statuerunt*, ut ita ridiculum loco sensum intrudant. Tum enim sequentia: *egitque Nero grates ea causa*, non possunt intelligi nisi de

egitque Nero grates ea causa patribus atque avo laetas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici illum aspici, illum audiri rebantur: aderantque iuveni modestia ac forma principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob periculum gratiora.

XVI. Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar. nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur vetusto more: neque adesse ut olim eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta. pluresque eius rei causas adferebat: potissimam penes incuriam virorum feminarumque: accedere et ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto vitarentur, et quando exiret e iure patrio, qui id flaminium apisceretur quaeque in manum flaminis conveniret. ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset. Igitur tractatis religionibus placitum instituto flaminum ni-

Nerone grates agente patribus et avo ob templum exstructum. Mirum. Iam vero *statuere* est infinitivus, qui pendet e *permissum*, ut sit pro: *ut statuerent.* Sic Noster in Germ. c. 7. *Ceterum neque animadvertere neque vincire neque verberare quidem nisi sacerdotibus permissum.* An. 1, 72. *neque in acta sua iurari ... permisit.* Hist. 4, 22. *rapi permisere.* An. 4, 48. *permissum vastare, urere* etc. E loco c. 55. satis intelligitur illud templum non statim esse exstructum.

egitque Nero grates ea causa. Sc. nomine urbium ut earundem patronus. Nil igitur opus est transpositione Paschalii, qui his verbis locum adsignat in c. 9. post *fidem dempsit.*

Cap. 16. *Servii Maluginensis.* cf. 3, 58 et 71.

confarreatis parentibus. De confarreatione cf. Dionys. Hal. 2, 25. Scheibner. *de legg. Rom. regiis* p. 4. Prodiit libellus Erford. 1824.

penes incuriam. *Penes* vulgo refertur ad personam, in cuius possessione vel potestate aliquid est. cf. Ovid. Fast. 1, 119. Terent. Hec. 4, 1, 20. Cic. in Orat. c. 142. Quare Tacitus Hillo vituperatur, quod *penes* usurpaverit de re, de habitu morali. Respondet Buhle: „Habitus moralis supponit semper personam, cui inhaereat, ut *penes incuriam virorum feminarumque* sit pro: *penes viros feminasque incuriosos.*"

accedere et ipsius. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *accedere ipsius.* Cod. MS. test. Iac. Gronov. *accederet ipsius*, unde Iac. Gronovius bene coniecit legendum esse *accedere et ipsius.* Etenim respondent sibi invicem: *et ipsius — et quando —*; utrumque dicitur accedere. *Et quando* aliam inducit causam.

hil demutari, sed lata lex, qua flaminica Dialis, sacrorum causa in potestate viri, cetera promiscuo feminarum iure ageret. et filius Maluginensis patri suffectus. Utque gliscere dignatio sacerdotum atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, HS. XX. et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

XVII. Cornelio Cethego, Visellio Varrone coss. pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum iisdem diis commendavere, non tam caritate iuvenum quam adulatione: quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est. Nam Tiberius haud unquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae impatienter indoluit: accitosque pontifices percunctatus est, num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent. Et illi quidem, quanquam abnuerent, modice perstricti (etenim pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis erant): ceterum in senatu oratione monuit in posterum, ne quis mobiles adulescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret. Instabat quippe Seianus incusabatque diductam civitatem ut civili bello: esse qui se partium Agrippinae vocent, ac ni resistatur, fore pluris: neque aliud gliscentis discordiae remedium quam si unus alterve maxime prompti subverterentur.

cetera. τὰ δὲ ἄλλα. cf. Buttmann. Gr. § 137. p. 581.

et filius. De particula *et* cf. not. ad 1, 11.

sedes inter Vestalium. De quibus sedibus cf. Sueton. Oct. c. 44. Ceterum quod Tiberius supra 2, 86. Fonteii Agrippae filiam, quia in locum Occiae non fuerat capta, decies sestertium dote solatus est, ad Vestales non pertinet; quod contra Ernestium scribo.

Cap. 17. *mobiles.* εὐμετάβολοι, εὐκίνητοι. Ad hoc caput cf. Sueton. Tib. c. 54.

subverterentur. Apud Ernestium temporum ratio desiderat *subvertantur.* Wopkensio hic est sueta temporum enallage. Tu vero puta *subverterentur* esse optativum, qui ex graecae grammatices ratione hic requiritur. Nam ea res ex mera cogitatione Seiani tunc pendebat. cf. not. ad 1, 19.

XVIII. Qua causa C. Silium et Titium Sabinum adgreditur. amicitia Germanici perniciosa utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia immodice iactantis suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur: neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. Destrui per haec fortunam suam Caesar imparemque tanto merito rebatur. nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.

XIX. Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinae invisa principi. hos corripi dilato ad tempus Sabino placitum; immissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur. Precante reo brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar. solitum quippe magistratibus diem privatis dicere: nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur, ne quod res publica detrimentum caperet. Proprium id Tiberio fuit

Cap. 18. *Qua causa.* Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. et recentiores inde a Lips. prima. Rhenanus nisi fallor 1544 ediderat *qua de causa*, uti est in ed. Micyll.

C. Silium. cf. 1, 32. 2, 6. 3, 43.

Titium Sabinum. Muretus volebat *Titurium Sab.* propter *Titurium Sabinum*, qui est apud Caes. B. G. 5, 24. Quae tamen ratio non sufficit ad comprobandam Mureti emendationem.

partisque . . . . triumphalibus. cf. 1, 72.

S. belli victor. cf. 3, 40 sqq.

procideret. Sic edd. Rhen. sqq. Edd. Ber. Alc. *procederet*, quod Victorius in suo exempl. correxerat *procideret.*

dispergebatur. Sic cod. MS. test. Pichen. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. — Pichena in edd. Lips. invenerat *dispergatur*, reposuitque veram scripturam.

destrui . . . rebatur. Hoc sibi vult Tacitus: Caesar rebatur per haec effici, ut non fortuna sua, sed Silii merito ad imperii fastigium evectus esse videretur; quod si admittatur, Silii meritum maius videri, quam ut ipse pro fortuna sua rependere possit. Germanice: *Caesar glaubte, sein Glück müsse dadurch den Ruhm einbüfsen und so grofsem Verdienste etwas schuldig bleiben.*

Cap. 19. *corripi.* Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. hic et c. 3. Bekkerus hic dedit *conripi* et c. 3. *conripere.*

scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur aut Varro consul aut illud res publica esset, coguntur patres. silente reo vel, si defensionem coeptaret, non occultante, cuius irae premeretur, conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam foedata et uxor Sosia arguebantur. nec dubie repetundarum criminibus haerebant: sed cuncta quaestione maiestatis exercita, et Silius imminentem damnationem voluntario fine praevertit.

XX. Saevitum tamen in bona, non ut stipendiariis pecuniae redderentur, quorum nemo repetebat: sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim quae

scelera. Ed. Beroald. vitiose *selera*, quod Victor. in s. ex. corr. *scelera.* Et sic edd. Alc. sqq.

multa adseveratione. Woltmann: *durch viele nachdrückliche Aeuſserungen*; Stromb. *durch groſse Ernsthaftigkeit*; Herrm. *mit vieler Ernsthaftigkeit*; Rickl. *unter vielem Schein des Ernstes*; Hack. *unter nachdrücklicher Aeuſserung*; Ernestius: *cum magna severitatis et gravitatis specie.* Verum sensum nemo adsecutus est. *Adseveratio* est vocabulum Nostro usitatissimum. cf. 2, 31. 3, 35. 4, 15. 4, 42. 4, 52. 6, 2. Significat *Zuverlässigkeit*, *Zuversicht in der Aussage oder Behauptung*, eaque *adseveratio* tum fuit in verbis edicti, quo patres *cogebantur*. Quod verbum indicat extra ordinem senatum esse convocatum cf. 2, 28. Woltmann male expressit: *sie wurden in die Enge getrieben*; nec satis recte Stromb. *sie wurden geschreckt.* Meliore interpunctione loco consului.

aut Varro consul. H. e. quasi Varro, qui senatum convocabat, consulis cura et officio et vigilantia, ne quod res publica detrimentum capiat, id munus usurparet.

et uxor Sosia. Iis criminibus, ut bene animadvertit Ernestius, de quibus Caecina queritur 3, 33.

praevertit. cf. not. ad 2, 55.

Cap. 20. *sed liberalitas Augusti avulsa.* *Liberalitas* hic est ipsa pecunia s. donatio liberaliter ab Augusto in Silium collata, ut apud Sueton. Tib. 46. *una modo liberalitate comiter prosecutus.* Ibid. c. 48. *ne provincias quidem ulla liberalitate sublevavit.* Donationes igitur Augusti a Silio repetendae esse dicebantur ut ab ingrato, eaque causa praetendebatur saeviendi in bona, non ut stipendiariis pecuniae redderentur. Respondent sibi invicem: *non* — *sed* —. *Computatis singillatim, quae fisco petebantur* intell. ex Augusti donatione. Nam haud dubie diversis temporibus nec una donatione Silius sua praemia ab Augusto acceperat: debebantur igitur singula computari, ut de summa constaret, quae illo nomine fisco peteretur. Sic Pichena, Freinshemius aliique locum accepere, et recte, ut mihi videtur. Tum vero nescio, quid sibi velit illud *et* Danesii post *sed* ab Oberlino et seqq. positum. Sensum plane turbat. Antiquus ille codex, unde petiit Danesius, vetus aliqua editio fuit: nam in cod. MS. unico esse illud *et* neque Pichena neque Iac. Gronovius prodidit. Abest etiam ab edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. Lipsius coniecit: *Augusti* (sc. Tiberii) *convulsa.* Alii tamen satis illum refutarunt.

fisco petebantur. ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exsilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, censuerat. contra M. Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperio. nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi ut cetera ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messallinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus censuit cavendum senatus consulto, ut quanquam insontes magistratus et culpae alienae nescii provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.

XXI. Actum dehinc de Calpurnio Pisone nobili ac feroci viro. is namque, ut rettuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat, et spreta potentia Augustae trahere in ius Urgulaniam domoque principis excire ausus erat. quae in praesens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit adversum ma-

ea prima. Nam vide supr. 3, 18.
partem bonorum. Accipe de bonis Sosiae.
secundum necessitudinem legis. Sc. de maiestate; nam cuncta quaestione maiestatis exercita. Vid. supr. c. 19. extr. De hisce praemiis! accusatorum cf. Suet. Tib. c. 61. Dio 57, 19. Noster infr. c. 30.
M. Lepidus. Vid. not. ad 1, 13.
comperio. Sic edd. Rhenan. sqq. Edd. Beroald. Alc. *comperior.* ita et Sallust. Iug. c. 45. *Metellum — magnum et sapientem virum fuisse comperior.* Ibid. c. 108. *Sed ego comperior Bocchum ... attinuisse* etc. Verum cf. Cort. ad Sall. Iug. c. 17.
egebat. Gr. ἀπορεῖν.
senatus consulto. Victorius in exempl. suo Beroald. correxit *S. C.* Eodem compendio utitur cod. Flor. litt. Lang. scr., ut suis locis videbimus.
Cap. 21. *ut rettuli.* cf. supr. 2, 34.
Pisonem Q. Granius. Ex emendatione Lipsii. Olim Beroaldo auctore edebatur: *Pisonemque gra-*

iestatem habiti: adiecitque in domo eius venenum esse eumque gladio accinctum introire curiam. quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo exsule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur, effecerat: atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus interdicto igni atque aqua saxo Seriphio consenuit.

XXII. Per idem tempus Plautius Silvanus praetor incertis causis Aproniam coniugem in praeceps iecit: tractusque ad Caesarem ab L. Apronio socero turbata mente respondit, tanquam ipse somno gravis atque eo ignarus et uxor sponte mortem sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum: in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. refert ad senatum datisque iudicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. quod perinde creditum, quasi principis monitu, ob amicitiam Augustae cum Urgulania. reus frustra tentato ferro venas praebuit exsolvendas. Mox Numantina prior uxor eius, accusata iniecisse

vius, nullo accusatoris nomine expresso, ut ita Tiberius ipse videretur incusasse. In Lipsii emendatione merito omnes acquieverunt.

in domo .... curiam. Qua criminatione accusator virum arguebat mali in Caesarem consilii. Nam mox additur: *quod ut atrocius vero tramissum.* Alii tamen, ut Ricklefs, accipiunt de veneno ad suam ipsius necem Pisoni parato. Sed quaero, num id tam atrox videri potuerit, ut fidem senatores denegarent?

ceterorum quae multa etc. Sic edd. Rhenan. sqq. Edd. Ber. Alc. *caeterorumque multa*, quod Victorius in s. ex. correxit *quę* h. e. *quae*.

peractus. Ernestius ad h. l. scribit *reum peragere* Plin. epp. 3, 9. et antiquioribus scriptoribus dici pro *reum facere*. Fallitur. *Peragere* ubique significat actionem causae quae fit, ut quis condemnetur aut absolvatur. *Reum facere* dicebantur ante actionem, nec potest quis reus peragi nisi postquam reus factus est.

immodicas. h. e. vehementissimas. Sic *immodicae tempestates* apud Sueton. Oct. c. 47. *immodicum frigus* apud Ovid. ex Pont. 3, 1, 14. Ceterum intellige inimicitias, quas gerebat in alios et quibus invicem inimicitias sibi paraverat.

iurati senatus. cf. not. ad 1, 74.

advertit. Sic supr. 1, 41. *aures oraque advertere, auf sich richten*, προςτρέπεσθαι.

Cap. 22. *perinde .... quasi.* Sic libri omnes. cf. not. ad 3, 17.

fisco petebantur. ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exsilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, censuerat. contra M. Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperio. nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi ut cetera ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messallinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus censuit cavendum senatus consulto, ut quanquam insontes magistratus et culpae alienae nescii provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.

XXI. Actum dehinc de Calpurnio Pisone nobili ac feroci viro. is namque, ut rettuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat, et spreta potentia Augustae trahere in ius Urgulaniam domoque principis excire ausus erat. quae in praesens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit adversum ma-

ea prima. Nam vide supr. 3, 18.

partem bonorum. Accipe de bonis Sosiae.

secundum necessitudinem legis. Sc. de maiestate; nam cuncta quaestione maiestatis exercita. Vid. supr. c. 19. extr. De hisce praemiis accusatorum cf. Suet. Tib. c. 61. Dio 57, 19. Noster infr. c. 30.

M. Lepidus. Vid. not. ad 1, 13.

comperio. Sic edd. Rhenan. sqq. Edd. Beroald. Alc. *comperior.* ita et Sallust. Iug. c. 45. *Metellum — magnum et sapientem virum fuisse comperior.* Ibid. c. 108. *Sed ego comperior Bocchum ... attinuisse* etc. Verum cf. Cort. ad Sall. Iug. c. 17.

egebat. Gr. ἀπορεῖν.

senatus consulto. Victorius in exempl. suo Beroald. correxit *S. C.* Eodem compendio utitur cod. Flor. litt. Lang. scr., ut suis locis videbimus.

Cap. 21. *ut rettuli.* cf. supr. 2, 34.

Pisonem Q. Granius. Ex emendatione Lipsii. Olim Beroaldo auctore edebatur: *Pisonemque gra-*

iestatem habiti: adiecitque in domo eius venenum esse eumque gladio accinctum introire curiam. quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo exsule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur, effecerat: atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus interdicto igni atque aqua saxo Seriphio consenuit.

XXII. Per idem tempus Plautius Silvanus praetor incertis causis Aproniam coniugem in praeceps iecit: tractusque ad Caesarem ab L. Apronio socero turbata mente respondit, tanquam ipse somno gravis atque eo ignarus et uxor sponte mortem sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum: in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. refert ad senatum datisque iudicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. quod perinde creditum, quasi principis monitu, ob amicitiam Augustae cum Urgulania. reus frustra tentato ferro venas praebuit exsolvendas. Mox Numantina prior uxor eius, accusata iniecisse

vius, nullo accusatoris nomine expresso, ut ita Tiberius ipse videretur incusasse. In Lipsii emendatione merito omnes acquieverunt.

in domo .... curiam. Qua criminatione accusator virum arguebat mali in Caesarem consilii. Nam mox additur: *quod ut atrocius vero tramissum.* Alii tamen, ut Ricklefs, accipiunt de veneno ad suam ipsius necem Pisoni parato. Sed quaero, num id tam atrox videri potuerit, ut fidem senatores denegarent?

ceterorum quae multa etc. Sic edd. Rhenan. sqq. Edd. Ber. Alc. *caeterorumque multa*, quod Victorius in s. ex. correxit *quę* h. e. *quae.*

peractus. Ernestius ad h. l. scribit *reum peragere* Plin. epp. 3, 9. et antiquioribus scriptoribus dici pro *reum facere.* Fallitur. *Peragere* ubique significat actionem causae quae fit, ut quis condemnetur aut absolvatur. *Reum facere* dicebantur ante actionem, nec potest quis reus peragi nisi postquam reus factus est.

immodicas. h. e. vehementissimas. Sic *immodicae tempestates* apud Sueton. Oct. c. 47. *immodicum frigus* apud Ovid. ex Pont. 3, 1, 14. Ceterum intellige inimicitias, quas gerebat in alios et quibus invicem inimicitias sibi paraverat.

iurati senatus. cf. not. ad 1, 74.

advertit. Sic supr. 1, 41. *aures oraque advertere, auf sich richten,* προστρέπεσθαι.

Cap. 22. *perinde .... quasi.* Sic libri omnes. cf. not. ad 3, 17.

carminibus et veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur.

XXIII. Is demum annus populum Romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. nam priores duces, ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant: iamque tres laureatae in urbe statuae et adhuc raptabat Africam Tacfarinas auctus Maurorum auxiliis, qui Ptolemaeo Iubae filio iuventa incurioso libertos regios et servilia imperia bello mutaverant. Erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quae ex longinquo in maius audiebantur: ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Caesar post res a Blaeso gestas quasi nullis iam in Africa hostibus reportari nonam legionem iusserat: nec proconsul eius anni P. Dolabella retinere ausus erat, iussa principis magis quam incerta belli metuens.

XXIV. Igitur Tacfarinas disperso rumore rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari eoque paulatim Africa decedere ac posse reliquos circumveniri, si cuncti, quibus libertas servitio potior, incubuissent, auget vires positisque castris Thubuscum oppidum circumsidet. At Dolabella, contracto quod erat militum, terrore nominis Romani et, quia Numidae peditum aciem

Cap. 23. *ubi impetrando.* Ex optima Lipsii emendatione. Cod. MS. edd. Ber. Alc. *sub impetrando*, quod Victorius in suo exempl. corr. *sibi imp.* et sic edidere Rhenan. sqq. usque ad Lipsium. Mox ed. Ald. *omitebant.*

tres laureatae statuae. Camilli 2, 52. Apronii 3, 21. Blaesi 3, 72. De statuis pro triumpho datis cf. Noster Agr. c. 40. Plin. 33, 46.

raptabat. Sic ed. Beroald. haud dubie e cod. MS. Restituit Lipsius. Nam edd. Alc. Rhen. Gryph. Ald. aliaeque habent *reptabat.* Sic infr. 13, 6. *rapi Armeniam.*

Iubae filio. Nam Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani. cf. supr. c. 5. De hoc Ptolemaeo vid. Suet. Calig. c. 26. Senec. de Tranquill. c. 11.

Garamantum. Respice ad 3, 74.

nonam legionem. cf. 3, 9. et not. ad 4, 5. Mox cod. MS. *pro consule.*

metuens. Proprie pertinet ad incerta belli; ad *iussa principis* ἀναλόγως intellige *reverens* vel simile quid. cf. not. ad 1, 35. sub verb. *quaeruntur.* Potest tamen *metuens iussa* ita accipi, ut intelligas illum metuisse poenam ob iussa non peracta.

ferre nequeunt, primo sui incessu solvit obsidium locorumque opportuna permunivit: simul principes Musulanorum defectionem coeptantes securi percutit. Dein quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum non gravi nec uno incursu consectandum hostem vagum, excito cum popularibus rege Ptolemaeo quattuor agmina parat, quae legatis aut tribunis data: et praedatorias manus delecti Maurorum duxere. ipse consultor aderat omnibus.

XXV. Nec multo post adfertur Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse, fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae, cito agmine rapiuntur. simulque coeptus dies et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros, praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa: hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi. infensus miles

Cap. 24. *primo sui incessu.* *Sui* multos interpretum offendit. Acidalius volebat mutare in *statim*, Hillerus in *sub*. Ernestius quoque otiosum plane et nulli usui esse censet. Quod minime dixerim. Nam coniungenda sunt: *terrore nominis Romani et primo sui incessu*, ut ita *sui* vi sua non careat. De modo dicendi cf. supr. 2, 13. *sui fama frui*; 2, 46. *sui iactantia abstinere*; 3, 43. *quinta sui parte legionariis armis*; 6, 7. *pars ad subsidium sui.* Sueton. Oct. c. 94. *Veliterni — paene ad exitium sui cum pop. R. belligeraverunt.* Id. Iul. c. 30. ubi cod. Salmas. habet *adventu sui* pro vulg. *adventu suo.*

Musulanorum. cf. not. ad 2, 52.

legatis aut tribunis. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. pro *aut* habent *ac*.

Cap. 25. *quia vastis.* I. Fr. Gronovius malebat *qui* pro *quia*. Ernestius crederet, si Cicero auctor esset aut Livius; apud Tacitum tolerat *quia*, quanquam durius dictum. Sed ubi tandem est durum illud? *Fisos loco* sc. illo dixerat, et iam ratio erat reddenda eius fiduciae, quae in eo fuit, quod locus vastis circum saltibus claudebatur. *Qui* sensum contorquet. Nam *qui* locum describit, ut scias, qui locus sit: *ein Ort, welcher*. Iam vero de loco satis constat, qui sit; superest, ut scias, cur illo loco sint fisi, sc. *quia* etc. Meliori iure durus videri posset locus infr. c. 40. *Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quia sibi conducere putent.*

simulque coeptus dies et. ἅμα — καί. cf. not. ad 1, 65.

praepeditis. Intellige de compedibus, quis vinctos habebant equos. Xenoph. Cyrop. 3, 3. Id. Anab. 3, 21.

memoria laborum et adversum eludentes optatae totiens pugnae se quisque ultione et sanguine explebant. Differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes notum tot proeliis consectentur: non nisi duce interfecto requiem belli fore. at ille deiectis circum stipatoribus vinctoque iam filio et effusis undique Romanis ruendo in tela captivitatem haud inulta morte effugit.

XXVI. Isque finis armis impositus. Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius Seiano tribuens, ne Blaesi avunculi eius laus obsolesceret. sed neque Blaesus ideo inlustrior et huic negatus honor gloriam intendit. quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat. Sequebantur et Garamantum legati raro in urbe visi, quos Tacfarinate caeso perculsa gens nec culpae nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat. Cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum studiis repetitus ex vetusto mos mis-

totiens. Sic edd. Ber. Alc. hic et alibi constanter. Alii editores nunc edunt *toties*, nunc *totiens*.

ultione et sanguine. cf. Roth. p. 52.

deiectis. Cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *delectis*, quod ab hoc loco alienum est, eundemque errorem iam supr. 2, 60. in eodem cod. deprehendimus. Lips. more suo *dilectis*. I. Fr. Gronovius dedit *deiectis*, Mercerus *disiectis*, Pichena *deletis*. In contrariam partem cod. MS. peccat infr. c. 44. ubi habet *deiectus* pro *delectus*.

effusis. Lipsius malebat *offusis*. Qua tamen emendatione non opus fuit; nam aptissimum est *effusis*, de fluminum exundatione desumptum, ut designet eos, qui adfluenti numero adsunt.

Cap. 26. *Seiano tribuens*. Intell. hoc, quod Dolabellae triumphalia abnueret.

insignis. Sic edd. Beroald. Alc. Bernegg. sqq. *insigneis* edd. Rhenan. Ald. sqq.

nec culpae nescia. Cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *et culpae n.*, in qua tamen scriptura plurimi offendunt. Et Lipsius quidem emendabat *culpae conscia*; Ryckius *nec culpae nescia*, adplaudentibus Ernestio, Lünemanno, Herrmanno aliisque. Iac. Gronovius putabat excidisse *non*. *Nescius alicuius rei* Tacito aliisque scriptoribus non solum dicitur, qui non est sibi conscius eius rei, sed etiam qui rem non callet eamque tractare nescit. cf. Ann. 2, 46. *rerum nescium*; 3, 1. *tolerandi nescia*; ibid. c. 46. *militiae nescii*; ibid. c. 67. *orandi nescius*; 4, 13. *liberalium artium nescius*; ibid. c. 54. *simulationum nescia*; 5, 9. *puella nescia*; 16, 5. *nesciae manus*. Prudent. Cathem. Hym. 2, 45 sqq. *at nos lucelli ac fenoris fundique nescii*. Hinc *gens culpae nescia* aliquando mihi videbatur esse nescia culpae explendae, vel quae in culpa perdurare nescit h. e. facilis, morigera. Nunc valde dubito, an sic contextui satisfiat, et Ryckii emendationem retineo.

ex vetusto mos. Sic edd. Lips. sqq. *ex vetusto more* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

suisque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera, daret regemque et socium atque amicum appellaret.

XXVII. Eadem aestate mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. auctor tumultus T. Curtisius quondam praetoriae cohortis miles: primo coetibus clandestinis apud Brundisium et circumiecta oppida, mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat. is disposita classiariorum copia coeptantem cum maxime

antiqua patrum munera. cf. Dionys. Hal. 5, 35. Liv. 30, 15.

Cap. 27. *T. Curtisius.* Propter loc. Cicer. ad Att. 14, 6. 10. et infr. 13, 56., ubi est nomen *Curtilius*, Reinesius volebat et hic legi *Curtilium.* Sed quis tandem id pro certo adfirmabit?

longinquos saltus. Ne intellige de distantia, sed de amplitudine. cf. not. ad 1, 53.

Calles. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. quam scripturam defendunt Ryckius, Iac. Gronovius, Broterius aliique. Provocant in locum Sueton. Iul. c. 19. *Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut provinciae futuris consulibus minimi negotii, id est silvae callesque decernerentur.* Ibi tamen non sermo est de certa quadam provincia appellata *Calles*, uti hic. Quare alii Lipsio auctore censent intelligi provinciam *Calenam*, scribendumque *Cales*, quod sit nomen urbis ad Vulturnum sitae, in qua sedes fuerit quaestoris et ex qua provincia sit dicta *Calena.* Constat enim inde ab eo tempore, quo universa Italia Romanis stipendiaria erat facta, numerum quaestorum Romae esse duplicatum, ut octo quotannis fierent, quorum quattuor adhibebantur regendis Italiae regionibus. cf. infr. 11, 22. De nominibus harum provinciarum non satis certa scriptores prodiderunt. Duarum nomina cognita habemus: *Ostiensis* et *Gallicae.* cf. Suet. Claud. c. 24. Dio 55, 4. et 60, 24. Tertiam Lipsius ex hoc Taciti loco fecit *Calenam* ad Vulturnum amnem, cuius quaestor praefuerit tractui Campano Sidicinoque Brundisium usque. Mira sane provincia, quae pertinet ad oram maris superi sedemque habet in Campania, nomen ab oppido ad fines extremos sito. Mirum etiam, quod quaestor, qui sedem habet Calibus, iisdem regionibus fuisse dicitur, quae tum servili tumultu turbabantur apud Brundisium et circumiecta oppida. Infelicior coniectura, quam ut pro vera haberi possit. Quod cum ita sit, redeamus ad eam rationem, qua *calles Italiae* (Cic. pr. Sext. c. 5.) intelligantur h. e. regiones silvestres et montosae a tergo Campaniae versus mare superum sitae; neque incredibile est, regiones illas *κατ' ἐξοχὴν* nomine *Callium* insignes provinciamque fuisse *Calles* dictam.

cum maxime. Sic cod. MS. edd. recentiores inde ab Ernestio. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *tum maxime.* In castigatt. iam Rhenanus

coniurationem disiecit. missusque a Caesare propere Staius tribunus cum valida manu ducem ipsum et proximos audaciae in urbem traxit iam trepidam ob multitudinem familiarum, quae gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua.

XXVIII. Iisdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox reus pater, accusator filius: nomen utrique Vibius Serenus. in senatum inducti sunt ab exsilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum

correxit *cum*. cf. not. ad 3, 59. Sententia est, Lupum tum coniurationem disiecisse, cum maxime coeptaret. Igitur relativo *cum* neque demonstrativo *tum* opus est. cf. Ramshorn. Gr. § 156. 1) d) p. 319. Eiusdem confusionis exempla vid. Hist. 1, 29. 4, 65. et alibi.

iam trepidam. Sic edd. Rhen. sqq. Edd. Ber. Alc. *iam trepida*, quod potest coniungi cum *minore in dies plebe ingenua*. Molestum sane est: *trepidam ob multitudinem*, nec iuvat virgula a nonnullis post *trepidam* posita.

Cap. 28. *Iisdem ..... dicebat*. Locus mire vexatus, atque invicem qui multum vexavit interpretes. Vett. edd. legunt in hunc modum: *Iisdem .... filius, nomen viri, Q. Vibius Serenus, in senatum inducti sunt, ab exilio retractus, inluvieque ac squalore obsitus, et tum cathena vinctus perorante filio. Praeparatur adulescens multis munditiis, alacri vultu. structas ... dicebat.* Sed quum cod. MS. habeat *nomen virique Vib. S.*, suadente Lipsio posteriores editores haud inepte fecere: *nomen utrique Vibius S.* Nam *Vibii Sereni* nomine filius utitur infr. c. 36. Deinde quia verba *ob exsilio retractus* etc. a verbo *inducti sunt* seiungenda erant, punctum posuere pro virgula post *sunt*. Iam vero deerat nomen patris in loco: *ob exsilio ... filio;* quare haud ineptum esse videbatur, quod Lampugnanus e Mirandulano suo codice sive Freberus ex ingenio suo dederat: *pater, orante filio*. Nam e compendio scripturae: *pr̄ orante*, facile potuit oriri *perorante*. Denique *praeparatur*, ut forma ab contextu aliena, debebat mutari in *praeparatus*. Iam totus locus apud Oberlinum legitur sic: *Iisdem .... filius, nomen utrique Vibius Serenus, in senatum inducti sunt. ab exsilio .... vinctus pater, orante filio. Praeparatus adolescens multis munditiis, alacri vultu. structas* etc. Oberlinum sequitur Lünemannus nisi quod virgulam ponit pro puncto post *vultu*. Bekkerus: *filius (nomen utrique Vibius Serenus) in s. i. sunt. ob exsilio ... vinctus pater, orante filio. praeparatus ... vultu, structas* etc. Quae verba erant sine labe, sed inconcinna laborabant distinctione; meliorem dedisse mihi videor. Verba: *Iisdem ... filius* per se constant nec cohaerent cum structura sequenti. Locus: *nomen utrique Vibius Serenus* uncis sic non indiget. Pergit: *in senatum inducti sunt ab exsilio retractus ... pater orante filio, praeparatus adulescens, multis m., a. vultu.* Quippe describit auctor, quales inducti sint, nempe diversissimo uterque habitu et conditione: *pater ab exsilio retractus* (nec praeparatus ad causam), *adulescens praeparatus;* ille *inluvie ac squalore obsitus*, hic *multis munditiis;* ille *tum catena vinctus* et quidem *orante filio* (*auf Anklage, auf Erforderung des eigenen Sohnes*), quod

catena vinctus pater orante filio, praeparatus adulescens, multis munditiis, alacri vultu. structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam: qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto animo obversus in filium quatere vincula, vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exsilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. adseverabatque innocentem Cornutum et falsa exterritum: idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse.

XXIX. Tum accusator Cn. Lentulum et Seium Tuberonem nominat, magno pudore Caesaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore tumultus hostilis et turbandae rei publicae arcesserentur. Sed

tristitiam multum augebat, hic *alacri vultu*. Etenim *orante filio* minime est: *während der Sohn redete*, uti vulgo convertunt, sed *orante* absolute dicitur pro *orante causam* h. e. accusante; respicit ad catenam tum patri iniectam. Aliena plane ab hoc contextu est illa verborum transpositio, quam suadebat Lipsius: *reus pater, a. f. in senatum inducti sunt. Nomen* etc., nec quidquam iuvat eiusdem emendatio: *perorante filio pater*. Nam tum nondum perorabat filius. Pichena pro *sunt* substituebat *senex*, sic: *inducti. Senex ab exsilio* etc. Acidalius: *in senatum inducti sunt. Stabat ab exsilio .... obsitus, etiam c. v. perorante filio pater: paratus adolescens* etc. Freinshemius verbum *praeparatur* eiiciendum esse censebat. Ernestius vult *stabant* pro *sunt*. Crollius: *inducti. senex ab exsilio .... peroranti filio praeparatur, adolescens* etc. Heinsius: *perorante filio in reum, pater: at adolescens* etc. Ruperti: *in senatum inducti sunt: ab exsilio ille retractus, inluvie ... vinctus; contra paratus adolescens* etc. Quae omnia satis ostendunt, neminem satis recte percepisse loci rationem.

missos. Sic MS. edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. et dein Pich. sqq. *missosque* edd. Lips.

falsa exterritum. Graeca structura, ἐκπλήττεσθαι τί. Intellige temere exterritum et falsa esse, quae eum exterruerint. Perperam Ursinus, Muretus et Wopkensius: *falso exterr.*; Acidalius *per falsa ext*.

CAP. 29. *Cn. Lentulum*. Dio 57, 24. *Λεντούλου δέ τινος βουλευτοῦ φύσει τε ἐπιεικοῦς, καὶ τότε ἐν γήρᾳ πολλῷ ὄντος, κατηγόρησέ τις ὡς ἐπιβεβουλευκότος τῷ αὐτοκράτορι. καὶ ὁ μὲν Λεντοῦλος (παρῆν γάρ) ἀνεκάγχασεν. ὁ δὲ Τιβέριος, ἐπιθορυβησάσης τι πρὸς τοῦτο τῆς γερουσίας, Οὐδὲ ζῆν ἔτι, ἔφη, ἄξιός εἰμι, εἴγε καὶ Λεντοῦλός με μισεῖ.*

arcesserentur. Sic tacite Lips. sqq. *accerserentur* edd. Beroald.

hi quidem statim exempti. in patrem ex servis quaesitum, et quaestio adversa accusatori fuit. qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium, cessit urbe. ac retractus Ravenna exsequi accusationem adigitur, non occultante Tiberio vetus odium adversus exsulem Serenum. nam post damnatum Libonem missis ad Caesarem litteris exprobraverat suum tantum studium sine fructu fuisse, addideratque quaedam contumacius quam tutum apud aures superbas et offensioni proniores. ea Caesar octo post annos rettulit medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent.

XXX. Dictis dein sententiis, ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius Gyaro aut Donusa claudendum cum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquae utramque insulam referens dandosque vitae usus, cui vita concederetur. ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset. ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Caesar inritas leges, rem publicam

Alc. Rhen. Ald. Micyll. cf. Graevius ad Suet. Tib. c. 53. et Cal. 35. De utraque forma lis adhuc est sub iudice. Wissowa in *Lect. Tacit.* spec. sec. 1829. p. 11 sqq. strenue defendit *accersere.*

robur. Intell. *Tullianum.* cf. Sallust. Cat. c. 55. Varro L. L. 4, 32. Festus s. v. *robur.* Vid. Lips. et Ernest. ad h. l. Donat. de Urb. Rom. 2, 19. Novissime de *carcere Tulliano* disputavit vir doctus in: *Allgem. Schulzeit.* 1826. nr. 101.

saxum. Intell. Tarpeium. cf. 2, 32. *saxo deiectus est.*

parricidarum poenas. Vid. XII. tabb. *Qui parentem necassit caput obnubito culeoque insutus in profluentem mergitor.* cf. Ruperti ad Iuven. 8, 213. et qui ibi laudantur eius legis interpretes. Mox *adversus* tacite Lips. sqq. *adversum* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

post damnatum Libonem. cf. 2, 30.

Cap. 30. *cum censeret.* Sic edd. Oberlin. Lünemann. Bekker. suadente Mureto. Vett. edd. auctore Beroaldo omittunt *cum* puncto posito post *censeret.* Lipsius pro *censeret* vult *censere*, ut sit pro *censuit.* Recepit Broterius. Faërnus: *ut Gallus A.... censuerat.* Freinshemius: *Gallus A. Gyaro, Cotta Donysa claudendum censuere.* Ryckius coniicit aut *cum* esse recipiendum aut legendum: *Gallo Asinio . . . censente.*

ibaturque ... ni .. Cf. not. ad 1, 23 et 35.

in praecipiti conquestus esset: subverterent potius iura quam custodes eorum amoverent. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et poenis quidem nunquam satis coercitum, per praemia eliciebantur.

XXXI. His tam adsiduis tamque maestis modica laetitia interiicitur, quod C. Cominium equitem Romanum probrosi in se carminis convictum Caesar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle. neque enim socordia peccabat, nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur. quin ipse compositus alias et velut eluctantium verborum solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At P. Suilium quaestorem quondam Germanici, cum Italia arceretur convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amovendum in insulam censuit tanta contentione animi, ut iure iurando obstringeret e re publica id esse. Quod aspere acceptum ad praesens mox in laudem vertit regresso Suilio: quem vidit sequens aetas praepotentem, venalem et Claudii principis amicitia diu prospere, nunquam bene usum. Eadem poena in Catum Firmium senatorem statuitur, tanquam falsis maiestatis criminibus sororem petivisset. Catus, ut rettuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat. eius operae memor Tiberius, sed alia praetendens, ex-

CAP. 31. *Suilium.* Sic edd. Lips. sqq. Vett. edd. *Suillium.* cf. Ovid. ex Pont. 4, 8, 1. *arceretur* h. e. cum censerent eum esse arcendum. cf. not. ad 3, 17.

ob rem iudicandam. Sic cod. MS. edd. vett. sqq. Deinde per Pichenae edit. inrepserat *ob rem iudicatam*, quod defendit Ryckius auctoritatis ignarus, qua nititur *iudicandam.* Hoc restituit Iac. Gronovius sqq.

cepisse. Sic edd. Rhen. sqq. — Edd. Ber. Alc. *coepisse*, vulgari in illis editt. vitio. Mox edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *ammovendum.* Edd. Lips. sqq. *amovendum.*

obstringeret e re p. id esse. cf. not. ad 1, 14.

ut rettuli. cf. 2, 27 sqq.

indicio. Ex emendatione Vertranii, quam recepere Lips. sqq. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *iudicio*, vulgari vitio. cf. not. ad Hist. 1, 3. An. 14, 50.

perculerat. H. e. perdiderat, everterat. cf. Suet. Tib. c. 55. *ceteros, alium alia de causa, perculit.*

silium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

XXXII. Pleraque eorum, quae rettuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant. Nobis in arto et inglorius labor. immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res et princeps proferendi imperii incuriosus erat. non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.

XXXIII. Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex his et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatus-

Cap. 32. *veteres pop. R. res.* Ob locum 4, 1. Freinshemius et Ryckius malebant: *veteris pop. R. res.* Sed ibi tempora diversa, hic res diversae sibi invicem opponuntur.

libero egressu. Opponitur *labor in arto.* Namque res magnae non solum multam dicendi copiam, sed etiam occasionem pulchre et ornate scribendi praebent. Sine Achille non datur Homerus.

in arto. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Rhen. Ald. *in arcto*, hic et alibi.

motus. Lipsius coniecit *monitus.* Probant Freinshemius et Ernestius infelicem coniecturam. Nam *magnarum rerum monitus oriri* nemo unquam audierit. *Magnae res* hic non sunt *wichtige Ereignisse*, *grosse Begebenheiten*, uti ferunt nostratium interpretationes; sed *grosse Dinge*, *wichtige Angelegenheiten.* *Magnarum rerum motus oriuntur* h. e. *es werden grosse Dinge in Bewegung gesetzt, wichtige Angelegenheiten hängen davon ab.* In uno liberto eiusque artibus saepe totius imperii salus volvebatur.

Cap. 33. *consociata.* Cod. MS. *consciata*; edd. Beroald. aliaeque vett. *constituta.* Iac. Gronovius coniecit: *concinnata;* Gebauer in diss. de reg. ap. Germ. nom.: *exasciata.* Optime Ernestius et post eum omnes edd. *consociata.*

natura. Herrmannus vult *naturam* locumque construit sic: *ut ii callidi t. et s. credebantur, qui m. perdidicerant olim noscenda* (neutr. plur.), *vulgi naturam, et quibus m. t. haberetur, senatus-*

que et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur: sic converso statu neque alia re Romana, quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. ceterum ut profutura ita minimum oblectationis adferunt. nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator neque refert cuiusquam, Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posteri manent. utque familiae ipsae iam exstinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. etiam gloria ac virtus infensos habet ut nimis ex propinquo diversa arguens. Sed ad incepta redeo.

XXXIV. Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss. Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto

que et optim. ingenia etc. Vana sane coniectura, quum locus sit sanissimus. cf. not. ad 1, 15. sub v. *utque.*

neque alia re Romana. Cod. MS. et vett. edd. *neque alia rerum,* unde Lipsius: *neque alia re Romana,* quam emendationem nunc omnes probant. Acidalius malebat: *Sic converso neque alio rerum statu.* Ryckius: *Sic converso statu neque alio rerum.*

similitudine et satietate. cf. Roth. p. 52.

infamias. Cod. MS. edd. Beroald. aliaeque vett. *infamias.* Lipsianae *infamiam,* quod recentiores retinuerunt. Originem vitii explicat Ernestius. Scriptum fuisse *infamiā,* idque attraxisse litteram *s* e verbo sq. Neque tamen forma *infamias* a latinitate abhorret. cf. 3, 45. *glorias.* Etenim *infamiae* sunt infamiae species, quae erant plures et variae. cf. Roth. *Quaest. Gram.* (*Neues Archiv f. Phil. u. Päd.* 1830. nr. 3. u. 4.)

ut nimis. Cod. MS. test. Pichena *ut animis.* Unde vett. edd. auctore Beroaldo *ut animus.* Egregie Lipsius: *ut nimis.*

ad incepta. Sic edd. Beroald. Rhenani sqq. Cod. MS. *ancepta,* quod Iac. Gronovius putat esse *ad coepta.* Sed melius codicis vestigia pressit Beroaldus. *ad incoepta* edd. Pich. Grut. sqq. *ad incaepta* ed. Alc.

CAP. 34. *postulatur ... quod ... dixisset* etc. Cf. de eadem historia Dio 57, 24. Sueton. Tib. c. 61. Plutarch. in Cass. p. 1005.

editis annalibus. cf. Suet. Oct. c. 35. Cal. c. 16. Senec. Cons. 1.

silium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

XXXII. Pleraque eorum, quae rettuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant. Nobis in arto et inglorius labor. immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res et princeps proferendi imperii incuriosus erat. non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.

XXXIII. Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex his et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatus-

Cap. 32. *veteres pop. R. res.* Ob locum 4, 1. Freinshemius et Ryckius malebant: *veteris pop. R. res.* Sed ibi tempora diversa, hic res diversae sibi invicem opponuntur.

libero egressu. Opponitur *labor in arto.* Namque res magnae non solum multam dicendi copiam, sed etiam occasionem pulchre et ornate scribendi praebent. Sine Achille non datur Homerus.

in arto. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Rhen. Ald. *in arcto*, hic et alibi.

motus. Lipsius coniecit *monitus.* Probant Freinshemius et Ernestius infelicem coniecturam. Nam *magnarum rerum monitus oriri* nemo unquam audierit. *Magnae res* hic non sunt *wichtige Ereignisse*, *grofse Begebenheiten*, uti ferunt nostratium interpretationes; sed *grofse Dinge*, *wichtige Angelegenheiten*. *Magnarum rerum motus oriuntur* h. e. *es werden grofse Dinge in Bewegung gesetzt, wichtige Angelegenheiten hängen davon ab.* In uno liberto eiusque artibus saepe totius imperii salus volvebatur.

Cap. 33. *consociata.* Cod. MS. *consciata*; edd. Beroald. aliaeque vett. *constituta.* Iac. Gronovius coniecit: *concinnata;* Gebauer in diss. de reg. ap. Germ. nom.: *exasclata.* Optime Ernestius et post eum omnes edd. *consociata.*

natura. Herrmannus vult *naturam* locumque construit sic: *ut ii callidi t. et s. credebantur, qui m. perdidicerant olim noscenda* (neutr. plur.), *vulgi naturam, et quibus m. t. haberetur, senatus-*

que et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur: sic converso statu neque alia re Romana, quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. ceterum ut profutura ita minimum oblectationis adferunt. nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator neque refert cuiusquam, Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posteri manent. utque familiae ipsae iam exstinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. etiam gloria ac virtus infensos habet ut nimis ex propinquo diversa arguens. Sed ad incepta redeo.

XXXIV. Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss. Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto

que et optim. ingenia etc. Vana sane coniectura, quum locus sit sanissimus. cf. not. ad 1, 15. sub v. *utque*.

neque alia re Romana. Cod. MS. et vett. edd. *neque alia rerum*, unde Lipsius: *neque alia re Romana*, quam emendationem nunc omnes probant. Acidalius malebat: *Sic converso neque alio rerum statu.* Ryckius: *Sic converso statu neque alio rerum.*

similitudine et satietate. cf. Roth. p. 52.

infamias. Cod. MS. edd. Beroald. aliaeque vett. *infamias*. Lipsianae *infamiam*, quod recentiores retinuerunt. Originem vitii explicat Ernestius. Scriptum fuisse *infamiā*, idque attraxisse litteram *s* e verbo sq. Neque tamen forma *infamias* a latinitate abhorret. cf. 3, 45. *glorias*. Etenim *infamiae* sunt infamiae species, quae erant plures et variae. cf. Roth. *Quaest. Gram.* (*Neues Archiv f. Phil. u. Päd.* 1830. nr. 3. u. 4.)

ut nimis. Cod. MS. test. Pichena *ut animis.* Unde vett. edd. auctore Beroaldo *ut animus.* Egregie Lipsius: *ut nimis.*

ad incepta. Sic edd. Beroald. Rhenani sqq. Cod. MS. *ancepta*, quod Iac. Gronovius putat esse *ad coepta.* Sed melius codicis vestigia pressit Beroaldus. *ad incoepta* edd. Pich. Grut. sqq. *ad inchoaepta* ed. Alc.

Cap. 34. *postulatur ... quod ... dixisset* etc. Cf. de eadem historia Dio 57, 24. Sueton. Tib. c. 61. Plutarch. in Cass. p. 1005.

editis annalibus. cf. Suet. Oct. c. 35. Cal. c. 16. Senec. Cons. 1.

C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta Seiani clientes: id perniciabile reo, et Caesar truci vultu defensionem accipiens, quam Cremutius relinquendae vitae certus in hunc modum exorsus est: „Verba mea P. C. arguuntur: „adeo factorum innocens sum. sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas, cum plurimi composuerint, nemo sine „honore memoravit. Titus Livius eloquentiae ac fidei „praeclarus in primis Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret: neque „id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, „hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones „et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe „ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta „egregiam eorundem memoriam tradunt: Messalla Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat: et uterque opibusque atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem coelo aequavit, quid aliud „dictator Caesar quam rescripta oratione velut apud iudices respondit? Antonii epistolae, Bruti conciones „falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum „acerbitate habent: carmina Bibaculi et Catulli referta „contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, „ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud

Seiani clientes. Nam Cordo omne infortunii initium fuit, ὅτι τῷ Σηϊανῷ προςέκρουσεν. Dio l. l. Et Seneca cons. ad Marciam (Cremutii filiam) c. 22. *Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non poterat Seianum in cervices nostras nec inponi quidem sed escendere. Decernebatur illi statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. Exclamavit Cordus, tunc vere theatrum perire.*

adeo factorum innocens sum. Dio l. l. οὕτω γὰρ οὐδὲν ἔγκλημα ἐπαίτιον λαβεῖν ἠδυνήθη, ὥςτε κ. τ. λ. Victorius in exempl. suo Beroald. his verbis circumdedit uncos, scilicet ne impedimento essent sequenti voci *haec*, quae refertur ad *Verba mea* neque ad vocabulum *factorum* proxime praecedens. Sed nihili sunt unci illi. Est zeugma in loco.

rescripta oratione. Plutarch. Caes. 3. ἐν τῇ πρὸς Κικέρωνα περὶ Κάτωνος ἀντιγραφῇ. Sueton. Iul. c. 56. Gell. 4, 16. Quintil. 3, 7. 28. Iuvenal. 6, 337. Mox vett. libri *epistulae*, uti solent; dein *adgnita*.

falsa quidem, sed multa etc. Ne audias Kritzium, qui (*Allg. Schulz.* 1830. nr. 17.) vult *et multa.* Nam

„facile dixerim moderatione magis an sapientia. namque spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur."

XXXV. „Non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita: aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere de iis, quos mors odio aut gratiae exemisset. Num cum armatis Cassio et Bruto ac Philippenses campos obtinentibus belli civilis causa populum per conciones incendo? an illi quidem

ita *quidem* nihili evadit, totius loci sententia contorquetur.

Cap. 35. *non modo — etiam.* Omittitur *sed.* Sic 16, 29. *neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi.* Hist. 2, 27. *nec solum apud Caecinam ...: Fabii quoque* etc. Vid. ibi not. et supr. ad 2, 19.

advertit. cf. not. ad 2, 32.

odio aut gratiae. Sic edd. Lips. sqq. *gratia* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. De particula *aut* vid. not. ad 1, 8.

num ..., incendo? an illi ... retinent? Edd. Beroald. Rhen. aliaeque vett. alterum interrogationis signum post *retinent* omittunt. Pichena et Boxhornius, quibus non satis idonea interrogationis ratio esse videbatur, coniecere scribendum esse *at* pro *an.* Contra eos pugnat I. Fr. Gronovius, qui *num* accipit pro *utrum*, ut ab *an* incipiat alterum duorum, quae interrogare orator instituerit. Non satis recte. Nam qui interrogat: *utrum ..? an ..?*, exspectat, ut interrogatus adfirmet unum aut alterum, neque ipse iudicat, utrum sit verum. At qui interrogat: *num ...? an ...?* is interrogando negat prius, adfirmat alterum. Eadem huius loci ratio est. *Num ... incendo?* Non. *An ... retinent?* Retinent. Sic Cic. Legg. 2, 2. *numquid duas habetis patrias? an est illa patria communis?* Id. Lael. 8. *Illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, an esset antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa.* cf. Ramsh. Gr. § 174. p. 502. Aliam iniit viam Broterius, qui *an* accipit pro *annon:* cui tamen commento adhaeret error quidam. Nam *an* nunquam dici potest pro *annon.* Est vero genus interrogationis, quo utuntur modeste loquentes. Rem quanquam satis certam ita interrogando exprimunt, ut iudicium non sibi vindicent, sed relinquant apud interrogatos. Non dicunt: *Annon bonorum exempla imitari debemus?* sed: *an bonorum exempla imitari debemus?* Illud arrogantis, hoc modesti esse videtur. Exempla sunt apud Cic. de off. 1, 15. *Quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt?* Ibid. 3, 17. *Suntne igitur insidiae, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis nec agitaturus?* Plin. epp. 2, 17, 29. *Iustisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum?* Ibid. 3, 16, 13. *Videnturne haec tibi maiora illo: Paete non dolet?* Ibid. 3, 21, 6. *Meritone eum qui haec de me scripsit — defunctum doleo?* Ovid. Heroid. 17, 247. *An fera Centauris indicere bella coegit* etc.? Similis est in Graecorum sermone particulae ἆρα usus, quae quum poni debeat ita, ut ad id, quod interrogatum est, respondeas *non;* nonnunquam tamen ita adhibetur, ut adfirmans responsio sequatur. cf. Hermann. ad Viger. not. 294. p. 788. Reisig. Enarr. Oed. Col. 1577.

„septuagesimum ante annum perempti, quo modo ima„ginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, „sic partem memoriae apud scriptores retinent? Suum „cuique decus posteritas rependit: nec deerunt, si dam„natio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed etiam „mei meminerint." Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. libros per aediles cremandos censuere patres: sed manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

XXXVI. Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum auspicandi gratia tribunal ingressum

septuagesimum. Ceciderant an. u. 712. Verus igitur numerus esset 66. Rotundo numero utitur et quidem maiore, quoniam id est e sua re.

nec victor quidem. Sic edd. Ber. sqq. haud dubie e cod. MS. I. Fr. Gronovio auctore Ernestius mutavit: *ne v. q.*, quem deinde omnes imitati sunt. Sed *nec* hic ponitur ut 1, 32. (vid. ibi not.) ut *nec . . . quidem* sit *auch nicht einmal*, maiore vi quam *ne . . . quidem.* cf. not. ad Hist. 1, 66. 2, 82. 4, 38. Germ. c. 7. Ramsh. Gr. p. 598.

vitam abstinentia finivit. cf. Seneca ad Marc. c. 22. Dio 57, 24. αὐτός τε ἀπέθανε, καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἐκαύθη· ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις (ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά) καὶ πολὺ ἀξιοσπουδαστότερα ὑπὸ τῆς τοῦ Κόρδου συμφορᾶς ἐγένετο.

cremandos. cf. 14, 50. Agr. c. 2.

sed manserunt edd. Lips. sqq. *et manserunt* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

editi. Vertranius malebat: *abditi.* Refutavit Lipsius. „Non moris Tacito bina verba ponere eiusdem rei." Scilicet non ponit, ubi frustra duo verba eiusdem rei ponerentur; alias non caret synonymis. Ernestius: *redditi*, quoniam dudum ante editi fuerant. Sed ante editos h. e. vulgatos cremaverant; dein rursus describendi copia facta est h. e. editi sunt. Accuratius idem dicit Dio l. l.

Cap. 36. *praefectum urbis.* Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *praef. urbi* cod. Ursini. Sed cf. Hist. 3, 64. Sic *praetoriarum cohortium praefectus* An. 1, 7. *castrorum* 1, 20. 23. *classis* Hist. 3, 47. Vid. not. ad 6, 10.

Drusum. Germanici filium. cf. supr. c. 8. et c. 4.

auspicandi gratia. H. e. ut initium faceret capessendae praefecturae. Solebant enim magistratum ineuntes eo die, quo munus inciperent, aliquod officium peragere, quo publicum ederent documentum capessiti honoris. cf. Asconius ad Cic. in Verr. 1, 40. Sueton.

adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium; quod a Caesare palam increpitum causa exsilii Salviano fuit. Obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. At Fonteius Capito, qui pro consule Asiam curaverat, absolvitur, comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. neque tamen id Sereno noxae fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles poenis adficiebantur.

XXXVII. Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum legatis oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius exstrueret. qua occasione Caesar validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit. „Scio P. C. constantiam meam a plerisque desideratam, „quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non „sim adversatus. ergo et prioris silentii defensionem, et „quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum di„vus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud

Ner. c. 7. Panegyr. Maximiani c. 6. Sic bene Lipsius. Ernestius perperam haec verba accipit de initio iurisdictionis et primo gradu honorum gerendorum et rei publicae capessendae.

quod a Caesare palam increpitum. Lipsius ad h. l. „Iure, quia non seriae causae, sed leves quaedam tunc agi solitae: multo minus capitales et ominis saevi ac scaevi."

publice. H. e. Cyzicenis ut civitati obiecta est illa incuria. Suet. Tib. c. 37. *Cyzicenis publice libertatem ademit.* Id. Oct. c. 17. Tib. c. 48. et alibi. Dio 57, 24. *καὶ Κυζικηνῶν ἡ ἐλευθερία αὖθις, ὅτι τε Ῥωμαίους τινὰς ἔδησαν καὶ ὅτι καὶ τὸ ἡρῷον ὃ τῷ Αὐγούστῳ ποιεῖν ἤρξαντο, οὐκ ἐξετέλεσαν, ἀφῃρέθη.* Augustus iam Cyzicenis libertatem ademerat, Dio 54, 7. eamque reddiderat, Dio 54, 23. Vides, Dionem habere, quod Ryckius apud nullum e veteribus reppererat.

quam bello M. meruerant. cf. Appian. B. Mithr. p. 221 sq.

Vibium Serenum. Sc. filium. cf. c. 28.

Cap. 37. *exemplo Asiae.* cf. supr. c. 15.

sibi atque urbi R. Cf. Sueton. Oct. c. 52. Dio 51, 20.

„Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta „dictaque eius vice legis observem, placitum iam exem„plum promptius secutus sum, quia cultui meo venera„tio senatus adiungebatur. ceterum ut semel recepisse „veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie nu„minum sacrari ambitiosum, superbum: et vanescet „Augusti honor, si promiscuis adulationibus vul„gatur."

XXXVIII. „Ego me P. C. mortalem esse et ho„minum officia fungi satisque habere, si locum princi„pem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo, „qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maiori„bus meis dignum, rerum vestrarum providum, con„stantem in periculis, offensionum pro utilitate publica „non pavidum credant. haec mihi in animis vestris „templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae. nam „quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium „vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, „cives et deos ipsos precor, hos ut mihi ad finem usque

sacrari. Sic edd. Lips. sqq. *sacra* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

Cap. 38. *officia fungi.* cf. not. ad 3, 2.

ut .... credant. Ernestius, offensus particula *ut*, suspicabatur scribendum esse *si* vel *ubi.* Broterius *ut* interpretatur *cum.* Oberlinus: „non ita ingrata erit posteritati mea memoria, ut non me credant etc." Herrmanno *ut* est *gesetzt dafs*, quod videtur esse concedentium nec huius loci. Brevitas scriptoris interpretibus imposuit. Plenius dixisset: *Qui satis ... tribuent, si id tribuent, ut* etc. De qua dicendi brevitate cf. Ramshorn. Gr. § 205. 5. p. 687. Ad accusativum *dignum* intellige *me*, quod latet in voce *memoriae meae* i. e. mihi.

pro sepulcris. H. e. *als wenn es nur Gräber wären.* Suet. Oct. c. 70. *pro Apolline ornatum.* Ib. c. 91. *pro ianitore adpositum.* Sententia: spernuntur ita ut non pluris aestimentur quam sepulcra aestimari solent. Nam sepulcra, licet non spernantur, immo sanctitatem habeant, non tamen sunt templa nec eodem cultu habentur. Templum igitur, quod non pluris aestimatur quam sepulcrum, recte dicimus sperni. Quae quum ita sint, non opus est coniectura Ernestii: *pro sepultis.*

proinde. Sic ed. Beroald. sqq. cf. not. ad 3, 17.

et deos ipsos. Cod. MS. test. Pichena *et deos et deos ipsos* inani repetitione. Inde Beroald. ceteraeque edd. vett. *et deos et deas ipsas*, quod serio Lipsius defendit adlatis exemplis Demosth. de Coron. c. 1. Homer. Iliad. ϑ', 5. Addo Tac. An. 6, 6. Suet. Tib. c. 67. Sed quanquam illis in locis bene se habent *dii deaeque*, quia deae diis opponuntur, ut denotentur numina quaecunque, ita hic *dearum* vocabulum inutile est, quum dii sociis

„vitae quietam et intelligentem humani divinique iuris „mentem duint, illos ut, quandoque concessero, cum „laude et bonis recordationibus facta atque famam no„minis mei prosequantur." Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. quod alii modestiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. Optumos quippe mortalium altissima cupere. sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos, melius Augustum, qui speraverit. cetera principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. nam contemptu famae contemni virtutes.

XXXIX. At Seianus nimia fortuna socors et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos, moris quippe tum erat quanquam praesentem scripto adire. eius talis forma fuit: Benevolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum

civibusque oppositi deas haud dubie simul innuant. Bene igitur Pichena *et deas* eiecit; frustra autem Heinsius coniecit: *et deos hos ipsos*, vel *deos adeo hos ipsos*. Erant enim in curia statuae deorum.

quandoque. Sic cod. MS. et edd. recentt. inde ab Oberl. Recte. cf. not. ad 1, 6. Edd. Beroald. sqq. *quandocunque*.

altissima. Sic edd. omnes praeter Bekk., qui dedit *altissuma*.

speraverit. H. e. non adrogaverit sibi, sed fiducia gloriae reliquerit posterorum in se favori.

statim. H. e. sine mora, εὐθύς, simul cum principatu, ita ut non debeant parari aut exspectari. Sic *statim* et *postea* sibi invicem opponuntur apud Sueton. Oct. c. 51. Ner. c. 34. Perperam igitur Muretus coniecit *affatim*, nec melius Crollius, qui *statim*, prima longa, explicat perpetuo, aequaliter.

prosperam. Sic *prospera fama* infr. c. 52. Chifletius: *posteram*. Scilicet datur etiam *praepostera* vel *antecedens memoria!*

Cap. 39. *socors*. H. e. ἄφρων, stultus, amens, male sanus. Sic Antonia apud Sueton. Claud. c. 3. *si quem socordiae argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio*. cf. supr. c. 35. *socordiam eorum* etc. Edd. Lips. Grut. *secors*, uti solent. In margine Lips. posuit *vecors*.

benevolentiae. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *benivolentia*.

iudiciis. Sic Plin. epp. 10, 8. *principis iudicio exornari*. Id. epp. 10, 3. *rogo ergo, domine, ut praestes, ut non in me tantum, verum et in amico gloriari iudiciis tuis possim*. Alia exempla sunt ibid. 4, 8. 15. Liv. 3, 51. Cic. Fam. 10, 1. 13, 46.

„Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta „dictaque eius vice legis observem, placitum iam exem„plum promptius secutus sum, quia cultui meo venera„tio senatus adiungebatur. ceterum ut semel recepisse „veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie nu„minum sacrari ambitiosum, superbum: et vanescet „Augusti honor, si promiscuis adulationibus vul„gatur."

XXXVIII. „Ego me P. C. mortalem esse et ho„minum officia fungi satisque habere, si locum princi„pem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo, „qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maiori„bus meis dignum, rerum vestrarum providum, con„stantem in periculis, offensionum pro utilitate publica „non pavidum credant. haec mihi in animis vestris „templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae. nam „quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium „vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, „cives et deos ipsos precor, hos ut mihi ad finem usque

sacrari. Sic edd. Lips. sqq. *sacra* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

Cap. 38. *officia fungi*. cf. not. ad 3, 2.

ut .... credant. Ernestius, offensus particula *ut*, suspicabatur scribendum esse *si* vel *ubi*. Broterius *ut* interpretatur *cum*. Oberlinus: „non ita ingrata erit posteritati mea memoria, ut non me credant etc." Herrmanno *ut* est *gesetzt dafs*, quod videtur esse concedentium nec huius loci. Brevitas scriptoris interpretibus imposuit. Plenius dixisset: *Qui satis ... tribuent*, *si id tribuent*, *ut* etc. De qua dicendi brevitate cf. Ramshorn. Gr. § 205. 5. p. 687. Ad accusativum *dignum* intellige *me*, quod latet in voce *memoriae meae* i. e. mihi.

pro sepulcris. H. e. *als wenn es nur Gräber wären.* Suet. Oct. c. 70. *pro Apolline ornatum*. Ib. c. 91. *pro ianitore adpositus*. Sententia: spernuntur ita ut non pluris aestimentur quam sepulcra aestimari solent. Nam sepulcra, licet non spernantur, immo sanctitatem habeant, non tamen sunt templa nec eodem cultu habentur. Templum igitur, quod non pluris aestimatur quam sepulcrum, recte dicimus sperni. Quae quum ita sint, non opus est coniectura Ernestii: *pro sepultis*.

proinde. Sic ed. Beroald. sqq. cf. not. ad 3, 17.

et deos ipsos. Cod. MS. test. Pichena *et deos et deos ipsos* inani repetitione. Inde Beroald. ceteraeque edd. vett. *et deos et deas ipsas*, quod serio Lipsius defendit adlatis exemplis Demosth. de Coron. c. 1. Homer. Iliad. θ', 5. Addo Tac. An. 6, 6. Suet. Tib. c. 67. Sed quanquam illis in locis bene se habent *dii deaeque*, quia deae diis opponuntur, ut denotentur numina quaecunque, ita hic *dearum* vocabulum inutile est, quum dii sociis

„vitae quietam et intelligentem humani divinique iuris „mentem duint, illos ut, quandoque concessero, cum „laude et bonis recordationibus facta atque famam no„minis mei prosequantur." Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. quod alii modestiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. Optumos quippe mortalium altissima cupere. sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos, melius Augustum, qui speraverit. cetera principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. nam contemptu famae contemni virtutes.

XXXIX. At Seianus nimia fortuna socors et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos. moris quippe tum erat quanquam praesentem scripto adire. eius talis forma fuit: Benevolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum

civibusque oppositi deas haud dubie simul innuant. Bene igitur Pichena *et deas* eiecit; frustra autem Heinsius coniecit: *et deos hos ipsos*, vel *deos adeo hos ipsos*. Erant enim in curia statuae deorum.

quandoque. Sic cod. MS. et edd. recentt. inde ab Oberl. Recte. cf. not. ad 1, 6. Edd. Beroald. sqq. *quandocunque*.

altissima. Sic edd. omnes praeter Bekk., qui dedit *altissuma*.

speraverit. H. e. non adrogaverit sibi, sed fiducia gloriae reliquerit posterorum in se favori.

statim. H. e. sine mora, *εὐθύς*, simul cum principatu, ita ut non debeant parari aut exspectari. Sic *statim* et *postea* sibi invicem opponuntur apud Sueton. Oct. c. 51. Ner. c. 34. Perperam igitur Muretus coniecit *affatim*, nec melius Crollius, qui *statim*, prima longa, explicat perpetuo, aequaliter.

prosperam. Sic *prospera fama* infr. c. 52. Chifletius: *posteram*. Scilicet datur etiam *praepostera* vel *antecedens memoria!*

Cap. 39. *socors*. H. e. *ἄφρων*, stultus, amens, male sanus. Sic Antonia apud Sueton. Claud. c. 3. *si quem socordiae argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio*. cf. supr. c. 35. *socordiam eorum* etc. Edd. Lips. Grut. *secors*, uti solent. In margine Lips. posuit *vecors*.

benevolentiae. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *benivolentia*.

iudiciis. Sic Plin. epp. 10, 8. *principis iudicio exornari*. Id. epp. 10, 3. *rogo ergo, domine, ut praestes, ut non in me tantum, verum et in amico gloriari iudiciis tuis possim*. Alia exempla sunt ibid. 4, 8. 15. Liv. 3, 51. Cic. Fam. 10, 1. 13, 46.

aures conferret. neque fulgorem honorum unquam precatum: excubias ac labores ut unum e militibus pro incolumitate imperatoris malle. Attamen, quod pulcherrimum, adeptum ut coniunctione Caesaris dignus crederetur. hinc initium spei. et quoniam audiverit Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse: ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum. non enim exuere imposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa. nam sibi multum superque vitae fore, quod tali cum principe explevisset.

XL. Ad ea Tiberius laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tanquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit: Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda. ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus iisdem tolerandum haberet, esse illi matrem et aviam propiora consilia. simplicius acturum, de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset. sic quoque erumpere aemulationem feminarum eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali coniugio? „Falleris enim, Seiane, „si te mansurum in eodem ordine putas et Liviam, quae „C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, „ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, cre-

crederetur. Hoc verbum refer ad hominum de Seiano opinionem. Coniunctionem quidem Caesaris nondum adeptus erat, mortuo filio Claudii ante initum cum Seiani filia matrimonium. Attamen ea gloria iam gaudebat, ut tali coniunctione dignus vulgo crederetur. Vid. not. 2. de verbo *credere.*

Augustum ... consultavisse. cf. Suet. Oct. c. 63.

CAP. 40. *integram consultationem.* Sic *integrum iudicium* 3, 8.

in eo stare. H. e. non excedere id, *sich darauf beschränken.*

convelli. Sic 6, 48. *Tiberius .. vi dominationis convulsus* (*verdorben*) *et mutatus.*

„dine passuros, qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? Vis tu quidem „istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus „consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium „longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt perque invidiam tui me quoque incusant. At „enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si, cum in omnis curas „distraheretur immensumque attolli provideret, quem „coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium „et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate „vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. Sed si „dubitatione Augusti movemur, quanto validius est, „quod M. Agrippae, mox mihi collocavit? Atque ego „haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis „neque Liviae destinatis adversabor. Ipse quid intra „animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus „immiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, „quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur, datoque tempore vel in senatu vel in concione „non reticebo."

XLI. Rursum Seianus non iam de matrimonio, sed altius metuens, tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur. Ac ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. multa quippe providebat: sua in manu aditus litterarumque magna ex parte se arbitrum fore,

perrumpunt. H. e. excedunt fines, intra quos vis te continere. Ernest.

consulunt. Sc. te. Mox pro *longeque* edd. Ber. Alc. habent *legeque*, vitiose.

non occulti. cf. not. ad 3, 29.

at enim. Ἀλλὰ γάρ.

Cap. 41. *non iam.* Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *non tam.* Mureto, Ursino, Pichena suasoribus inductum est *iam*, quod exstat in edd. Lips. (1607) Pich. (in margine) Bernegg. sqq.

cum per milites commearent: mox Caesarem vergente iam senecta secretoque loci mollitum munia imperii facilius tramissurum: et minui sibi invidiam adempta salutantum turba: sublatisque inanibus vera potentia augere. Igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones ac praecipua rerum maxime agitari.

XLII. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenii viro cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum coetus vocesque, quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius e militaribus viris dum studio probandi cuncta refert et quanquam inter obstrepentes magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est, ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus

vergente iam senecta. Wopkens. coniic. *urgente*, ut Cic. de senect. c. 1. Nam senectus per se est vergens aetas. cf. 2, 43. Potest tamen vergens senecta accipi de grandiore senecta. Sic *provecta senectus* An. 1, 4.

vera potentia augere. Sic cod. MS. edd. vett. Quam scripturam qui defendunt, verbum *augere* accipiunt vi intransitiva. cf. Gell. 18, 12, ubi Cato: *eo res eorum auxit* h. e. aucta est. E Sallustii fragm. Histor. adferunt hoc: *ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse* h. e. auctam esse. Tacitus tamen Hist. 3, 45. *auxerat potentiam*, non *potentia*. Rhenanus corrigebat *augeri* (sic ed. Ald.) vel *agere*. Utrumque verbum non semel permutari in MSS. satis constat. cf. not. ad Hist. 4, 58. Muretus vult: *veram potentiam*; Ryckius et Heinsius: *vera potentiae augere.* Mox ed. Ald. *queis* pro *quis*, uti solet.

Cap. 42. *postulato.* Ed. Ber. *postulatio.* Victor. in s. e. c. *postulato*, quod habent edd. Alc. Rhen. Ald. sqq.

magna adseveratione. cf. not. ad c. 19.

vel in cognitione. Ernestius: „post, ubi de istis rebus cognitio, disceptatio, futura esset." Rectius alii *cognitionem* interpretantur iudicium de hac ipsa re instituendum. Promittebat Caesar se causam esse dicturum coram senatu vel iis, quos senatus ad id iudicium delegasset. Freinshemius et Paschalius perperam coniecere: *in concione.*

maiestatis poenis adfectus est. Relegatus in insulas Baleares testante Eusebio in Chron.

reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quanquam Lentulus Gaetulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exsilio punivit: Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

XLIII. Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus: sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum ac post C. Caesaris et M. Antonii sententia redditum. Contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse; monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco ma-

Gaetulicus. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. sqq. *Getulicus* edd. Beroald. sqq. Apud Graecos etiam scriptores nunc *Γετοῦλοι*, nunc *Γαιτοῦλοι* leguntur. cf. Reimar. ad Dion. 43, 4. *Getulic.* etiam lapis Gruter. p. 382. nr. 6.

lege Iulia damnasset. Vid. not. ad 2, 50.

in acta divi Aug. non i. De hoc ritu cf. Dio 57, 8. 60, 10.

albo senatorio. cf. Dio 55, 3. Paulo ante una Aldina dat *Apidumque* pro *Apidiumque.*

CAP. 43. *Limnatidis.* Cod. MS. test. Iac. Gronov. *Limenatidis.* Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *Limenetidis.* Sed cognomentum sive a *Limnis* vico Messeniae (secundum Strab. 8, p. 361.) sive sit *ἀπὸ τῆς λίμνης* (sec. Pausan. 4, 31. 7, 20. Artemidor. 2, 35.) sine *e* vel *i* legendum erit, uti suadente Lipsio edidere Brot. Oberl. sqq. et sic iam habet ed. Micyll. Similiter supr. 3, 62. in aliud Dianae cognomentum littera *e* inrepserat. Nec dissimile est 3, 69. *Cythenum* pro *Cythnum.*

Peloponnesi. Sic edd. Lips. 1600 sqq. *Peloponessi* edd. vett.

suoque regi Dentheliatem agrum. Ferunt in cod. MS. legi: *suoque recident Heliatem*, quod ediderunt Alc. et Aldus, aperta corruptione. Ed. Ber. *regi Dentheliatem.* Ed. Rhenan. *regi dent Heliatem.* In castigatt. Rhenan. emendat *suoque regi Penthelo Eleatem agrum.* Meursius in Lacon. 1, 2. *suoque regi Deltheniatem*, e Stephano, qui habet: *Δελθάνιοι, πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων.* Ibi tamen Holstenius probante Ryckio ex hoc Taciti loco corrigit: *Δενθάλιοι.* Itaque tutiore emendatione destituti sine cunctatione cum Lipsio sqq. legimus: *Dentheliatem agrum.* Nam quae alia dedere, minorem etiam veritatis speciem praeferunt. Lipsio enim placebat: *regi Penthilo Eleatem agrum*, citato Strabon. 13, p. 582. Velleio 1, 6. Sed is Penthilus non fuit e posteris Herculis. Hinc transiit ad aliam coniecturam: *suoque regi dein Eleatem agrum.* Mercerus: *Thuriatem agrum.* Chifletius: *suoque regi datum Heliatem agrum cessisse.*

cum per milites commearent: mox Caesarem vergente iam senecta secretoque loci mollitum munia imperii facilius tramissurum: et minui sibi invidiam adempta salutantum turba: sublatisque inanibus vera potentia augere. Igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones ac praecipua rerum maxime agitari.

XLII. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenii viro cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum coetus vocesque, quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius e militaribus viris dum studio probandi cuncta refert et quanquam inter obstrepentes magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est, ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus

vergente iam senecta. Wopkens. coniic. *urgente*, ut Cic. de senect. c. 1. Nam senectus per se est vergens aetas. cf. 2, 43. Potest tamen vergens senecta accipi de grandiore senecta. Sic *provecta senectus* An. 1, 4.

vera potentia augere. Sic cod. MS. edd. vett. Quam scripturam qui defendunt, verbum *augere* accipiunt vi intransitiva. cf. Gell. 18, 12, ubi Cato: *eo res eorum auxit* h. e. aucta est. E Sallustii fragm. Histor. adferunt hoc: *ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse* h. e. auctam esse. Tacitus tamen Hist. 3, 45. *auxerat potentiam*, non *potentia*. Rhenanus corrigebat *augeri* (sic ed. Ald.) vel *agere*. Utrumque verbum non semel permutari in MSS. satis constat. cf. not. ad Hist. 4, 58. Muretus vult: *veram potentiam*; Ryckius et Heinsius: *vera potentiae augere.* Mox ed. Ald. *queis* pro *quis*, uti solet.

Cap. 42. *postulato.* Ed. Ber. *postulatio.* Victor. in s. e. c. *postulato*, quod habent edd. Alc. Rhen. Ald. sqq.

magna adseveratione. cf. not. ad c. 19.

vel in cognitione. Ernestius: „post, ubi de istis rebus cognitio, disceptatio, futura esset." Rectius alii *cognitionem* interpretantur iudicium de hac ipsa re instituendum. Promittebat Caesar se causam esse dicturum coram senatu vel iis, quos senatus ad id iudicium delegasset. Freinshemius et Paschalius perperam coniecere: *in concione.*

maiestatis poenis adfectus est. Relegatus in insulas Baleares testante Eusebio in Chron.

reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quanquam Lentulus Gaetulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exsilio punivit: Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

XLIII. Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus: sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum ac post C. Caesaris et M. Antonii sententia redditum. Contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse; monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco ma-

Gaetulicus. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. sqq. *Getulicus* edd. Beroald. sqq. Apud Graecos etiam scriptores nunc *Γετοῦλοι*, nunc *Γαιτοῦλοι* leguntur. cf. Reimar. ad Dion. 43, 4. *Getulic.* etiam lapis Gruter. p. 382. nr. 6.

lege Iulia damnasset. Vid. not. ad 2, 50.

in acta divi Aug. non i. De hoc ritu cf. Dio 57, 8. 60, 10.

albo senatorio. cf. Dio 55, 3. Paulo ante una Aldina dat *Apidumque* pro *Apidiumque.*

CAP. 43. *Limnatidis.* Cod. MS. test. Iac. Gronov. *Limenatidis.* Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *Limenetidis.* Sed cognomentum sive a *Limnis* vico Messeniae (secundum Strab. 8, p. 361.) sive sit *ἀπὸ τῆς λίμνης* (sec. Pausan. 4, 31. 7, 20. Artemidor. 2, 35.) sine *e* vel *i* legendum erit, uti suadente Lipsio edidere Brot. Oberl. sqq. et sic iam habet ed. Micyll. Similiter supr. 3, 62. in aliud Dianae cognomentum littera *e* inrepserat. Nec dissimile est 3, 69. *Cythenum* pro *Cythnum.*

Peloponnesi. Sic edd. Lips. 1600 sqq. *Peloponessi* edd. vett.

suoque regi Dentheliatem agrum. Ferunt in cod. MS. legi: *suoque recident Heliatem*, quod ediderunt Alc. et Aldus, aperta corruptione. Ed. Ber. *regi Dentheliatem.* Ed. Rhenan. *regi dent Heliatem.* In castigatt. Rhenan. emendat *suoque regi Penthelo Eleatem agrum.* Meursius in Lacon. 1, 2. *suoque regi Deltheniatem*, e Stephano, qui habet: *Δελθάνιοι, πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων.* Ibi tamen Holstenius probante Ryckio ex hoc Taciti loco corrigit: *Δενθάλιοι.* Itaque tutiore emendatione destituti sine cunctatione cum Lipsio sqq. legimus: *Dentheliatem agrum.* Nam quae alia dedere, minorem etiam veritatis speciem praeferunt. Lipsio enim placebat: *regi Penthilo Eleatem agrum*, citato Strabon. 13, p. 582. Velleio 1, 6. Sed is Penthilus non fuit e posteris Herculis. Hinc transiit ad aliam coniecturam: *suoque regi dein Eleatem agrum.* Mercerus: *Thuriatem agrum.* Chifletius: *suoque regi datum Heliatem agrum cessisse.*

nere. quod si vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii iudicium. sic Milesios permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum praetorem Achaiae decrevisse. Ita secundum Messenios datum. Et Segestani aedem Veneris montem apud Erycum vetustate dilapsam restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et laeta Tiberio. suscepit curam libens ut consanguineus. Tunc tractatae Massiliensium preces probatumque P. Rutilii exemplum. namque eum legibus pulsum civem sibi Smyrnaei addiderant. quo iure Vulcatius Moschus exsul in Massilienses receptus bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

quod si ... vocentur. Asyndeton in: *vatum*, *annalium* displicet Ernestio; Tacito satis acceptum est. cf. supr. c. 1. *compositae rei publicae, florentis domus*; 3, 67. *voce, vultu*; 4, 48. *clamore*, *telis*; 4, 49. *saxa*, *hastae*, *ignes* etc. ibid. *bellatorum*, *imbellium*. Quod ante addidit copulam: *annalium ... vatumque*, recte fecit. Nam ibi aliud est dicendi genus. Deinde Oberlino vix dubium erat legendum: *quodsi vatum*, *annalium testimonia advocentur*. Cave ne credas. Vulgata scriptura nil melius est. Nam *vocari* est verbum iudiciale, exquisite dicitur de iis, qui invitantur ad certamen, vel ut rationem reddant. Tac. de Orat. c. 13. *ad quorum exempla me vocas.* Infr. 6, 34. *vocare ad pugnam.* Vocabantur Messenii ad illa testimonia h. e. invitabantur, ut certarent testimoniis. Germanice: *würden sie zu Zeugnissen aus Jahrbüchern und Dichtern herausgefordert.* Mox *locupletiores* edd. Lips. sqq. *locupletioris* edd. vett.

Mummii. Sic Lips. sqq. *Mumii* edd. vett.

publice. H. e. a Messeniis et Lacedaemoniis non privato, sed publico consilio et decreto. Nam si esset: „rei publicae Milesiorum", quod vult Freinshemius, tum ad vocabulum *Milesios* potius quam ad *permisso* scriptor posuisset *publice*.

secundum Messenios datum. cf. Suet. Claud. c. 15. *secundum praesentes facillime dabat.*

Erycum. Sic et Cic. Verr. 2, 8. Alibi *Erycem*, uti Broterius edidit cum Aldo. Posses etiam coniicere *Erycinum*, quia cod. MS. saepius omittit medias syllabas. Vid. not. ad 1, 20.

dilapsam. Ex emendatione Ernestii, quam seqq. edd. servant. Prius inde a Ber. legebatur *delapsam*. cf. Hist. 4, 40. *aera legum vetustate delapsa.* Contra Hist. 1, 86. *dein remeante flumine dilapsa.* Utrumque bonum suo loco. De aede Veneris et *dilabi* et *delabi* quidem dici potest. In inscriptt. tamen de aedibus plerumque legitur *dilabi*. cf. Piranesi, *Antichita Romane* T. I. tab. 17. Gruter. p. 177. nr. 1.

consanguineus. Sc. Veneris, non Segestanorum, ut Lipsio videbatur. Eo respiciunt *laeta Tiberio*.

P. Rutilii exemplum. Ovid. ex Ponto 1, 3, 63. Velleius 2, 13. Cic.

XLIV. Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus et L. Domitius. Lentulo super consulatum et triumphalia de Gaetulis gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur: avus Pharsalica acie pro optimatibus ceciderat: ipse delectus cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur. post exercitu flumen Albim transcendit longius penetrata Germania quam quisquam priorum, easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et L. Antonius multa claritudine generis, sed improspera. nam patre eius Iulo Antonio ob adulterium Iuliae morte punito hunc admodum adulescentulum sororis nepotem seposuit Augustus in civitatem Massilien-

Font. 13. Senec. ep. 24. Valer. Max. 6, 4, 4.

CAP. 44. *Gaetulis.* Sic cod. MS. edd. Lips. 1607. Iac. Gronov. sqq. Edd. Ber. Alc. *Getis*, edd. Rhenan. Ald. sqq. *Getulis*. Non de *Getis*, sed de *Gaetulis* ille triumphavit et *Gaetulicus* cognominatus est. cf. c. 42. ibique not.

paratae. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. In Rhen. ed. 1544 irrepserat *pa tae*. Inde Lips. *partae*. Genuinam scripturam Pichena restituit.

Domitium decoravit pater. cf. Sueton. Ner. c. 3. Vellei. 2, 72. Appian. B. C. 5, 55. 61. Cic. Phil. 2, 11.

avus Pharsalica acie. Sueton. Ner. c. 2. Caes. B. C. 3, 99. Lucan. 7, 599 sqq. Mox *optumatibus* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *optimatibus* edd. Lips. sqq.

ipse delectus ... daretur. Suet. Ner. c. 4 et 5. Cod. MS. *deiectus;* edd. Beroald. aliaeque vett. *electus*. Pichena genuinam scripturam restituit. Contrarium vitium eiusdem cod. MS. vid. 2, 60. 4, 25. Non *minorem* Antoniam, sed *maiorem* Domitio tribuit Suet. Ner. c. 5., *minorem* vero in Calig. c. 1. Druso Germanici patri. Noster hic et infr. 12, 64. Suetonio contradicit. Plutarch. in Anton. c. 87. (p. 955.) *ἀπολειπομένων τῶν Ἀντωνίου καὶ Ὀκταβίας δυοῖν θυγατέρων, τὴν μὲν Δομίτιος Αἰνόβαρβος ἔλαβε, τὴν δὲ σωφροσύνῃ καὶ κάλλει περιβόητον Ἀντωνίαν Δροῦσος ὁ Λιβίας υἱὸς, πρόγονος δὲ Καίσαρος.* Dio 48, 54. proavum Neronis cum avo confundit in verbis: *καὶ ἐκεῖνος* (Antonius) *τῷ Δομιτίῳ, καίτοι τοῦ Καίσαρος σφαγεῖ τε γενομένῳ ... τὴν ἑαυτοῦ (θυγατέρα) τὴν ἐκ τῆς Ὀκταουΐας οἱ γεννηθεῖσαν ἐνηγγύησε.* Iam utrum Tacito an Suetonio in hac re plus fidei sit habendum, non diiudico. Baumgarten-Crusius Suetonio magis credendum putat in his rebus accuratissimo.

post exercitu .... adeptus est. Consentit Suet. Ner. c. 4.

Iulo. Sic edd. Lips. sqq. *Iulio* cod. MS. edd. vett. cf. not. ad 1, 10.

morte punito. cf. supr. 1, 10. 3, 18.

sororis nepotem. Quippe natum e Marcella Octaviae filia.

in civitatem M. cf. Tac. Agr. c. 4. Strab. 4, p. 125.

„septuagesimum ante annum perempti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, „sic partem memoriae apud scriptores retinent? Suum „cuique decus posteritas rependit: nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed etiam „mei meminerint." Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. libros per aediles cremandos censuere patres: sed manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

XXXVI. Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum auspicandi gratia tribunal ingressum

septuagesimum. Ceciderant an. u. 712. Verus igitur numerus esset 66. Rotundo numero utitur et quidem maiore, quoniam id est e sua re.

nec victor quidem. Sic edd. Ber. sqq. haud dubie e cod. MS. I. Fr. Gronovio auctore Ernestius mutavit: *ne v. q.*, quem deinde omnes imitati sunt. Sed *nec* hic ponitur ut 1, 32. (vid. ibi not.) ut *nec . . . quidem* sit *auch nicht einmal*, maiore vi quam *ne . . . quidem.* cf. not. ad Hist. 1, 66. 2, 82. 4, 38. Germ. c. 7. Ramsh. Gr. p. 598.

vitam abstinentia finivit. cf. Seneca ad Marc. c. 22. Dio 57, 24. αὐτός τε ἀπέθανε, καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἐκαύθη· ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις (ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά) καὶ πολὺ ἀξιοσπουδαστότερα ὑπὸ τῆς τοῦ Κόρδου συμφορᾶς ἐγένετο.

cremandos. cf. 14, 50. Agr. c. 2.

sed manserunt edd. Lips. sqq. *et manserunt* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

editi. Vertranius malebat: *abditi.* Refutavit Lipsius. „Non moris Tacito bina verba ponere eiusdem rei." Scilicet non ponit, ubi frustra duo verba eiusdem rei ponerentur; alias non caret synonymis. Ernestius: *redditi*, quoniam dudum ante editi fuerant. Sed ante editos h. e. vulgatos cremaverant; dein rursus describendi copia facta est h. e. editi sunt. Accuratius idem dicit Dio l. l.

Cap. 36. *praefectum urbis.* Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *praef. urbi* cod. Ursini. Sed cf. Hist. 3, 64. Sic *praetoriarum cohortium praefectus* An. 1, 7. *castrorum* 1, 20. 23. *classis* Hist. 3, 47. Vid. not. ad 6, 10.

Drusum. Germanici filium. cf. supr. c. 8. et c. 4.

auspicandi gratia. H. e. ut initium faceret capessendae praefecturae. Solebant enim magistratum ineuntes eo die, quo munus inciperent, aliquod officium peragere, quo publicum ederent documentum capessiti honoris. cf. Asconius ad Cic. in Verr. 1, 40. Sueton.

adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium, quod a Caesare palam increpitum causa exsilii Salviano fuit. Obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. At Fonteius Capito, qui pro consule Asiam curaverat, absolvitur, comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. neque tamen id Sereno noxae fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles poenis adficiebantur.

XXXVII. Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum legatis oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius exstrueret. qua occasione Caesar validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit. „Scio .P. C. constantiam meam a plerisque desideratam, „quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non „sim adversatus. ergo et prioris silentii defensionem, et „quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum di„vus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud

Ner. c. 7. Panegyr. Maximiani c. 6. Sic bene Lipsius. Ernestius perperam haec verba accipit de initio iurisdictionis et primo gradu honorum gerendorum et rei publicae capessendae.

quod a Caesare palam increpitum. Lipsius ad h. l. „Iure, quia non seriae causae, sed leves quaedam tunc agi solitae: multo minus capitales et ominis saevi ac scaevi."

publice. H. e. Cyzicenis ut civitati obiecta est illa incuria. Suet. Tib. c. 37. *Cyzicenis publice libertatem ademit.* Id. Oct. c. 17. Tib. c. 48. et alibi. Dio 57, 24. *καὶ Κυζικηνῶν ἡ ἐλευθερία αὖθις, ὅτι τε Ῥωμαίους τινὰς ἔδησαν καὶ ὅτι καὶ τὸ ἡρῷον ὃ τῷ Αὐγούστῳ ποιεῖν ἤρξαντο, οὐκ ἐξετέλεσαν, ἀφῃρέθη.* Augustus iam Cyzicenis libertatem ademerat, Dio 54, 7. eamque reddiderat, Dio 54, 23. Vides, Dionem habere, quod Ryckius apud nullum e veteribus repperecrat.

quam bello M. meruerant. cf. Appian. B. Mithr. p. 221 sq.

Vibium Serenum. Sc. filium. cf. c. 28.

CAP. 37. *exemplo Asiae.* cf. supr. c. 15.

sibi atque urbi R. Cf. Sueton. Oct. c. 52. Dio 51, 20.

„Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta „dictaque eius vice legis observem, placitum iam exem„plum promptius secutus sum, quia cultui meo venera„tio senatus adiungebatur. ceterum ut semel recepisse „veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie nu„minum sacrari ambitiosum, superbum: et vanescet „Augusti honor, si promiscuis adulationibus vul„gatur."

XXXVIII. „Ego me P. C. mortalem esse et ho„minum officia fungi satisque habere, si locum princi„pem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo, „qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maiori„bus meis dignum, rerum vestrarum providum, con„stantem in periculis, offensionum pro utilitate publica „non pavidum credant. haec mihi in animis vestris „templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae. nam „quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium „vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, „cives et deos ipsos precor, hos ut mihi ad finem usque

sacrari. Sic edd. Lips. sqq. *sacra* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll.

Cap. 38. *officia fungi.* cf. not. ad 3, 2.

ut .... credant. Ernestius, offensus particula *ut*, suspicabatur scribendum esse *si* vel *ubi.* Broterius *ut* interpretatur *cum.* Oberlinus: „non ita ingrata erit posteritati mea memoria, ut non me credant etc." Herrmanno *ut* est *gesetzt dafs*, quod videtur esse concedentium nec huius loci. Brevitas scriptoris interpretibus imposuit. Plenius dixisset: *Qui satis ... tribuent, si id tribuent, ut* etc. De qua dicendi brevitate cf. Ramshorn. Gr. § 205. 5. p. 687. Ad accusativum *dignum* intellige *me*, quod latet in voce *memoriae meae* i. e. mihi.

pro sepulcris, H. e. *als wenn es nur Gräber wären.* Suet. Oct. c. 70. *pro Apolline ornatum.* Ib. c. 91. *pro ianitore adpositus.* Sententia: spernuntur ita ut non pluris aestimentur quam sepulcra aestimari solent. Nam sepulcra, licet non spernantur, immo sanctitatem habeant, non tamen sunt templa nec eodem cultu habentur. Templum igitur, quod non pluris aestimatur quam sepulcrum, recte dicimus sperni. Quae quum ita sint, non opus est coniectura Ernestii: *pro sepultis.*

proinde. Sic ed. Beroald. sqq. cf. not. ad 3, 17.

et deos ipsos. Cod. MS. test. Pichena *et deos et deos ipsos* inani repetitione. Inde Beroald. ceteraeque edd. vett. *et deos et deas ipsas,* quod serio Lipsius defendit adlatis exemplis Demosth. de Coron. c. 1. Homer. Iliad. Θ', 5. Addo Tac. An. 6, 6. Suet. Tib. c. 67. Sed quanquam illis in locis bene se habent *dii deaeque*, quia deae diis opponuntur, ut denotentur numina quaecunque, ita hic *dearum* vocabulum inutile est, quum dii sociis

„vitae quietam et intelligentem humani divinique iuris „mentem duint, illos ut, quandoque concessero, cum „laude et bonis recordationibus facta atque famam no„minis mei prosequantur." Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. quod alii modestiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. Optumos quippe mortalium altissima cupere. sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos, melius Augustum, qui speraverit. cetera principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. nam contemptu famae contemni virtutes.

XXXIX. At Seianus nimia fortuna socors et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos. moris quippe tum erat quanquam praesentem scripto adire. eius talis forma fuit: Benevolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum

civibusque oppositi deas haud dubie simul innuant. Bene igitur Pichena *et deas* eiecit; frustra autem Heinsius coniecit: *et deos hos ipsos*, vel *deos adeo hos ipsos*. Erant enim in curia statuae deorum.

quandoque. Sic cod. MS. et edd. recentt. inde ab Oberl. Recte. cf. not. ad 1, 6. Edd. Beroald. sqq. *quandocunque*.

altissima. Sic edd. omnes praeter Bekk., qui dedit *altissuma*.

speraverit. H. e. non adrogaverit sibi, sed fiducia gloriae reliquerit posterorum in se favori.

statim. H. e. sine mora, εὐθύς, simul cum principatu, ita ut non debeant parari aut exspectari. Sic *statim* et *postea* sibi invicem opponuntur apud Sueton. Oct. c. 51. Ner. c. 34. Perperam igitur Muretus coniecit *affatim*, nec melius Crollius, qui *statim*, prima longa, explicat perpetuo, aequaliter.

prosperam. Sic *prospera fama* infr. c. 52. Chifletius: *posteram*. Scilicet datur etiam *praepostera* vel *antecedens memoria!*

Cap. 39. *socors*. H. e. ἄφρων, stultus, amens, male sanus. Sic Antonia apud Sueton. Claud. c. 3. *si quem socordiae argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio*. cf. supr. c. 35. *socordiam eorum* etc. Edd. Lips. Grut. *secors*, uti solent. In margine Lips. posuit *vecors*.

benevolentiae. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *benivolentia*.

iudiciis. Sic Plin. epp. 10, 8. *principis iudicio exornari*. Id. epp. 10, 3. *rogo ergo, domine, ut praestes, ut non in me tantum, verum et in amico gloriari iudiciis tuis possim*. Alia exempla sunt ibid. 4, 8. 15. Liv. 3, 51. Cic. Fam. 10, 1. 13, 46.

aures conferret. neque fulgorem honorum unquam precatum: excubias ac labores ut unum e militibus pro incolumitate imperatoris malle. Attamen, quod pulcherrimum, adeptum ut coniunctione Caesaris dignus crederetur. hinc initium spei. et quoniam audiverit Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse: ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum. non enim exuere imposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa. nam sibi multum superque vitae fore, quod tali cum principe explevisset.

XL. Ad ea Tiberius laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tanquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit: Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda. ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus iisdem tolerandum haberet, esse illi matrem et aviam propiora consilia. simplicius acturum, de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset. sic quoque erumpere aemulationem feminarum eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali coniugio? „Falleris enim, Seiane, „si te mansurum in eodem ordine putas et Liviam, quae „C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, „ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, cre-

crederetur. Hoc verbum refer ad hominum de Seiano opinionem. Coniunctionem quidem Caesaris nondum adeptus erat, mortuo filio Claudii ante initum cum Seiani filia matrimonium. Attamen ea gloria iam gaudebat, ut tali coniunctione dignus vulgo crederetur. Vid. not. ad c. 2. de verbo *credere*.

Augustum ... consultavisse. cf. Suet. Oct. c. 63.

CAP. 40. *integram consultationem*. Sic *integrum iudicium* 3, 8.

in eo stare. H. e. non excedere id, *sich darauf beschränken*.

convelli. Sic 6, 48. *Tiberius .. vi dominationis convulsus* (*verdorben*) *et mutatus*.

„disne passuros, qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si, cum in omnis curas distraheretur immensumque attolli provideret, quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est, quod M. Agrippae, mox mihi collocavit? Atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur, datoque tempore vel in senatu vel in concione non reticebo."

XLI. Rursum Seianus non iam de matrimonio, sed altius metuens, tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur. Ac ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. multa quippe providebat: sua in manu aditus litterarumque magna ex parte se arbitrum fore,

perrumpunt. H. e. excedunt fines, intra quos vis te continere. Ernest.

consulunt. Sc. te. Mox pro *longeque* edd. Ber. Alc. habent *legeque*, vitiose.

non occulti. cf. not. ad 3, 29.

at enim. Ἀλλὰ γάρ.

Cap. 41. *non iam.* Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *non tam.* Mureto, Ursino, Pichena suasoribus inductum est *iam*, quod exstat in edd. Lips. (1607) Pich. (in margine) Bernegg. sqq.

cum per milites commearent: mox Caesarem vergente iam senecta secretoque loci mollitum munia imperii facilius tramissurum: et minui sibi invidiam adempta salutantum turba: sublatisque inanibus vera potentia augere. Igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones ac praecipua rerum maxime agitari.

XLII. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenii viro cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum coetus vocesque, quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius e militaribus viris dum studio probandi cuncta refert et quanquam inter obstrepentes magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est, ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus

vergente iam senecta. Wopkens. coniic. *urgente*, ut Cic. de senect. c. 1. Nam senectus per se est vergens aetas. cf. 2, 43. Potest tamen vergens senecta accipi de grandiore senecta. Sic *provecta senectus* An. 1, 4.

vera potentia augere. Sic cod. MS. edd. vett. Quam scripturam qui defendunt, verbum *augere* accipiunt vi intransitiva. cf. Gell. 18, 12, ubi Cato: *eo res eorum auxit* h. e. aucta est. E Sallustii fragm. Histor. adferunt hoc: *ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse* h. e. auctam esse. Tacitus tamen Hist. 3, 45. *auxerat potentiam*, non *potentia*. Rhenanus corrigebat *augeri* (sic ed. Ald.) vel *agere*. Utrumque verbum non semel permutari in MSS. satis constat. cf. not. ad Hist. 4, 58. Muretus vult: *veram potentiam*; Ryckius et Heinsius: *vera potentiae augere.* Mox ed. Ald. *queis* pro *quis*, uti solet.

Cap. 42. *postulato.* Ed. Ber. *postulatio.* Victor. in s. e. c. *postulato*, quod habent edd. Alc. Rhen. Ald. sqq.

magna adseveratione. cf. not. ad c. 19.

vel in cognitione. Ernestius: „post, ubi de istis rebus cognitio, disceptatio, futura esset." Rectius alii *cognitionem* interpretantur iudicium de hac ipsa re instituendum. Promittebat Caesar se causam esse dicturum coram senatu vel iis, quos senatus ad id iudicium delegasset. Freinshemius et Paschalius perperam coniecere: *in concione.*

maiestatis poenis adfectus est. Relegatus in insulas Baleares testante Eusebio in Chron.

reos inclementiam eo pervicacius amplexus. Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quanquam Lentulus Gaetulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exsilio punivit: Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

XLIII. Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus: sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum ac post C. Caesaris et M. Antonii sententia redditum. Contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse; monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco ma-

Gaetulicus. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. sqq. *Getulicus* edd. Beroald. sqq. Apud Graecos etiam scriptores nunc *Γετοῦλοι*, nunc *Γαιτοῦλοι* leguntur. cf. Reimar. ad Dion. 43, 4. *Getulic.* etiam lapis Gruter. p. 382. nr. 6.

lege Iulia damnasset. Vid. not. ad 2, 50.

in acta divi Aug. non i. De hoc ritu cf. Dio 57, 8. 60, 10.

albo senatorio. cf. Dio 55, 3. Paulo ante una Aldina dat *Apidumque* pro *Apidiumque.*

Cap. 43. *Limnatidis.* Cod. MS. test. Iac. Gronov. *Limenatidis.* Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *Limenetidis.* Sed cognomentum sive a *Limnis* vico Messeniae (secundum Strab. 8, p. 361.) sive sit *ἀπὸ τῆς λίμνης* (sec. Pausan. 4, 31. 7, 20. Artemidor. 2, 35.) sine *e* vel *i* legendum erit, uti suadente Lipsio edidere Brot. Oberl. sqq. et sic iam habet ed. Micyll. Similiter supr. 3, 62. in aliud Dianae cognomentum littera *e* inrepserat. Nec dissimile est 3, 69. *Cythenum* pro *Cythnum.*

Peloponnesi. Sic edd. Lips. 1600 sqq. *Peloponessi* edd. vett.

suoque regi Dentheliatem agrum. Ferunt in cod. MS. legi: *suoque recident Heliatem*, quod ediderunt Alc. et Aldus, aperta corruptione. Ed. Ber. *regi Dentheliatem.* Ed. Rhenan. *regi dent Heliatem.* In castigatt. Rhenan. emendat *suoque regi Penthelo Eleatem agrum.* Meursius in Lacon. 1, 2. *suoque regi Deltheniatem*, e Stephano, qui habet: *Δελθάνιοι, πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων.* Ibi tamen Holstenius probante Ryckio ex hoc Taciti loco corrigit: *Δενθάλιοι.* Itaque tutiore emendatione destituti sine cunctatione cum Lipsio sqq. legimus: *Dentheliatem agrum.* Nam quae alia dedere, minorem etiam veritatis speciem praeferunt. Lipsio enim placebat: *regi Penthilo Eleatem agrum*, citato Strabon. 13, p. 582. Velleio 1, 6. Sed is Penthilus non fuit e posteris Herculis. Hinc transiit ad aliam coniecturam: *suoque regi dein Eleatem agrum.* Mercerus: *Thuriatem agrum.* Chifletius: *suoque regi datum Heliatem agrum cessisse.*

nere. quod si vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii iudicium. sic Milesios permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum praetorem Achaiae decrevisse. Ita secundum Messenios datum. Et Segestani aedem Veneris montem apud Erycum vetustate dilapsam restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et laeta Tiberio. suscepit curam libens ut consanguineus. Tunc tractatae Massiliensium preces probatumque P. Rutilii exemplum. namque eum legibus pulsum civem sibi Smyrnaei addiderant. quo iure Vulcatius Moschus exsul in Massilienses receptus bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

quod si... vocentur. Asyndeton in: *vatum*, *annalium* displicet Ernestio; Tacito satis acceptum est. cf. supr. c. 1. *compositae rei publicae, florentis domus*; 3, 67. *voce, vultu*; 4, 48. *clamore, telis*; 4, 49. *saxa, hastae, ignes* etc. ibid. *bellatorum, imbellium.* Quod ante addidit copulam: *annalium... vatumque*, recte fecit. Nam ibi aliud est dicendi genus. Deinde Oberlino vix dubium erat legendum: *quodsi vatum, annalium testimonia advocentur.* Cave ne credas. Vulgata scriptura nil melius est. Nam *vocari* est verbum iudiciale, exquisite dicitur de iis, qui invitantur ad certamen, vel ut rationem reddant. Tac. de Orat. c. 13. *ad quorum exempla me vocas.* Infr. 6, 34. *vocare ad pugnam.* Vocabantur Messenii ad illa testimonia h. e. invitabantur, ut certarent testimoniis. Germanice: *würden sie zu Zeugnissen aus Jahrbüchern und Dichtern herausgefordert.* Mox *locupletiores* edd. Lips. sqq. *locupletioris* edd. vett.

Mummii. Sic Lips. sqq. *Mumii* edd. vett.

publice. H. e. a Messeniis et Lacedaemoniis non privato, sed publico consilio et decreto. Nam si esset: „rei publicae Milesiorum", quod vult Freinshemius, tum ad vocabulum *Milesios* potius quam ad *permisso* scriptor posuisset *publice.*

secundum Messenios datum. cf. Suet. Claud. c. 15. *secundum praesentes facillime dabat.*

Erycum. Sic et Cic. Verr. 2, 8. Alibi *Erycem*, uti Broterius edidit cum Aldo. Posses etiam coniicere *Erycinum*, quia cod. MS. saepius omittit medias syllabas. Vid. not. ad 1, 20.

dilapsam. Ex emendatione Ernestii, quam seqq. edd. servant. Prius inde a Ber. legebatur *delapsam.* cf. Hist. 4, 40. *aera legum vetustate delapsa.* Contra Hist. 1, 86. *dein remeante flumine dilapsa.* Utrumque bonum suo loco. De aede Veneris et *dilabi* et *delabi* quidem dici potest. In inscriptt. tamen de aedibus plerumque legitur *dilabi.* cf. Piranesi, *Antichita Romane* T. I. tab. 17. Gruter. p. 177. nr. 1.

consanguineus. Sc. Veneris, non Segestanorum, ut Lipsio videbatur. Eo respiciunt *laeta Tiberio.*

P. Rutilii exemplum. Ovid. ex Ponto 1, 3, 63. Velleius 2, 13. Cic.

XLIV. Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus et L. Domitius. Lentulo super consulatum et triumphalia de Gaetulis gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur: avus Pharsalica acie pro optimatibus ceciderat: ipse delectus cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur. post exercitu flumen Albim transcendit longius penetrata Germania quam quisquam priorum, easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et L. Antonius multa claritudine generis, sed improspera. nam patre eius Iulo Antonio ob adulterium Iuliae morte punito hunc admodum adulescentulum sororis nepotem seposuit Augustus in civitatem Massilien-

Font. 13. Senec. ep. 24. Valer. Max. 6, 4, 4.

CAP. 44. *Gaetulis.* Sic cod. MS. edd. Lips. 1607. Iac. Gronov. sqq. Edd. Ber. Alc. *Getis,* edd. Rhenan. Ald. sqq. *Getulis.* Non de *Getis,* sed de *Gaetulis* ille triumphavit et *Gaetulicus* cognominatus est. cf. c. 42. ibique not.

paratae. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. In Rhen. ed. 1544 inrepserat *partae.* Inde Lips. *partae.* Genuinam scripturam Pichena restituit.

Domitium decoravit pater. cf. Sueton. Ner. c. 3. Vellei. 2, 72. Appian. B. C. 5, 55. 61. Cic. Phil. 2, 11.

avus Pharsalica acie. Sueton. Ner. c. 2. Caes. B. C. 3, 99. Lucan. 7, 599 sqq. Mox *optumatibus* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. *optimatibus* edd. Lips. sqq.

ipse delectus ... daretur. Suet. Ner. c. 4 et 5. Cod. MS. *deiectus;* edd. Beroald. aliaeque vett. *electus.* Pichena genuinam scripturam restituit. Contrarium vitium eiusdem cod. MS. vid. 2, 60. 4, 25. Non *minorem* Antoniam, sed *maiorem* Domitio tribuit Suet. Ner. c. 5., *minorem* vero in Calig. c. 1. Druso Germanici patri. Noster hic et infr. 12, 64. Suetonio contradicit. Plutarch. in Anton. c. 87. (p. 955.) *ἀπολειπομένων τῶν Ἀντωνίου καὶ Ὀκταβίας δυοῖν θυγατέρων, τὴν μὲν Δομίτιος Αἰνόβαρβος ἔλαβε, τὴν δὲ σωφροσύνῃ καὶ κάλλει περιβόητον Ἀντωνίαν Δροῦσος ὁ Λιβίας υἱὸς, πρόγονος δὲ Καίσαρος.* Dio 48, 54. proavum Neronis cum avo confundit in verbis: *καὶ ἐκεῖνος* (Antonius) *τῷ Δομιτίῳ, καίτοι τοῦ Καίσαρος σφαγεῖ τε γενομένῳ ... τὴν ἑαυτοῦ* (*θυγατέρα*) *τὴν ἐκ τῆς Ὀκταουΐας οἱ γεννηθεῖσαν ἐνηγγύησε.* Iam utrum Tacito an Suetonio in hac re plus fidei sit habendum, non diiudico. Baumgarten-Crusius Suetonio magis credendum putat in his rebus accuratissimo.

post exercitu .... adeptus est. Consentit Suet. Ner. c. 4.

Iulo. Sic edd. Lips. sqq. *Iulio* cod. MS. edd. vett. cf. not. ad 1, 10.

morte punito. cf. supr. 1, 10. 3, 18.

sororis nepotem. Quippe natum e Marcella Octaviae filia.

in civitatem M. cf. Tac. Agr. c. 4. Strab. 4, p. 125.

sem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur. habitus tamen supremis honor ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum senatus.

XLV. Iisdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinae. is praetorem provinciae L. Pisonem pace incuriosum ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus postquam saltuosos locos attigerat, dimisso equo per derupta et avia sequentis frustratus est. neque diu fefellit. nam prehenso ductoque per proximos pagos equo, cuius foret cognitum: et repertus cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna sermone patrio frustra se interrogari clamitavit: adsisterent socii ac spectarent. nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret. idemque cum postero ad quaesitionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur: qui pecunias e publico interceptas acrius, quam ut tolerarent barbari, cogebat.

XLVI. Lentulo Gaetulico, C. Calvisio coss. decreta triumphi insignia Poppaeo Sabino contusis Thracum gentibus, qui montium editis inculti atque eo ferocius agitabant. Causa motus super hominum ingenium, quod pati delectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernabantur, ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti, aut si mitterent auxilia, suos ductores praeficere nec nisi adversum adcolas belligerare. Ac

Cap. 45. *agresti.* Sic cod. MS. test. Iac. Gronov. edd. Oberl. sqq. *agreste* edd. Ber. sqq. Mox Ald. omittit *is* ante *praetorem.*

in mortem adfecit. Sic 1, 57. *victa in lacrimas.* cf. not. ad 2, 62. Mox Ald. *sequenteis*, uti solet. *sequentis* cod. MS.

ad quaesitionem. Ἀρχαϊκῶς hoc esse scriptum ferunt. Sed quid tandem accidit Tacito, ut hic potissimum ἀρχαϊκῶς scriberet, alibi (cf. 2, 30. 14, 60.) vulgari scriptura uteretur? Pro lubitu eum sic egisse nemo mihi persuadebit.

pecunias e publico interceptas. Intellige retentas, non solutas a debitoribus rei publicae. Gronovius iubet conferri Plin. ep. 10, 28 et 34. Paneg. c. 70.

Cap. 46. *Gaetulico.* Ed. Ber. *Getulito*; edd. Rhenan. sqq. *Getulico.* cf. 6, 30. et supra c. 42 et 44. ibique not.

tum rumor incesserat fore, ut disiecti aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur. Sed antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos et mansura haec, si nullo novo onere tentarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum et iuventutem et promptum libertati aut ad mortem animum. Simul castella rupibus indita collatosque illuc parentes et coniuges ostentabant bellumque impeditum, arduum, cruentum minitabantur.

XLVII. At Sabinus donec exercitus in unum conduceret datis mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e Moesia cum legione, rex Rhoemetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venere, addita praesenti copia ad hostem pergit compositum iam per angustias saltuum. quidam audentius apertis in collibus visebantur: quos dux Romanus acie suggressus haud aegre pepulit sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis valida manu montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur: simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere:

diversas in terras. Eodem sensu 1, 17.

tentarentur. Edd. Beroald. Alc. *temptarentur*, ut saepe.

Cap. 47. *postquam .... venere.* Cod. MS. test. Iac. Gronovio: *quam ... venire*, aperto vitio. Inde Beroald. sqq. fecere: *dum ... veniret*, non satis feliciter. Nam *donec ... conduceret* et *dum ... veniret* non possunt ita se excipere. Deinde duo subiecta *Pomponius* et *Rhoemetalces* poscebant *venirent*, non *veniret*. cf. not. ad 13, 12. Igitur magis ad cod. MS. vestigia Iac. Gronovius proposuit: *postquam ... venere.* Vitium oriri potuit e compendio scripturae *p̄quam*. Bipont. et nuper Lünemannus: *quum ... venere.* Bekkerus et Naudetus Beroaldi scripturam retinent. Kiesslingius *postquam*.

magna vis armata aut incondita. H. e. magna vis, cuius alia pars armata, alia incondita. cf. not. ad 1, 8. sub vv. *legionariis aut cohortibus*. Perperam Rhenanus coniecit: *at incondita*, quem secuti sunt Ald. Micyll. et nuper Strombeckius. Nec melius Paschalius cum Heinsio volebat: *haud* pro *aut*. Saepius iam vidimus particulam *aut* molestam esse interpretibus: recte tamen hic retinuere Lips. sqq.

inulta. Sic edd. vett. et recentt. Quod Lipsiana ultima, Gronoviana,

propius incedentes eruptione subita turbati sunt receptique subsidio Sugambrae cohortis, quam Romanus promptam ad pericula nec minus cantuum et armorum tumultu trucem haud procul instruxerat.

XLVIII. Translata dehinc castra hostem propter relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuisse memoravi. iisque permissum vastare, urere, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur noctemque in castris tutam et vigilem capesserent. id primo servatum: mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes, lascivia epularum aut somno et vino procumbere. Igitur hostes incuria eorum comperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet. tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur: Thracum auxilia repentino incursu territa, cum pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur.

XLIX. Postera die Sabinus exercitum aequo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres proelium

Ryckiana aliaeque habent *multa*, operarum lapsu primum ortum esse videtur.

Sugambrae. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. *Sycambrae.* cf. not. ad 2, 26. *Sugambrae* edd. Lips. sqq.

Cap. 48. *memoravi.* Respicit ad c. 47., ubi regem Rhoemetalcen cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, adfuisse dixit. Mox ed. Ald. *capescerent* pro *capesserent.* Vid. not. ad 11, 34. 12, 11. et alibi.

raptis opulenti. Sic cod. MS. test. Pichena et inde edd. Pich. Lips. 1607. Grut. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *rapti opulentia.* In Lipsianis prioribus: *capti opulentia.*

incursu. Sic e cod. MS. Pichena restituit; edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *concursu.*

palarentur. Et hoc Pichena e cod. MS. restituit. — Ed. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *pabularentur.*

Cap. 49. *si barbari.* Ut graecum *εἰ* cum optativo. cf. Hermann. ad Viger. not. 190. et 308. Optantis est. Tac. An. 12, 28. *si Catti ... praeberent;* 15, 13. *si ... eliceret.* Hist. 1, 31. *si ... flecteretur;* 3, 30. *si ... traherentur;* 3, 52. *si ... adirentur.* Caes. B. G. 2, 9.

auderent. et postquam castello aut coniunctis tumulis non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune iam muniebat: dein fossam loricamque contexens quattuor millia passuum ambitu amplexus est: tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra artaque circumdare: et struebatur agger, unde saxa, hastae, ignes propinquum iam in hostem iacerentur. Sed nihil aeque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium uno reliquo fonte uterentur. simul equae, armenta, ut mos barbaris iuxta clausa egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat: pollui cuncta sanie, odore, contactu. rebusque turbatis malum extremum discordia accessit, his deditionem, aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus. et erant qui non inultum exitium, sed eruptionem suaderent, neque ignobiles quamvis diversi sententiis.

degrediebantur. E cod. MS. Pichena repetiit pro *digrediebantur*, quod Beroald. sqq. vulgaverant. cf. not. ad 2, 69.

quae opportune iam muniebat. *Iam* (*jetzt, vor der Hand, zunächst*) opponitur particulae *dein*. Sententia: quae non statim iusta et completa munitione circumdabat, sed primum talibus locis imponebat, quae sua natura subitam munitionem admittebant et munitioni opportuna erant. *dein fossam* etc. Quem loci sensum, quum non accurate perspexissent interpretes, emendatione opus esse quidam putavere. Freinshemius et Heinsius: *immuniebat* pro *iam muniebat*; Ernestius: *communiebat*.

loricamque contexens. cf. Veget. 4, 28. *Obsidentes ultra iactum teli fossam faciunt eamque non solum vallis et sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus ex civitate possint obsistere: quod opus loriculam vocant et saepe, cum obsidio describitur, invenitur in historiis loricula urbem esse circumdatam.* cf. et. Caes. B. G. 8, 9. ubi *vimineam loriculam* invenies. Hinc Noster *contexens*, quod ad *loricam* proprie pertinet, ad *fossam* ἀναλόγως intelligendum est. cf. not. ad 1, 35. 2, 20.

artaque. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. *arctaque*. Dein a Lipsio vulgatum *artaque*. cf. 2, 19. 21. 66. 3, 74. Drakenb. ad Sil. It. 7, 280. Burmann. ad Suet. Tib. c. 8. Id. ad Ovid. Trist. 1, 10, 47.

simul equae. Sic emendo e cod. MS. qui test. Pichena habet *eque*. Solebant enim illarum regionum nationes multitudinem alere equarum ad genus faciendum (cf. Iustin. 9, 2. fin.), quas cum armentis clausas non miraberis. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *simul aeque*. Lipsius, Pichena sqq. dederunt *simul equi*.

rebusque ... accessit. Interpretes coniungunt: *discordia, malum extremum, turbatis rebus accessit.* Immo cohaerent haec sic: *ac-*

L. Verum e ducibus Dinis provectus senecta et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus ponenda arma, unum adflictis id remedium disserebat, primusque se cum coniuge et liberis victori permisit: secuti aetate aut sexu imbecilli et quibus maior vitae quam gloriae cupido. At iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur. utrique destinatum cum libertate occidere: sed Tarsa properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans dedit exemplum demisso in pectus ferro. nec defuere qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur haud nescio duce nostro. igitur firmatae stationes densioribus globis. et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari, ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis.

LI. Interea barbari catervis decurrentes nunc in vallum manualia saxa, praeustas sudes, decisa robora iacere: nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas: quidam pontes et scalas ante fabricati inferre propugnaculis eaque prensare, detrahere et adversus resistentis cominus niti: miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvere. his partae victoriae spes et, si cedant, insignitius flagitium, illis extrema iam salus et adsistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos. nox aliis in audaciam, aliis ad

cessit discordia, malum extremum turbatis rebus. Germanice: *Und unter stürmischen Verhältnissen das schlimmste Uebel, die Zwietracht kam hinzu.*

Cap. 50. *telisque ... iactis.* Ablativi absoluti aeque pendent e verbo *servarent* ac vocabulum *immoti.* Similis locus est infr. 6, 35. *praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium.* cf. not. ad 5, 10.

Cap. 51. *catervis.* H. e. catervatim. Sic Hist. 3, 29. *nituntur cuneis.* cf. Matth. Gr. Gr. § 404. Ramshorn. Gr. § 139. ab init. *propugnaculis.* Freinshemius et Ernestius negant turres intelligi. Sed cf. not. ad c. 49. Mox *prensare* Pichena sqq. ex usu Taciti. Priores edd. *prehensare.*

formidinem opportuna, incerti ictus, vulnera improvisa, suorum atque hostium ignoratio, et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant, ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint. neque tamen pervasere hostes nisi admodum pauci: ceteros deleto promptissimo quoque aut saucio adpetente iam luce trusere in summa castelli, ubi tandem coacta deditio, et proxima sponte incolarum recepta. reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiems subvenit.

LII. At Romae commota principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra sobrina eius postulatur accusante Domitio Afro. Is recens praetura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones obiectabat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium ac forte sacrificantem patri repperit. quo initio invidiae, non eiusdem ait mactare divo Augusto victimas et posteros eius insectari. non in effigies mutas divinum spiritum transfusum, sed imaginem veram coelesti sanguine ortam. intelligere

in summa. Ernestius e cod. MS. reduxit *in*. Prius legebatur *ad*.

incolarum. Cod. MS. *incorum*, media syllaba omissa. cf. not. ad 1, 20. Auctore Mureto Pichena recte fecit *incolarum*. Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *inimicorum*. Iac. Gronovius coniecit *vicorum*; Crollius *istorum*.

CAP. 52. *commota*. Non „turbata, adflicta maerore, ob mortem Drusi" uti interpretes volunt; sed per iram et discordiam factionum. Recte sic Hackius unus. cf. c. 12. et c. 40.

Claudia Pulchra . . . postulatur acc. Domitio A. Tangit eandem rem Dio 59, 19.

recens praetura. Heinsius malebat: *recens praeturae*. Sed cf. 1, 41. *recens dolore et ira*; 15, 59. *stipendiis recentes*.

semper atrox. cf. 1, 33. *paulo commotior*; 2, 72. *exueret ferociam*.

sed imaginem veram coelesti sanguine ortam. intelligere etc. Vulgo interpungunt: *sed imaginem veram, coelesti sanguine ortam, intelligere* etc. Incommode. Quare locus non poterat non obscurus videri. Iam vero in vocabulo *ortam* sententiam absolve, ut sit: imaginem Augusti veram esse imaginem coelesti eius sanguine ortam. Se ipsam cum suis innuit. Ad verbum *intelligere* intellige *se*, quod Tacito omittitur. cf. c. 59. *ut erectum et fidentem animi ostenderet*; 1, 7. *consulturum*; ibid. *neque abscedere*; 1, 8. *usurum*; 1, 35. *moriturum*; 14, 48. *nihil audivisse*; 15, 17. *non habere mandata*. Uti vulgo verba coniungunt,

discrimen; suscipere sordes. frustra Pulchram praescribi, cui sola exitii causa sit, quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit oblita Sosiae ob eadem adflictae. Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Graeco versu admonuit: non ideo laedi, quia non regnaret. Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. mox capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.

LIII. At Agrippina pervicax irae et morbo corporis implicata, cum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum: habilem ad-

intolerabilis est locutio et nulla particulae *sed* idonea ratio.

praescribi. Sic 11, 16. *frustra Arminium praescribi;* Hist. 3, 13. *praescriptum Vespas. nomen;* Caes. B. G. 3, 32. *ut honesta praescriptione rem turpissimam tegeret.* Etenim *praescribi* dicuntur, quae scribuntur in fronte alicuius rei, ut librorum tituli, a quibus haud raro multum discrepant, quae intus latent.

Sosiae. Vid. c. 19.

correptamque. *Manu apprehendit*, Sueton. Tib. c. 53. Idem pergit: *Graecoque versu, Si non dominaris, inquit, filiola, iniuriam te accipere existimas?* Quibus verbis ad sensum eadem dicuntur ac quae sunt apud Nostrum: *non ideo laedi, quia non regnaret.* Haec enim in cod. MS. reppererunt Pichena et Iac. Gronovius. Beroaldus et sqq. omiserant prius *non*. Pichena et Crollius malebant *num*. Sed Suetonii interrogatio non iubet eandem formam esse apud Tacitum. Hillerus cum Broterio vett. edd. sequitur. Mox post *additus* ed. Oberl. habet plenissimam distinctionem, quam Weikertus repetiit. Naudetus habet (:). Rectius Bekkerus cum prioribus edd. reposuit virgulam.

suo iure. Oppositum est *concesso iure*. Hoc denegari potest, neque vero illud. Igitur *suo iure disertus* erit is, cui id epitheton denegari nequit. Cic. pro Arch. c. 8. *suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas.*

capessendis. Ed. Ald. *capescendis.* Vid. not. ad c. 48.

fama. Sic edd. Beroald. et ceterae vett. haud dubie e cod. MS. In Gronovianam (an. 1672) inrepsit *forma*, quod retinuere Ernest. Oberl. Naudet. aliique, quanquam Ryck. et Broterius veterem scripturam revocaverant. Lünemann. et Bekk. restituere *fama*.

Cap. 53. *invidiam et preces.* ἓν διὰ δυοῖν h. e. preces cum invidia mixtas. Queritur enim, dum precatur. cf. Roth. p. 26. Supra 3, 67. *invidiam et preces miscuerat*, sine figura.

huc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium: esse in civitate . . . . . Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. Sed Caesar, non ignarus quantum ex re publica peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quanquam instantem reliquit. Id ego a scriptoribus annalium non traditum repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit.

LIV. Ceterum Seianus maerentem et improvidam altius perculit, immissis qui per speciem amicitiae monerent paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. Atque illa simulationum nescia, cum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos attingere cibos: donec advertit Tiberius, forte an quia audiverat. idque quo acrius experiretur, poma ut erant adposita laudans nurui sua manu tradidit. aucta ex eo suspicio Agrippinae et intacta ore servis tramisit. nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem non

esse in civitate . . . . Germanici etc. Lacunam esse in cod. MS. inter *civitate* et *Germanici* prodidit Pichena, eandemque lacunam habent edd. Beroald. sqq. Varia viri docti ad eam explendam coniecere. Plurimi volunt: *esse in civitate, qui Germanici* etc. ut ita loqui videatur de viris, qui se in matrimonium cupiant. Ursinus: *esse in civitate pateretur G. c.* etc. Acidalius: *esse in civitate, quem Germ. coniugem ac liberos eius recipere dignaretur.* Scilicet *dignaretur* est apud Beroald. aliosque vett. Pichena e cod. MS. restituit *dignarentur.* Fr. Malherbius pro *in civitate* vult *in ea aetate* eaque verba refert ad praecedentia. Tum pergit: *Germanici . . . . dignaretur.* Eodem modo Petavius locum accipit, retinet tamen *in civitate:* quam coniecturam repetiit Moebius in Seebod. bibl. cr. 1820. nr. 6., p. 470. Iac. Gronovius: *esse in civitate, Agrippinam Germ. c. ac l. qui recipere dignarentur.* Heinsius: *esse in c. tanta, qui G.* etc. *Eius liberos* refert ad Tiberium, a quo adoptatus Germanicus. Hillerus: *nobiles multos, qui* etc. Crollius: *qui Augusti neptim.* Sed maneat lacuna potius quam ut frustra laboremus in ea explenda. Quodsi lacuna non esset prodita, verba, quae supersunt, coniuncta aptam efficerent sententiam.

Cap. 54. *non vultu aut sermone flecti.* H. e. nemo aut vultu aut sermone illam flectere potuit sc. ab ea ira et indignatione, quam prae se ferebat simulationum nescia. Namque fuerunt haud dubie, qui nollent Tiberium offendi, et propterea et vultu et sermone operam darent, ut flecterent animum ferocem. Germanice: *gegen jeden Blick, jede Rede unbeugsam.*

sua manu. Edd. Ber. Alc. *suae manu*, quod Victor. in s. e. correxit *sua*, et ita edd. Rhen. sqq.

mirum ait, si quid severius in eam statuisset, a qua veneficii insimularetur. Inde rumor parari exitium: neque id imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quaeri.

LV. Sed Caesar, quo famam averteret, adesse frequens senatui legatosque Asiae, ambigentes quanam in civitate templum statueretur, pluris per dies audivit. Undecim urbes certabant pari ambitione, viribus diversae. neque multum distantia inter se memorabant de vetustate generis, studio in populum Romanum per bella Persi et Aristonici aliorumque regum. verum Hypaepeni Trallianique Laodicenis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi. ne Ilienses quidem, cum parentem urbis Romae Troiam referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant. paulum addubitatum, quod Halicarnassii mille et ducentos per annos nullo motu terrae nutavisse sedes suas vivòque in saxo fundamenta templi adseveraverant. Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede Augusto ibi sita satis adeptos creditum. Ephe-

statuisset, Optativ. aorist. cf. not. ad 3, 55. sub verbo *pervenirent*.

Cap. 55. *templum statuerentur*. cf. supr. c. 15.

Persi. Pro *Persei*, ut Sallust. in fragm. lib. 1. apud Priscianum: *Nam a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum*. cf. I. Fr. Gronov. ad Liv. 42, 25. Paulo ante cod. MS. et edd. inde a Iac. Gronov. *distantia inter se*; edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Iac. Gronov. *inter se distantia*.

ac Magnetibus. Sic cod. MS. edd. vett. et recentt. inde ab Ernestio. *et Magnetibus* edd. Lips. sqq.

Halicarnassii. Sic edd. Rhenan. sqq. *Alicarnassi* cod. MS. ed. Ber. *Alicarnassii* ed. Alc. cf. Schaefer. Mel. Cr. p. 1.

nutavisse. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. haud dubie e cod. MS. *mutavisse*, quod habent recentiores omnes inde ab Oberlino, vitio operarum deberi videtur. Verbum *nutare* de ea re dici satis constat. cf. Plin. epp. 6, 16. *Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur*.

Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede Augusto ibi sita satis a. c. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq.: *Pergamenos (eo ipso nitebantur, aedem Augusto ibi sitam) s. a. cr.* Igitur ex emendatione est vulgata posthac scriptura, quam habent edd. recentt. inde a Lipsii prima omnes. Posset etiam legi: *P. (eo ipso nitebantur) aedem A. ibi sitam satis adeptos cr.* Tum acc. *aedem* pendet e verbo *adeptos*, ut adpositio. Iam vero verba: *eo ipso nitebantur* ab aliis referuntur ad praecedentia, ut ita Pergameni eo ipso nisi dicantur, quo Halicarnassii. Sic Bahrdt., Woltmann., Strombeck., Hackius. Sed id si voluisset Tacitus, scribendum fuisset: *iisdem nitebantur*. Quare rectius alii, ut Ricklefs, verba: *eo ipso* referunt ad sequentia, ut Pergame-

sii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia occupavisse civitates visi. ita Sardianos inter Smyrnaeosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriae recitavere ut consanguinei. nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum novas ut conderet sedes: et ducum e nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia: auctamque adhuc Lydorum opulentiam missis in Graeciam populis, cui mox a Pelope nomen. simul litteras imperatorum et icta nobiscum foedera bello Macedonum ubertatemque fluminum suorum, temperiem coeli ac dites circum terras memorabant.

LVI. At Smyrnaei repetita vetustate, seu Tantalus Iove ortus illos sive Theseus divina et ipse stirpe sive una Amazonum condidisset, transcendere ad ea, quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur: seque primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus. simul L. Sullam testem adferebant, gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, cum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret,

nos cogites eo ipso nisos, quod apud se aedes Augusto dicata. Senatui contra visum eo ipso satis adeptos.

caerimonia. Ed. Rhenan. sqq. *cerimonia* edd. Beroald. Alc.

Etruriae. Sic edd. Beroald. Alc. *Ethruriae* ed. Rhenan.

in Italia. Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *in Italiam.* Posteriores editores praeeunte Lipsio tacite emendavere *in Italia.*

icta. Edd. Ber. Alc. *dicta,* quod Victor. in s. e. corr. *icta,* et sic habent edd. Rhenan. sqq.

Cap. 56. *Smyrnaei.* Sic edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. In cod. MS. hic et 3, 63. Iac. Gronov. invenit *Zmyrnaeos.*

urbis Romae. Heinsius more suo emendat *urbi Romae* coll. Liv. 43, 6. Sed ibi quoque nunc ob librorum vett. auctoritatem legitur *urbis Romae.* Utraque formula per se bona est, sensu tamen paulum diverso.

M. Porcio consule. An. urb. 558.

in concionem. More Graecorum, qui verbis dicendi, nuntiandi addunt εἰς, ut indicent eum, cui aliquid dicatur vel nuntietur. Isocrat. de Big. p. 348. εἰσήγγελλον εἰς τὴν βουλὴν etc. Plat. Menex. p. 239. A. οἱ — πατέρες — πολλὰ δὴ καὶ

omnes qui adstabant detraxisse corpori tegmina nostrisque legionibus misisse. Ita rogati sententiam patres Smyrnaeos praetulere. censuitque Vibius Marsus, ut M. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet. et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso e praetoriis sorte missus est.

LVII. Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere. Causam abscessus, quanquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen caede eius patrata sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit saevitiam ac libidinem, cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse. quippe illi praegracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta. et Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates in-

καλὰ ἔργα ἀπεφήναντο εἰς πάντας ἀνθρώπους. — Ibid. B. *ποιηταὶ — εἰς πάντας μεμηνύκασιν.* cf. Matth. Gr. Gr. § 578. Nempe *nuntiatum est* h. e. nuntius perlatus est.

adstabant. Apud Ernestium vera ratio latinitatis postulat *adstarent.* Sed cf. not. ad 2, 26.

praetulere. Sic cod. MS. edd. post Iac. Gronov. *praetulerunt* edd. Beroald. sqq. usque ad Iac. Gronovium.

deligere. Sic cod. MS. unde restituit Pichena. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *deligi se*, quam scripturam variis emendationibus corrigere studebant interpretes.

CAP. 57. *tandem Caesar in Campaniam.* Alii desiderant verbum, unde pendeant vocabula *in Campaniam*, et varie locum explent. Lipsius: *Caesar iit Camp.*, quod Brot. in contextum recepit. Heinsius: *C. adit Camp.* Crollius *tandem* mutat in *tendit* vel *tendere.* Alii cum Pichena putant tale verbum intelligi posse, nec adeo molestam esse ellipsin. cf. Hiller. Racem. 31. Duker. ad Flor. 3, 6. At rectius videntur statuere, qui *in* putant exortum e corruptione verbi alicuius. Nam Tacito talibus locis *in* solet omitti. cf. not. ad 2, 54. sub v. *tramisit Lesbum.*

templa. Sic cod. MS. edd. Ernest. sqq. *templum* edd. Beroald. sqq.

apud Nolam Augusto. Dio 56, 46. *καὶ οἱ καὶ ἡ ἐν τῇ Νώλῃ οἰκία, ἐν ᾗ μετήλλαξεν, ἐτεμενίσθη.*

occultantem. Sic edd. Rhenan. sqq. Beroaldus ediderat *occultantis.*

corporis quoque habitum. Sic cod. MS. edd. Ernest. sqq. Edd. Beroald. sqq. *quoque corporis habitum.*

praegracilis. Scilicet in senectute; nam de alia aetate intelligendus est Suet. Tib. c. 68. Nil

suerat. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum eius accepisset. nam dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem et cunctis laudatum rei Romanae imponere: sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. idque Augusta exprobrabat, reposcebat.

LVIII. Profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus Cocceius Nerva, cui legum peritia: eques Romanus praeter Seianum ex inlustribus Curtius Atticus: ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur. Ferebant periti coelestium iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur. unde exitii causa multis fuit properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque. neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam compleverit.

igitur opus est emendatione *praegravis* e cod. Mirandul. adlata.

traditur ... accepisset. De *matris impotentia* vid. Dio 57, 12. qui in fine capitis addit: *καὶ τέλος τῶν μὲν δημοσίων παντάπασιν αὐτὴν ἀπήλλαξε, τὰ δ' οἴκοι διοικεῖν οἱ ἐφεὶς, εἶθ' ὡς καὶ ἐν τούτοις ἐπαχθὴς ἦν, ἀποδημίας τε ἐστέλλετο καὶ πάντα τρόπον αὐτὴν ἐξίστατο· ὥςτε καὶ ἐς τὴν Καπρίαν δι' ἐκείνην οὐχ' ἥκιστα μεταστῆναι.*

nam dubitaverat ... adscivit. Dio l. l. de Livia: *ἐπί τε γὰρ τοῦ Αὐγούστου μέγιστον ἠδυνήθη, καὶ τὸν Τιβέριον αὐτὴ αὐτοκράτορα πεποιηκέναι ἔλεγε.*

Cap. 58. *arto.* Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *arcto.* Vid. not. ad 2, 66. 4, 49.

ex inlustribus. cf. not. ad 2, 59.

coniectantibus vulgantibusque. Structura graeca. cf. Buttmann. Gr. Gr. § 131. de constructione partic.

casum. Sic cod. MS. edd. vett. unde restituit Iac. Gronov. postquam e Rhenan. edit. 1544. in omnes fere edd. subsecutas irrepsisset *caussam.* Sed ed. Micyll. *casum.*

haud forte dictum. H. e. non ita dictum, ut fortuitus esse videretur eventus et alienus a vaticinio.

litore. Sic ed. Beroald. *littore* edd. Alc. Rhenan. sqq.

moenia urbis adsidens. Sic infr. 6, 43. *adsidendo castellum.* Contra Hist. 2, 22. *iisdem castris adsideret.* Cf. not. ad 3, 39. de verbo *praesidere.*

LIX. Ac forte illis diebus oblatum Caesari anceps periculum auxit vana rumoris praebuitque ipsi materiem, cur amicitiae constantiaeque Seiani magis fideret. Vescebantur in villa, cui vocabulum Speluncae, mare Amuclanum inter Fundanosque montes nativo in specu. eius os lapsis repente saxis obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes et fuga eórum, qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque et manibus super Caesarem suspensus opposuit sese incidentibus, atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. Maior ex eo: et quanquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius cum fide audiebatur. Adsimulabatque iudicis partes adversus Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent maximeque insectarentur Neronem proximum successioni et quanquam modesta iuventa plerumque tamen, quid in praesentiarum conduceret, oblitum, dum a libertis et clientibus apiscendae potentiae properis exstimulatur, ut erectum et fidentem animi ostenderet: velle id populum Romanum, cupere exercitus: neque ausurum contra Seianum, qui nunc patientiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet.

LX. Haec atque talia audienti nihil quidem pravae cogitationis: sed interdum voces procedebant contumaces et inconsultae, quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent neque Neroni defendere daretur, diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur. nam

Cap. 59. *mare Amuclanum.* Sic ed. Rhenan. sqq. *Mare amūclanū* ed. Ber. *Mareamundanum* ed. Alc. *iudicis partes.* Sic cod. MS. edd. vett. Male recentiores editores auctore Oberlino ad unum omnes receperunt Mureti coniecturam: *indicis.* Nam *indicis* partes non debebat *adsimulare* h. e. speciem indicis prae se ferre, quum alius esset; sed debebat dissimulare, quoniam nolebat auctor criminationis videri. *Iudicis partes adsimulabat* h. e. subornabat, qui Germanici stirpem accusarent apud se et Tiberium (ne putes apud senatum), ipse deinde cum Tiberio consultabat de criminibus et rogatus sententiam dicebat, tanquam ab omni partium studio alienus. Nil igitur opus èst coniectura Kritzii, qui vult *dissimulabat.* (*Allgem. Schulz.* 1830. nr. 17.) *in praesentiarum.* H. e. *in praesentia rerum.* cf. Ramshorn. Gr. § 150. p. 290. Not. 1. Plaut. Capt. 2, 3, 26. *Quod in rem conducit tuam.*

Cap. 60. *quas ... oriebantur.* Inter *daretur* et *diversae* Tacitus more suo et ex usu Graecorum omittit quae e contextu facile possunt intelligi. Plenius scripsisset: *cum deferrent neque ... daretur,*

alius occursum eius vitare: quidam salutatione reddita statim averti, plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra inridentibusque, qui Seiano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus aut falsum renidens vultu: seu loqueretur seu taceret iuvenis, crimen ex silentio, ex voce. ne nox quidem secura, cum uxor vigilias, somnos, suspiria matri Liviae atque illa Seiano patefaceret: qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes spe obiecta principis loci, si priorem aetate et iam labefactum demovisset. Atrox Drusi ingenium super cupidinem potentiae et solita fratribus odia accendebatur invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat. neque tamen Seianus ita Drusum fovebat, ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur, gnarus praeferocem et insidiis magis opportunum.

LXI. Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa claris maioribus quam vetustis vitaque non degener, et Q. Haterius familia senatoria, eloquentiae quoad vixit celebratae: monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. scilicet impetu magis quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.

LXII. M. Licinio, L. Calpurnio coss. ingentium bellorum cladem aequavit malum improvisum. eius initium simul et finis extitit. Nam coepto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spe-

non poterat non in discrimen et sollicitudinem venire, sed diversae insuper etc. cf. not. ad c. 62. sub vv. *ut tali ... effugere.* Hinc non opus est contorta ulla explicatione vocis *insuper*, ut auxilia loco ferantur. Scilicet Crollio *insuper* est *continenter;* Oberlino *superhis, exinde.* Wopkens. corrigit *his super.*

seu taceret iuvenis, crimen etc. Sic edd. Ber. Alc. Lips. sqq. Male distinxerant Rhenanus et Aldus: *seu taceret iuvenis* etc.

promptior Neroni. Ernestius malebat *pronior.* Frustra. *Promptus* mihi est, qui libenter mihi satisfacit petenti vel iubenti. cf. 1, 2. *quanto quis servitio promptior.*

Cap. 61. *claris maioribus quam vetustis.* cf. not. ad 3, 17. sub. vv. *miseratio quam invidia.*

haud perinde retinentur. H. e. retinentur quidem, sed non pro monimentis celebratae eloquentiae habentur. De voc. *perinde* cf. not. ad 3, 17.

Cap. 62. *malum improvisum.* De quo vid. Sueton. Tib. c. 40. Oros. 7, 4.

nam coepto apud F. a. Er-

ctaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit, ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordidam mercedem id negotium quaesivisset. Adfluxere avidi talium imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius: unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus aut in exteriora effunditur, immensamque vim mortalium, spectaculo intentos aut qui circum adstabant, praeceps trahit atque operit. et illi quidem, quos prin-

nestius coniicit haec verba transponenda esse atque legenda post *generis*. „Nam si stant, inquit, suo loco, amphitheatrum non ab Atilio institutum est, sed ab alio." Sed nullam eius rei necessitatem video. Eadem plane verborum inter se ratio est, sive suo loco stent sive transponas cum Ernestio. Incipit autem Noster ab *amphitheatro*, non ab *Atilio*, quoniam in illa voce versatur totius narrationis vis. Tum *amphitheatro* pendet e verbo *subdidit* tertioque casu accipiendum est. Ceterum more suo Tacitus locum in brevius contraxit; plenius dixisset: *Nam amphitheatro, quod apud F. Atilius quidam libertini generis coeperat, quo spectac. gl. celebraret* etc.

in sordidam mercedem. Non dubitavi recipere Pichenae coniecturam Ernestio, Broterio, Wopkensio aliisque probatam. Nam licet vulgatam scripturam: *in sordida mercede* quodammodo explicare possis ex usu Graecorum, qui ἐν ita ponunt ut significet, quomodo quid factum sit; maioris tamen momenti esse videntur exempla apud Nostrum aliosque obvia, infr. 11, 6. *Quodsi in nullius mercedem negotia tueantur*; Germ. c. 24. *non in quaestum tamen aut mercedem*; Liv. 21, 43. *In hanc tam opimam mercedem, agite, cum diis bene iuvantibus arma capite.* Lapsus facilis fuit, omissa lineola super litteris finalibus *a* et *e*. cf. not. ad Hist. 1, 12. sub iv. *in T. Vinii odium.*

virile ac muliebre secus omnis aetas. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Bekkerus virgulam posuit post *secus*, quam non habent priores, et hi rectius. Nam solet in hac formula accusativus (*virile ac muliebre secus*) poni more Graecorum. cf. Sueton. Oct. c. 44. *Athletarum vero spectaculo muliebre secus omnes adeo summovit, ut* etc. i. e. omnes ad m. s. pertinentes. Liv. 26, 47. *liberorum capitum virile secus ad decem millia capta.* Tac. Hist. 5, 13. *multitudinem obsessorum omnis aetatis virile ac muliebre secus sexcenta millia fuisse accepimus.* Beroaldus vitiose ediderat: *virilis ac muliebris sexus, omnis aetas.* Pichena ut e cod. MS. dedit: *virile ac muliebre sexus*, quae mansere ad I. Gronovium, ita tamen, ut alii virgulam posuerint post *sexus*, alii omiserint. Elegantius et certioris latinitatis Wopkensio videtur *sexus*. Non video quo iure, quum dubitari nequeat, *secus* vocabulum esse latinum. Mox *effusius* edd. Lips. sqq. *effusus* edd. vett.

praeceps trahit. Sic cod. MS. vett. edd. Deinde quidam ediderant *in praeceps*, uti est in Lips. prioribus. Pichena vetus restituit. cf. 6, 17.

cipium stragis in mortem adflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere. miserandi magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat: qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant. Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. etiam quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant, pavere tamen: neque dum comperto quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.

LXIII. Ut coepere dimoveri obruta, concursus ad exanimos complectentium, osculantium: et saepe certamen, si confusior facies et par forma aut aetas errorem agnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata vel obtrita sunt: cautumque in posterum senatus consulto, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res: neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae. Atilius in exsilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti: fuitque urbs per illos dies quanquam maesta facie veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant.

ut tali sorte, cruciatum effugere. E sequentibus intelligendum est: *minus miserandi fuerunt, quia cruciatum effugere.* cf. not. ad c. 60. sub vv. *quas . . . oriebantur.* *Ut* restringit sententiam, ne in universum intelligatur, sed de tali tantum sorte (*da es einmal das Verhängnifs so wollte*). Cf. Cic. Brut. 28. *ut temporibus illis.* Tacit. supr. 1, 65. *utque tali in tempore.* Wopkensius locum distinguit sic: *Et illi quidem — ut tali sorte cruciatum effugere,* (ita) *miserandi magis, quos* etc. Frustra nec satis eleganter.

qui per diem visu etc. Hi sunt illi ipsi, quos nondum vita deseruerat. Noscebant coniuges aut liberos, qui et ipsi dilaniati iuxta iacebant aut, qui ipsi quidem salvi lamentando casum suorum dolores miserorum augebant, quum opem ferre nequirent. Perperam alii intelligunt homines expertes mali, qui interdiu viderint, noctu audiverint miserias suorum. Sic Woltmann., Strombeck., Hackius. Ante *qui* addunt *oder*, quod ab hoc loco alienum est.

Cap. 63. *quinquaginta hominum millia.* Sueton. l. l. *supra viginti hominum millia . . . perierant.* Consentit Orosius l. l. Nimirum hi *obtritos* tantum numerant. Tacitus addit *debilitatos.*

cui minor qu. m. res. Res, Vermögen. Hackius tamen dicit *Einkünfte.* Putat enim quadringentorum millium censum non suffecturum fuisse damno reficiendo, ad quod reficiendum illud S.C. spectaverit. Sunt tamen quadringenta millia census equestris. cf. Plin.

LXIV. Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia urbem ultra solitum adfecit deusto monte Caelio: feralemque annum ferebant et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiae, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Caesar obviam isset tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actaeque ei grates apud senatum ab inlustribus famaque apud populum, quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat. adduntur sententiae, ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies sita in domo Iunii senatoris inviolata mansisset. evenisse id olim Claudiae Quintae, eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem Matris deum consecravisse. sanctos acceptosque numinibus Claudios: et augendam caerimoniam loco, in quo tantum in principem honorem dii ostenderent.

LXV. Haud fuerit absurdum tradere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod ta-

33, 2. *Tiberii principatu constitutum, ne cui ius esset equitis Romani nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia CCCC census fuisset.* Sueton. Iul. c. 33. Plin. ep. 1, 19. Nec ad damnum reficiendum S.C. spectavit, sed ne quis in sordidam mercedem tale negotium quaereret.

CAP. 64. *cum ignis ... adfecit.* cf. Sueton. Tib. c. 48. Vellei. 2, 130.

ni Caesar obviam isset. cf. not. ad 1, 35. Hic quoque Tacitus omittit, quae intelligi possunt post *trahentes*, „vulgus summo odio adversus principem usurum fuisse", ni etc. Simile exemplum vid. infr. 6, 9. *ni Celsus ... exemisset.* 12, 42. 16, 28.

Claudiae Quintae. Sic cod. MS. test. Pichena, ut cogitemus de quinta filiarum Appii Claudii. Cic. Cat. c. 11. Olim auctore Beroaldo vulgabatur *Quintiae* vel *Quinctiae*. De re cf. Valer. Max. 1, 8, 11.

bis elapsam. An. u. 643 et 756. cf. Valer. l. l.

caerimoniam. Intell. de sanctitate, ut infr. 14, 22. *caerimoniam loci corpore loto polluisse.* Cic. pr. Rosc. Am. 39. Tusc. 1, 12.

ostenderent. Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. sqq. haud dubie e cod. MS. Mox a Lipsio editum est *ostenderint*, nisi fallor, e coniectura. Tacent enim interpretes, nec quisquam de cod. MS. quid prodidit. Revoco veterem scripturam; nam sermo est non de re facta (quod exprimitur per *ostenderint*), sed de re diuturna (h. e. *ostenderent*). Supererat enim Tiberii effigies igne inviolata cernebaturque ut signum tanti in principem honoris. Sic 1, 16. *mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat.* 13, 35. *laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere.*

lis silvae frequens fecundusque erat: mox Caelium appellitatum a Caele Viberma, qui dux gentis Etruscae cum auxilium appellatum itavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitasse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.

Cap. 65. *cum auxilium appellatum itavisset.* In postremo verbo cod. MS. mutilus est; produnt ibi esse: *appellatum . . tavisset.* Quare in hoc loco emendando multi desudarunt. Rhenanus coniecit: *cum aux. appellitavisset* idque edidit Aldus. Lipsius: *cum auxilium tulisset.* Verbum *appellatum* illi deletur, quippe quod e priori linea huc deciderit. Ferretus et Vertranius: *aux. appellatum ductavisset*, quod nunc vulgo editur. Pichena: *aux. ad bella tum ductavisset.* Recepit Broterius omissa particula *tum.* Ryckius: *aux. ad bella tum tulisset.* Crollius: *adportavisset.* Heinsius: *cum aux. popularium adductavisset.* Quorum nihil receptione dignum esse video. Nam quis unquam scripsit: *auxilium ductare* vel *adductare*, ut sit ferre, adferre? Dein minime est credibile, regem Tarquinium Priscum auxilium ab Etruscis unquam petivisse, et diserte Dionysius Hal. 2, 36. tradit, Caelen sponte nec appellatum venisse. Denique qui auxilium petenti adfert, non solet sedem cum suis accipere a petitore; immo sedem accipit, qui sede caret, exsul, patria profugus. Nemo autem mihi persuadebit tum temporis ducem copiarum publice ab Etruscis in auxilium Romanorum missum cum exercitu suo Romae fixisse sedem. Quare nil dubito legendum esse *appellatum itavisset*, eadem structura, qua sunt verba c. 66. *suum sanguinem perditum ibat.* Iam vero *dux gentis Etruscae* non est, qui imperium copiarum Etruscarum haberet (*Heerführer des Etrusc. Volks*, uti volunt); sed dux hominum ad unam gentem pertinentium (*Anführer, Haupt eines Etrusc. Geschlechts*). Is cum copia gentili ob vim adversariorum patria profugus quum auxilium civitatum vicinarum implorasset, h. e. quum auxilium appellatum itavisset, sedem accepit a Tarquinio. Haec mea opinio plane confirmatur per aeneam tabulam repertam Lugduni, quae exhibet orationem Claudii an. u. 801. in senatu habitam. cf. infr. 11, 24. et Broterium in not. et emendatt. ad illum locum. Ibi legitur: *Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes, postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit. Itavisset* de crebris itionibus etiam apud Ciceronem aliosque obvium est, dicitur de Caele, quoniam qui auxilium aut sedem quaerit, ab una civitate ad alteram supplex proficiscitur. Chifletius in ep. ad Lipsium iam pridem coniectaverat in *tavisset*, quod habet cod. MS., latere *itavisset;* sed is locum constituebat sic: *cum in auxilium appellatus itavisset*, quod nemini placebit. Mox ed. Ald. *seu queis* inepte pro *seu quis.*

unde Tuscum vicum. De causa nominis quodammodo dissentiunt Liv. 2, 14. et Varro 4, 8; loquuntur tamen et hi de Etruscis specie supplicum Romam delatis.

LXVI. Sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium tulerant, ita accusatorum maior in dies et infestior vis sine levamento grassabatur: corripueratque Varum Quintilium divitem et Caesari propinquum Domitius Afer Claudiae Pulchrae matris eius condemnator, nullo mirante quod diu egens et pacto nuper praemio male usus plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis exstitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo connexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus et opperiendum imperatorem censuit: quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.

LXVII. At Caesar dedicatis per Campaniam templis quanquam edicto monuisset, ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita Capreas se in insulam abdidit trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam. Solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare et vix modicis navigiis pauca subsidia: neque adpulerit quisquam nisi gnaro custode. coeli temperies hieme mitis obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur: aestas in Favonium obversa et

Cap. 66. *adversum casus.* Sic bene hodie edunt e Heinsii coniectura. *Casus* intellige ruinam amphitheatri et incendium urbis. Edd. Beroald. sqq. *adversum casum.* Muretus coniecerat: *adversis casuum*, coll. 3, 24.

Quintilium. cf. not. ad 1, 3.

Claudiae Pulchrae. cf. supr. c. 52.

accingeretur. Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. Recentiores edd. hic scribunt *adcingeretur*, alibi *accing.* Nos constantiae operam dedimus. Mox *connexus* edd. Lips. sqq. *connixus* edd. Ber. sqq.

suffugium in tempus. H. e. non diuturnum, sed interim. cf. not. ad 1, 1. sub v. *ad tempus* et 6, 11. *in tempus.* Frustra Heinsius coniecit *in id tempus;* Rupertius *in tempore* sc. hoc. Quod miror Strombeckio acceptum, quum interpretaretur: *in jenen Zeiten.* Immo plane nullum illo tempore suffugium diuturnum erat periclitantibus; si tamen causae differebantur in cognitionem principis, ut non statim condemnarentur rei, id *suffugium* fuit in *tempus.*

Cap. 67. *nisi gnaro custode.* Sunt qui *custodis* vocabulum referant ad excubias litori observando adpositas. Sic Stromb. Rickl. Hack. Herrmannus. Nam sub initium huius cap. sermo est de *disposito milite.* Rupertius *custodem* facit *un pilote côtier.* Recte, ut mihi vide-

aperto circum pelago peramoena: prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Graecos ea tenuisse Capreasque Telebois habitatas fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultos in luxus

tur. Graecis dicitur ναυφύλαξ cf. Pollux On. 7, 139.

prospectabatque. Sc. insula. Sic de villa Misenensi Phaedrus 2, 5. *quae — prospectat Siculum — mare.* Ceterum de Capreis insula cf. Dio 52, 43.

Vesuvius ardescens. cf. Plin. epp. 6, 16 et 20.

Telebois. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. et pleraeque mediae aetatis *Thelebois.* Ryckius induxit *Telebois;* nam Graecis sunt Τηλεβόαι. *Telebois* etiam invenio in ed. Micylli de anno 1557.

duodecim villarum nominibus et molibus insederat. Insederat sc. insulam h. e. occupaverat (*er hatte angefüllt*). cf. Hist. 3, 69. *arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam senatorum equitumque.* Quod autem Noster scribit *nominibus et molibus*, hoc significat totam insulam duodecim illis villis occupatam, ita ut totius insulae nulla pars superesset praeter villarum nomina et moles. Nam nomine aliquo aliquid impleri dicitur, si id nomen totam rem sibi vindicat. Igitur quamcunque insulae partem adires, ab aliqua duodecim villarum nominabatur et molibus eius occupabatur. Quae sententia e verbis tam commode fluit, ut mireris, cur tantopere hic laborent interpretes. Nam alii locum emendatione sanandum censuere, ut Crollius: *duod. vill. montibus et molibus;* Hillerus: *culminibus et molibus;* Harlaeus: *nemoribus et molibus;* Heinsius: *ignominiosis molibus* vel *ignominiosae moli.* Alii alienum plane verbis intrudunt sensum, ut Bahrdtius: *Tiber indeſs brütete jetzt auf Namen und Gröſse seiner zwölf Landhäuser;* Woltmann.: *allein damals hatte sich T. in zwölf berühmte Villen von groſsem Umfange niedergelassen* (secundum I. Fr. Gronovium); Strombeckius: *T. lieſs sich dort in zwölf durch Namen und Palläste ausgezeichneten Landhäusern nieder;* Hackius: *T. sonst eifrig den Regierungssorgen hingegeben, hing nun, um so geheimer in Schwelgerei und verderbenbringender Muſse aufgelöst, an Benennung und Erbauung von zwölf Landsitzen;* Herrmannus: *Jetzt aber hatte sich T. auf zwölf verschieden benannten und bautreichen Landsitzen niedergelassen.* Hic tamen pro *nominibus* mavult legi *numinibus*, ut sententia sit: *T. hatte sich in den Götterschirm und die Palläste von 12 Landsitzen niedergelassen.* Roth. p. 26. *nominibus et molibus* accipit ut ἓν διὰ δυοῖν, explicat: „molibus duodecim villarum, quibus singulis suum nomen erat.“ Sed haec satis languida esse videntur.

tanto occultos. Ex emendatione I. Fr. Gronovii, quam hodie omnes edunt. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Ernest. *occultior*, quam scripturam defendit Wopkensius ad 3, 29. Sed quomodo *tanto occultior* opponi possit verbis *quanto intentus;* non satis video, nisi forte vocem *occultior* intelligas de Tiberio e conspectu hominum remoto et insula abdito. Tum *tanto* pertinet ad *resolutus*, *occultior* est *in seiner Verborgenheit*, opponiturque vocabulo *publicas.* Broterius coniecit: *tanto occultior in luxus et in m. o. resolutus.* Potiorem tamen recte iudicat Gronovii emendationem. Paschalius volebat *oculatior.*

et malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in urbe suetus acrius turbabat non iam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis. quis additus miles nuntios, introitus, aperta, secreta velut in annales referebat, ultroque struebantur, qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare. eaque spreta ab illis, velut pararent, obiiciebantur.

LXVIII. Iunio Silano et Silio Nerva coss. foedum anni principium incessit tracto in carcerem inlustri equite Romano Titio Sabino ob amicitiam Germanici. neque enim omiserat coniugem liberosque eius percolere, sectator domi, comes in publico post tot clientes unus eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis. hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, M. Opsius praetura functi adgrediuntur cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus: neque Seiani voluntas nisi scelere quaerebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent: deinde accusationem inciperent. igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones: mox laudare constantiam, quod non ut ceteri florentis domus amicus adflictam deseruisset: simul honora de Germanico Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium

manebat quippe etc. Haec respiciunt ad *malum otium.*

celeberrimo fori. Ernestius bene interpretatur: „quo tempore forum plenissimum hominibus." Nam *forum* non solum de loco fori valet, sed etiam de multitudine hominum in foro agentium. cf. Virgil. Georg. 2, 502. *insanum forum.* Aeneid. 2, 758. *forum indicit.* Wopkensius tamen mavult vocem intelligi de celeberrima fori parte. Sed locus, quem illi volebant, satis definitur per *effigiem divi Augusti.*

spreta ab illis. Ernestius *ab* delendum censet. Sed quaero, an propterea locus melior evadat? Immo ambiguitatem intolerabilem contrahit. Tum enim *illis* pendere potest e verbo *obiiciebantur*, ut sententia sit: obiectum esse illis, quod ea spreverint.

Cap. 68. *Silano.* Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *Sillano.* Vid. not. ad 2, 4.

voluntas. H. e. benevolentia, ut apud Sueton. Iul. c. 27. *ad retinendam Pompeii necessitudinem ac voluntatem.*

animi, effudit lacrimas, iunxit questus, audentius iam onerat Seianum, saevitiam, superbiam, spes eius. ne in Tiberium quidem convicio abstinet. Iique sermones, tanquam vetita miscuissent, speciem artae amicitiae facere. ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre.

LXIX. Consultant, quos memoravi, quonam modo ea plurium auditu acciperentur. nam loco, in quem coibatur, servanda solitudinis facies: et si pone fores adsisterent, metus visus, sonitus aut forte ortae suspiciones erant. tectum inter et laquearia tres senatores haud minus turpi latebra quam detestanda fraude sese abstrudunt, foraminibus et rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum velut recens cognita narraturus domum et in cubiculum trahit, praeteritaque et instantia, quorum adfatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille et diutius, quanto maesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. properata

effudit lacrimas, iunxit questus. Ernestius vult *iunxitque.* Non video cui bono, quum asyndeton egregie huic loco conveniat. cf. not. ad c. 43. Quae verba ad Latinium, quae ad Latiarem pertineant, satis constat per diversa tempora.

facere. Muretus aliique malebant *fecere.* Recte ut mihi videtur, quanquam *facere* non ita abhorret a latinitate, ut sine cod. MS. auctoritate illam mutationem admittere velim.

Cap. 69. *Consultant* etc. Eandem historiam narrat Dio 58, 1.

metus ... erant. Sic cod. MS. edd. Beroald. et reliquae vett. Coniunge: *metus* (num. plur. *Besorgnisse*, ut infr. c. 71. *metus suos;* 6, 18. *priores metus;* 14, 57. *metus eius rimatur.* Hist. 2, 12. *adversum metus*) *erant visus, sonitus aut forte o. suspiciones* h. e. timebantur illis visus, sonitus etc. Germ. converte: *träten sie hinter die Thür, so hatten sie die Besorgnisse gesehen zu werden, ein Geräusch zu verursachen oder dafs zufällig Verdacht entstünde.* Nam, ut bene intellexit Freinshemius, cogitabant posse in ipso Sabini animo oriri suspiciones, ne quis forte adstans foribus aucuparetur sermones. Iam vero Ernestio auctore hodie pro *metus* edunt *metui.* Sed *metui esse* aliud quid significat, nempe adfici aliqua re in metum (*es verursacht mir etwas Furcht*), quod ab hoc loco alienum est. Non *metui* erant visus, sonitus etc., sed metuebant illi, ne visus, sonitus aut suspiciones orirentur; igitur visus, sonitus etc. metus eorum erant. De structura cf. Hist. 1, 15. *et iudicii mei documentum* (non *documento*) *sint non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae.* An. 6, 29. *incitamentum mortis* (non *incitamento*). cf. not. ad 12, 40. Minus etiam valet Rhenani coniectura: *ortae suspicionis erat*, quam recepere Gronovius, Ryckius, Broterius aliique.

quanto. Sic cod. MS. (hic corrupte *qaranto*) edd. Beroald. Al-

aeque vis.

inde accusatio missisque ad Caesarem litteris ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas: egens adversum proximos congressus, colloquia: notae ignotaeque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

LXX. Sed Caesar solemnia incipientis anni Kal. Ianuariis epistola precatus vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum et petitum se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. nec mora quin decerneretur: et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas: deseri itinera, fora: et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum id ipsum paventes, quod timuissent. quem enim diem va-

ciat. Pichen. sqq. *quando* ed. Rhenan. (1533) sqq. ad Pichenam.

civitas: egens adversum proximos congressus, colloquia. Locus mire vexatus et emendationibus et explicationibus. Vulgo distinguunt: *non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos: congressus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari* etc., ut ita *egens* pertineat ad *civitas*, *congressus* ad *vitari*. Sed habet *civitas* epitheta sua, *anxia* et *pavens*; nec convenit bono stilo, ut *civitas anxia et pavens* post se trahat languida illa verba: *egens ad. pr.* Ac ne sensus quidem est in hisce vocabulis. Scilicet ad *egens* intelligunt *fide*, *consilii*, et ita intrudunt, quae sunt contra omnem latinitatem. Nec meliora invenies in emendationibus Lipsii: *tegens* pro *egens*, Rhenani: *satagens*, Vertranii: *se tegens*, Acidalii: *se tegere*, Pichenae: *egerat*, legentium. In cassum disseruere. *Egens* pertinet ad *congressus* et *colloquia*. Solet enim praedicatum in num. sing. poni ob proximum subiectum, licet pertineat simul ad subiecta pluralis numeri remotiora. cf. not. ad 1, 10. sub v. *abstulerat*. Addo Hist. 1, 15. *inrumpet adulatio, blanditiae*; Hist. 3, 85. *terret solitudo et tacentes loci*. Iam *egens* in hoc verborum contextu est quod nos dicimus *dürftig*, egens verbis, inops, ieiunus, qualis est congressus et colloquia eorum, qui sibi invicem sunt suspecti.

circumspectabantur. Sic Hist. 4, 8. *vultus ac sermones omnium circumspectans*. Sallust. Iug. c. 72. *circumspectare omnia*. Inutilis igitur Acidalii coniectura *suspectabantur*.

Cap. 70. *solemnia . . . precatus*. Nam primum incipientis anni diem laetis precationibus invicem faustum ominabantur. cf. Plin. 28, 5. Lips. ad h. l.

Ianuariis. Cod. MS. *Ianuarius*, unde I. Gronov. fecit *Ianuariis*. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *Ianuarias*. Mox edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. e cod. MS. *epistula*.

cuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? non prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse? quaesitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria sic carcerem recludant. Secutae insuper litterae grates agentis, quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

LXXI. Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, avebat animus anteire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam C. Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio: qui scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus et oblatis in eandem operam recentibus veteres et praegraves adflixit. verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a

ubi inter sacra et vota. Similia de Tiberio queritur Suetonius c. 61. De illa Kalendarum Ian. et omnino dierum festorum sanctitate cf. Plutarch in Mario p. 480. Senec. Controv. 5, 4. Philo contra Flacc. p. 976. Lips. ad h. l.

quo tempore. Unus Aldus *quod temporis.*

non prudentem etc. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc.; *non imprudentem* edd. Rhenan. sqq. Sed praestat vetus scriptura. Sunt verba coniectantium, rimantium interrogatione ironica expressa. cf. not. ad 2, 15. sub vv. *aliud sibi reliquum.* Germanice: *Ohne Bedacht habe wohl Tiberius einen so großen Hasse sich unterzogen?* Immo respondent: *quaesitum meditatumque* etc. *Absicht und Plan sei es* etc.

Cap. 71. *anteire.* Sic edd. Lips. sqq. *antire* cod. MS. edd. Ber. sqq. *non modo . . . sed . . .* Cf. not. ad 1, 77. 3, 62. 65.

veteres et praegraves. Groslotius *et* mutat in *ut.* Perperam. Tacitus solet sic exprimere ἓν διὰ δυοῖν. Hoc sibi vult: *veteres, postquam praegraves sibi facti erant.* cf. 1, 13. *avidum et minorem;* 5, 3. *adlatas et cohibitas;* 5, 7. *multa foedaque.* *Praegraves* sunt διὰ κόρου γενόμενοι.

in tempore trademus. De Latinio 6, 4. Opsii exitum haud dubie in libris deperditis rettulit.

matertera. Nam Vipsania, uxor Asinii, consanguinea Agrippinae soror fuit, i. e. eodem patre Vipsanio natae ambae, diversa matre. Lips.

petendum. Unus Aldus *repetendum.*

inde accusatio missisque ad Caesarem litteris ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas: egens adversum proximos congressus, colloquia: notae ignotaeque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

aeque visa.

LXX. Sed Caesar solemnia incipientis anni Kal. Ianuariis epistola precatus vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum et petitum se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. nec mora quin decerneretur: et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas: deseri itinera, fora: et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum id ipsum paventes, quod timuissent. quem enim diem va-

ciat. Pichen. sqq. *quando* ed. Rhenan. (1533) sqq. ad Pichenam.

civitas: egens adversum proximos congressus, colloquia. Locus mire vexatus et emendationibus et explicationibus. Vulgo distinguunt: *non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos: congressus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari* etc., ut ita *egens* pertineat ad *civitas, congressus* ad *vitari.* Sed habet *civitas* epitheta sua, *anxia* et *pavens;* nec convenit bono stilo, ut *civitas anxia et pavens* post se trahat languida illa verba: *egens ad. pr.* Ac ne sensus quidem est in hisce vocabulis. Scilicet ad *egens* intelligunt *fide, consilii,* et ita intrudunt, quae sunt contra omnem latinitatem. Nec meliora invenies in emendationibus Lipsii: *tegens* pro *egens,* Rhenani: *satagens,* Vertranii: *se tegens,* Acidalii: *se tegere,* Pichenae: *egerat,* legentium. In cassum disseruere. *Egens* pertinet ad *congressus* et *colloquia.* Solet enim praedicatum in num. sing. poni ob proximum subiectum, licet pertineat simul ad subiecta pluralis numeri remotiora. cf. not. ad 1, 10. sub v. *abstulerat.* Addo Hist. 1, 15. *inrumpet adulatio, blanditiae;* Hist. 3, 85. *terret solitudo et tacentes loci.* Iam *egens* in hoc verborum contextu est quod nos dicimus *dürftig,* egens verbis, inops, ieiunus, qualis est congressus et colloquia eorum, qui sibi invicem sunt suspecti.

circumspectabantur. Sic Hist. 4, 8. *vultus ac sermones omnium circumspectans.* Sallust. Iug. c. 72. *circumspectare omnia.* Inutilis igitur Acidalii coniectura *suspectabantur.*

Cap. 70. *solemnia . . . precatus.* Nam primum incipientis anni diem laetis precationibus invicem faustum ominabantur. cf. Plin. 28, 5. Lips. ad h. l.

Ianuariis. Cod. MS. *Ianuarius,* unde I. Gronov. fecit *Ianuariis.* Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *Ianuarias.* Mox edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. e cod. MS. *epistula.*

cuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? non prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse? quaesitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria sic carcerem recludant. Secutae insuper litterae grates agentis, quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

LXXI. Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, avebat animus anteire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam C. Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio: qui scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus et oblatis in eandem operam recentibus veteres et praegraves adflixit. verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a

ubi inter sacra et vota. Similia de Tiberio queritur Suetonius c. 61. De illa Kalendarum Ian. et omnino dierum festorum sanctitate cf. Plutarch in Mario p. 480. Senec. Controv. 5, 4. Philo contra Flacc. p. 976. Lips. ad h. l.

quo tempore. Unus Aldus *quod temporis.*

non prudentem etc. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc.; *non imprudentem* edd. Rhenan. sqq. Sed praestat vetus scriptura. Sunt verba coniectantium, rimantium interrogatione ironica expressa. cf. not. ad 2, 15. sub vv. *aliud sibi reliquum.* Germanice: *Ohne Bedacht habe wohl Tiberius einem so grofsen Hasse sich unterzogen?* Immo respondent: *quaesitum meditatumque* etc. *Absicht und Plan sei es* etc.

CAP. 71. *anteire.* Sic edd. Lips. sqq. *antire* cod. MS. edd. Ber. sqq.

non modo .... sed ... Cf. not. ad 1, 77. 3, 62. 65.

veteres et praegraves. Groslotius *et* mutat in *ut.* Perperam. Tacitus solet sic exprimere ἓν διὰ δυοῖν. Hoc sibi vult: *veteres, postquam praegraves sibi facti erant.* cf. 1, 13. *avidum et minorem;* 5, 3. *adlatas et cohibitas;* 5, 7. *multa foedaque.* *Praegraves* sunt διὰ κόρου γενόμενοι.

in tempore trademus. De Latinio 6, 4. Opsii exitum haud dubie in libris deperditis rettulit.

matertera. Nam Vipsania, uxor Asinii, consanguinea Agrippinae soror fuit, i. e. eodem patre Vipsanio natae ambae, diversa matre. Lips.

petendum. Unus Aldus *repetendum.*

principe, ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret. Nullam aeque Tiberius ut rebatur ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat. eo aegrius accepit recludi, quae premeret. sed mitigavit Seianus non Galli amore, verum ut cunctationes principis opperiretur, gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere. Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat proieceratque in insulam Trimerum haud procul Apulis litoribus. illic viginti annis exsilium toleravit Augustae ope sustentata: quae florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.

LXXII. Eodem anno Frisii transrhenanus populus pacem exuere, nostra magis avaritia quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura, quae firmitudo, quae mensura, donec Olennius e primipilaribus regendis Frisiis impositus terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. id aliis quoque nationibus arduum apud

ut cunctationes principis opperiretur. Cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *ut cunctationes* (sive *contationes*, nam utraque scriptura veteres libri promiscue utuntur) *principis aperirentur.* Quae sententia quum non satis conveniat contextui, varie locum tentarunt. Lipsius coniecit *cogitationes* pro *cunctationes*. Explicat: Seianum mitigasse Tiberium, quia non nolebat frigus et lentitudinem illam excitari ac cogitationes eius produci. Ursinus: *ne cunctationes* etc. Muretus: *opperirentur* pro *aperirentur*. I. Fr. Gronovius: *opperiretur*, quod plerisque recentiorum editorum placuit. Kiesslingius veterem scripturam revocavit.

Iulia. cf. 3, 24. Sueton. Oct. c. 65.

Trimerum. Sic cod. MS. vett. edd. Sunt tamen qui coniiciant scribendum *Trimetum*, quia nomen hodiernum est *Tremiti*.

CAP. 72. *tributum iis iusserat Drusus.* Sic et infr. 13, 15. *Britannico iussit, exsurgeret.* Ibid. c. 40. *quibus iusserat, ut* etc. Liv. 42, 28. *cui iussum erat creare.* Scilicet *iubere* natura sua, ut alia eiusdem significationis verba, postulat dativum personae, cui aliquid iubeatur, et accusativum rei, quae iubeatur. Iam vero si scribo: *iubeo te adesse*, tum *te* non innuit personam, cui aliquid iubeatur, sed illud *te adesse* est res, quam iubeo. Accusativus in hac formula trahitur ab infinitivo. Igitur non opus est, ut in explicanda hac verbi *iubere* constructione cum Rothio (*Quaest. Gr.*) confugias ad cognationem verborum *iubere* et *imperare*.

quae firmitudo. Unus Aldus vitiose *duae firmitudo*.

Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant. hinc ira et questus, et postquam non subveniebat, remedium ex bello: rapti qui tributo aderant milites et patibulo adfixi. Olennius infensos fuga praevenit, receptus castello cui nomen Flevum: et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat.

LXXIII. Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniae propraetori cognitum, vexilla legionum e superiore provincia peditumque et equitum auxiliarium delectos acci-vit: ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda digressis rebellibus. igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat. atque interim repertis vadis alam Canninefatem, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet: qui iam acie compositi pellunt tur-

urorum. cf. Caes. B. G. 6, 28. Plin. 8, 15.

quis ... sunt. H. e. Frisiis id tributum propterea difficilius toleratum, quia belluae, quarum terga pro norma coriorum accipiebantur, ingentes erant in illis saltibus, armenta autem domestica modica, ut ita coriis boum suorum non possent adsequi formam praescriptam. *Quis* igitur ponitur pro *quia iis*, ut saepe et infr. c. 74. f.

subveniebat. Sic cod. MS. vett. edd. *Non subveniebat* sc. Olennius. Nam ad eum deferebant questus, iniqua se pati non ab Olennio, sed ab iis, qui tributo accipiendo aderant, rati. Supervacanea igitur est emendatio: *subveniebatur*, multis accepta. In ed. Micyll. est *nemo subveniebat*, e coniectura Rhenani.

qui tributo aderant. Tributum hic non est id quod tribuitur, sed tributi exactio per enallagen: sive malis cum Ernestio intelligere *accipiendo.* Ceterum milites non ipsi exigebant tributum, sed aderant ei, qui tributum exigebat. *Adesse* in deteriorem partem dici est commentum Ernestii non satis idoneum.

Cap. 73. *propraetori.* Sic edd. Rhen. 1533 sqq. — *pro praetore* MS. edd. Ber. Alc. Vid. not. ad 2, 52.

soluto iam castelli obsidio. Edd. Beroald. aliaeque vett. *soluto iam castello obsidio.* Rhenanus castigavit: *castelli.*

Canninefatem. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. et inter recentiores Ern. Brot. sqq. *Caninefatem* plerique mediae aetatis libri inde a Lipsio. Alibi scriptura nominis variat inter *Cannanefates, Canonefates, Cananivates, Cannunefates.*

pellunt. E castigatione Rhenani. Edd. Ber. Alc. *pelluntur, turmas* etc. quod Victor. in s. ex. corr. *pellunt turmas.* Cod. MS. test. I. Gronov. *pellunt vi*, inutili additamento.

mas sociales equitesque legionum subsidio missos. tum tres leves cohortes ac rursum duae, dein tempore interiecto alarius eques immissus: satis validi, si simul incubuissent: per intervallum adventantes neque constantiam addiderant turbatis et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni legato quintae legionis quod reliquum auxiliorum tradit: atque ille dubia suorum re in anceps tractus missis nuntiis vim legionum implorabat. prorumpunt quintani ante alios et acri pugna hoste pulso recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. neque dux Romanus ultum iit aut corpora humavit, quanquam multi tribunorum praefectorumque et insignes centuriones cecidissent. Mox compertum a transfugis nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennae vocant, pugna in posterum extracta confectos: et aliam quadringentorum manum occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

LXXIV. Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna ne cui bellum permitteret. Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur. ita quanquam diversis super rebus consulerentur, aram Clementiae, aram Amicitiae effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere: crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent. Non illi tamen in urbem aut propinqua urbi digressi sunt: satis visum omittere insulam et in proximo

alarius eques. Ex emendatione Freinshemii, quam hodie consensu probant. Edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *acrius eques*, quod defendit Woltmannus argumentis tamen infirmis. Loquitur Noster de genere copiarum, quae immitterentur, a qua recensione illud *acrius* saltem alienum erat.

Cethego. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. *Cethecio*, vocabulum inauditum. Emendavere sequentes editores inde a Lipsio.

stipendiarii. cf. c. 20. *non ut stipendiariis pecuniae redderentur.*

CAP. 74. *digressi sunt.* Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Ernestium, qui dedit *degressi sunt.* Sed *degrediendi* notio hinc plane aliena est. cf. not. ad 2, 69. Non *digressi* sunt sc. ab insula et litore Campaniae (*sie entfernten sich nicht*). Bene igitur suadente Wopkensio Rupertius et Lünemannus veterem scripturam restituere.

Campaniae aspici. eo venire patres, eques, magna pars plebis, anxii erga Seianum, cuius durior congressus atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. Satis constabat auctam ei adrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti. quippe Romae sueti discursus et magnitudine urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat: ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec idque vetitum. et revenere in urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat: quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat.

LXXV. Ceterum Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit. in Domitio super vetustatem generis propinquum Caesaribus sanguinem delegerat. nam is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat.

Bekkerus Ernestii emendationem retinet. Ab initio capitis edd. Ber. Alc. habent *internos;* edd. Rhen. Lips. sqq. *internus.* ed. Ald. *intentus.*

anxii erga Seianum. H. e. anxie eius gratiam quaerentes, odium vitantes, *ὥςτε καὶ τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προσέχειν, τὸν δε Τιβέριον ἐν ὀλιγωρίᾳ ποιεῖσθαι.* Dio 58, 4.

durior congressus. H. e. qui difficilius impetrabatur.

per ambitum. H. e. qui congressum cupiebant, non poterant poscere ab ipso Seiano, sed debebant sibi parare homines gratia apud Seianum pollentes, quorum commendatione et intercessione impetrarent.

societate consiliorum. H. e. qui congressum Seiani cupiebat, non admittebatur nisi promptus esset ad se emancipandum illi, ut ita congressum petere et servitium Seiani fieri idem esset.

magnitudine. E castigatione Rhenani. Edd. Ber. Alc. *magnitudini.*

donec idque vetitum. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Hodie omnes suadente Mureto edunt *id quoque.* Sed cf. not. ad 1, 28 et 65. In ed. Micyll. est *donec quoque vetitum.*

male alacres. H. e. in perniciem suam alacres.

Cap. 75. *praeferebat.* H. e. prae se ferebat, ut infr. 13, 3. 14, 57. et alibi.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

CAP. 1. Liviae Aug. mors et elogium. 2. Tiberius etiam mortuae iniquus. 3. Seiani potentia crescit. Agrippina et Nero a principe accusantur. 4. In eos populi favor 5. irato Tiberio. Triennii acta desunt.

6. Seianus detecta cupidine imperii pervertitur 7—9. cum magna amicorum strage.

10. Pseudo-Drusum persequitur Poppaeus Sabinus. 11. Discordia consulum. Haec gesta annis circiter tribus,

C. RUBELLIO GEMINO ET C. FUFIO GEMINO
M. VINUCIO QUARTINO ET C. CASSIO LONGINO
TIBERIO CAESARE V ET L. AELIO SEIANO COSS.

I. Rubellio et Fufio coss. quorum utrique Geminus cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et

COMMENTARIUS.

CAP. 1. *Fufio.* Edd. Ber. Alc. Rhenan. *Fusio.* Muretus emendavit *Fufio.* Nam sic inscriptt. apud Fabrettum p. 217. et Murator. ad a. 775. Pagius in Crit. Bar. et Noris. in ep. cons. Tertullian. adv. Iudaeos c. 8. Permutantur et alibi nomina: *Fufius*, *Furius*, *Fusius.* cf. Heusinger. ad Cic. de off. 2, 14, 9. Alius eiusdem nominis neque vero aetatis vir invenitur apud Dion. 49, 38. φούφιος Γέμινος.

Geminus. Burmann. ad Vellei. 2, 12. et Heinsius ad h. l. malebant *Geminis.* Ita et I. Fr. Gronovius 4, 28. emendabat: *nomen utrique Vibiis Serenis.* Constat tamen utramque scribendi rationem esse in usu; et hic *Geminis* non satis elegans videtur esse propter *utrique.* cf. Liv. 31, 4. *Geminis ambobus cognomen erat.* Id. 35, 24. *utrique eorum Salinator cognomen erat.*

Iulia Aug. mortem obiit. De eadem re cf. Dio 58, 2.

aetate extrema. Plin. 14, 8. annos ei tribuit 82. Dio 58, 2. ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα.

per Claudiam familiam. Nam pater eius Claudius origine fuit.

adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae. Primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta in urbem rediit. exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato penatibus suis gravidam induxerit. nullam posthac subolem edidit: sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa communes pronepotes habuit. sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. Funus eius modicum, testamentum diu inritum

adoptione Liviorum Iuliorumque cf. 6, 51. In Liviam familiam venit patre in eam adoptato. cf. Sueton. Tib. c. 3. In Iuliam per testamentum Augusti. Tac. An. 1, 8.

bello Perusino profugus. Fuit igitur inter eos, de quibus Appian. B. C. p. 700. *ἐπὶ θάλασσαν ᾔεσαν ἕτερος ἑτέρας ὁδοὺς κ. τ. λ.* cf. Vellei. 2, 75.

pace inter Sex. P. ac tr. pacta. cf. Dio 48, 36. Appian. p. 713. Vell. 2, 77.

aufert marito etc. cf. 1, 10.

subolem. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. *sobolem* hic et 2, 42. et 3, 4. Recentiores nunc *subolem*, nunc *sobolem* edunt.

mater impotens. I. Fr. Gronovius explicat: „indulgens *στοργῇ* et studio potentiae filii, cui adversus domum mariti et adversus rem publicam et adversus nepotem ex modestiore filio omni bono maloque modo favit ac servivit." Secuti sunt Strombeckius: *zuviel verlangende Mutter*, et Hackius: *schwache Mutter.* Utrumque vocabulo non inest. Woltmann: *unbefriedigend als Mutter;* Herrmannus: *Mutter ohne Selbstbeherrschung*, qui aeque parum satisfaciunt. Rectius alii cogitant de adrogantia, qua usa est in filium. Nam vocabulo *mater* satis indicatur hic describi rationem eius agendi erga filium, et *impotens mater* opponitur *uxori facili.* Sic Ricklefs: *herrschsüchtige Mutter.* Nam hic eadem impotentia est, de qua dictum 1, 4. 4, 57. *traditur etiam matris impotentia extrusum*, quam dominationis sociam aspernabatur. Eodem sensu *impotentia veteranorum* 14, 31.

bene composita. Formula, quae dicitur de gladiatoribus, quorum paria bene composita sunt, si pari sunt arte et pugnandi dexteritate. cf. Horat. Sat. 1, 7, 19. Hinc Senec. de provid. c. 2. ubi per totum locum sub illa imagine verbis ludit: *Ecce par deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.* Igitur sententia loci est: Liviam talem fuisse, qualem esse oportuerit, ut consuetudinem cum marito artibus et calliditate pleno, et cum filio abstrusae simulationis bene toleraret et sine offensa ageret h. e. et ipsam callidam et simulationis gnaram fuisse. cf. Dio 58, 2.

funus eius. cf. Dio 58, 2.

testamentum diu inritum fuit. cf. Sueton. Tib. c. 51. Dio l. l. Tandem Caligula legata ex testamento Iuliae Augustae cum fide ac sine calumnia repraesentata persolvit. Suet. Cal. c. 16. Dio 59, 2.

fuit. laudata est pro rostris a C. Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est.

II. At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset nihil mutata amoenitate vitae, magnitudinem negotiorum per litteras excusavit: honoresque memoriae eius ab senatu large decretos quasi per modestiam imminuit paucis admodum receptis, et addito ne coelestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse. quin et parte eiusdem epistolae increpuit amicitias muliebres Fufium consulem oblique perstringens. Is gratia Augustae floruerat aptus adliciendis feminarum animis, dicax idem et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus, quarum apud praepotentes in longum memoria est.

III. Ceterum ex eo praerupta iam et urgens dominatio. nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum ergà matrem obsequium, neque Seianus audebat auctoritati parentis anteire. tunc velut frenis exsoluti proruperunt: missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem adlatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus: haud enim multum post mortem eius recitatae sunt. verba inerant quaesita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium: amores iuvenum et impudicitiam nepoti obiecta-

Cap. 2. *supremis in matrem officiis.* Suet. Tib. l. l. Dio 58, 2. οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο, οὔτ' ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο.

excusavit. Vid. not. de hoc verbo ad 1, 58.

epistolae. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. *epistulae* e cod. MS., uti solent, et sic inscript. ap. Gruter. p. 61. 4.

Cap. 3. *praerupta.* Graece ἀπότομος, cui vocabulo illud exacte respondet. cf. 16, 7. *animo praeruptum.* Cic. pr. Rosc. Am. c. 24. *praerupta audacia.*

urgens. Virgil. Georg. 1, 146. *urgens egestas.* Cic. Tusc. 3, 25. *urgens malum.* Similia passim apud Nostrum. Lipsius male coniecit *vergens*, ut esset cadens, praeceps. Sed *vergens* tum quidem minime dominatio, sed in dies crescens. Mox Rupertius mavult *proruerunt*. Sed cf. 1, 63 et 65. et not. ad 1, 68.

et cohibitas. Acidalius pro *et* malebat *sed.* Vide tamen not. ad 1, 13. sub vocc. *avidum et minorem*; 4, 71. *veteres et praegraves.*

multum. Heinsius corrigit: *multo.* Perperam et contra latinitatem. Nam formula *haud multo post* per se constat (*nicht lange nachher*). cf. 1, 5. 27. 44. 57. Si additur terminus, post quem, uti hic *post mortem*, *multo* non habet locum. Etenim *multo* comparationem instituit, quanto post; *multum* mensuram temporis significat, quantum post aliquam rem.

bat. in nurum ne id quidem confingere ausus adrogantiam oris et contumacem animum incusavit, magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, quis nulla ex honesto spes (et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur), ut referretur, postulavere, promptissimo Cotta Messallino, cum atroci sententia. sed aliis a primoribus maximeque a magistratibus trepidabatur: quippe Tiberius etsi infense invectus cetera ambigua reliquerat.

IV. Fuit in senatu Iunius Rusticus componendis patrum actis delectus a Caesare eoque meditationes eius introspicere creditus: is fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiae dederat) seu prava sollertia, dum imminentium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus ac monere consules, ne relationem inciperent: disserebatque brevibus momentis summa verti: posse quandoque Germanici exitium poenitentiae esse seni. Simul populus effigies Agrippinae ac Neronis

pavore ac silentio. Roth. p. 26. habet inter dicta per fig. ἓν διὰ δυοῖν. Sed nisi fallor, hic duo potius sunt distinguenda, quis tum senatus insignis fuit, *pavor* ac *silentium*; quanquam non nego haec fuisse coniuncta, pavorem cum silentio et cum pavore silentium.

cum atroci sententia. Langius in dissert. qua dialogum de Orator. Tacito vindicat (cf. Acta semin. reg. et societ. philol. Lips. Vol. I. p. 80.) haec verba ineptissimum dicit additamentum esse e loco 6, 5. intrusum, ubi Cotta Mess. audit saevissimae cuiusque sententiae auctor. Sed vereor, ut locum satis accurate perspexerit. *Cum* non pendet e voce *promptissimo*, sed locus e contextu supplendus est sic: promptissimo Cotta Messalino ad postulandam relationem eamque postulavit cum atroci sententia. Ita nil inepti superest.

Cap. 4. *meditationes.* E castigatione Rhenani. Edd. Beroald. Alc. *meditationis.* Victorius in s. ex. corr. *meditationes.*

verti: posse quandoque Germanici exitium poenitentiae esse seni. Cod. MS. edd. Beroald. Alc. *verti posse quandoque Germanicis Titium poenitentiae senis.* (Maiuscula littera *T* in *Titium* apud Beroaldum est, non ita in cod. MS.) Quae scriptura quum aperta corruptelae vestigia praeferret, Rhenanus emendavit edidítque cum Aldo sic: *verti posse, dandumque interstitium poenitentiae senis.* Lipsius proposuit: *dandumque Germanicis, interstitium* (vel *spatium*) *poenitentiae senis.* Iisdem verbis utitur Boxhornius, nisi quod legit *Germanico.* Sententiam faciunt: *hoc deberi Germanici memoriae, ut spatium relinquant poen. senis.* Ernestius coniecit: *dandumque in Germanicis spatium poenitentiae senis.* Heinsius: *dandumque domui Germanici interstitium poenitentiae senilis.* Broterius: *quandoque Germanici stirpem, ubi spa-*

gerens circumsistit curiam festisque in Caesarem ominibus falsas litteras et principe invito exitium domui eius intendi clamitat. ita nihil triste illo die patratum. ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Seianum sententiae, exercentibus plerisque per occultum atque eo procacius libidinem ingeniorum. unde illi ira violentior et materies criminandi: spretum dolo-

tium poenitentiae senis, resurgere. Crollius: *verti: posse quandoque Germanicis locum poenitentiae senis reddi.* Etenim in edd. Beroald. et Alciat. lacunam invenis post vocabulum *senis*, quam illi suo modo explent per *reddi, resurgere.* Woltmannus: *quandoque Germanici esse filium poenitentiae senis.* Prius expresserat haec: *verti: posse q. Germanici filium poenitentiae senis.* Hillerus: *quandoque Germanici tacturam poenitentiam senem* (vel *subituram p. seni*). Ricklefs: *dandumque in Germanici prole spatium poenitentiae senis.* Rupertius: *posse quandoque Germanici exitium poenitentiae seni esse.* Recepi in locum, quia haec proxime accedunt ad vestigia cod. MS. eamque sententiam exprimunt, quae satis conveniat loco. Posui tamen *esse seni;* nam inter *poenitentiae* et *seni* verbum *esse* facillime potuit absorberi. Littera *s* in *senis*, quod habet cod. MS., videtur adhaesisse e sequenti vocabulo *simul.* *Germanicis titium* inrepsisse pro *Germanici exitium* haud temere coniiciunt; nam *t* et *x* saepius in MSS. confunduntur. Sententia: *brevibus momentis summa verti*, in universum valet nititurque rebus factis. Haec ita fieri disserit ille, non fieri posse. Sed coniicit inde tale quid etiam in eo, qui tum erat, rerum statu fieri posse. Neque tamen iubeo pro unice vera haberi hanc coniecturam. Potior saltem et prae ceteris deligenda esse videbatur. Lacuna, quam vett. libri habent post *senis*, potest accipi pro simplice corruptelae nota, neque iubet, ut eam ipsam expleamus. Quae Herrmannus nuper proposuit: *brevibus m. s. v. posse, quandoque — Germanicis initium poenitentiae senis* (sc. *quandoque* summa verterentur, *Germanicis*, domui s. liberis G. *initium* fore *poen. senis*) Tacito indigna sunt.

festisque in Caesarem ominibus. Alibi sunt *fausta omina.* cf. Suet. Oct. c. 57 et 98. Cal. c. 13. Claud. c. 27. Noster supr. 1, 35. Quare et hic corrigebant *faustis.* cf. Burmann. et Heinsius ad Ovid. Metam. 6, 448. et Ernestius ad h. l. Attamen *omina* in tali contextu non stricte intelligenda sunt de vocibus futura praesagientibus, sed in universum de dictis factisque, quis dicentium facientiumque animus in aliquem cognoscitur. cf. Hist. 4, 49. Quo sensu *omina* haud dubie epitheton *festa* admittunt. Nam *festus* est synonymum voci *laetus.* cf. Hist. 5, 5. *festos laetosque ritus.* Sic *festae voces* 12, 69. *festi clamores* Plin. epp. 2, 17. *festi ululatus* Ovid. Metam. 3, 528.

ferebantur. Sc. per famam. *consularium* sc. senatorum.

libidinem ingeniorum. cf. not. ad 1, 72. Sententia: Homines de rebus illo die in senatu actis confabulantes fingebant hunc vel illum consularem (nam in eo summa erat fabulae vis, quod consulares talia censuissent) hanc vel illam sententiam adversus Seianum dixisse. Mox edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. sqq. male interpungunt: *spretum d. principis, ab senatu desc. populum.* Melioris rationis auctor est Lipsius.

rem principis ab senatu: descivisse populum: audiri iam et legi novas conciones, nova patrum consulta: quid reliquum nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent?

V. Igitur Caesar repetitis adversum nepotem et nurum probris increpitaque per edictum plebe questus apud patres, quod fraude unius senatoris imperatoria maiestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta postulavit. nec ultra deliberatum, quo minus non quidem extrema decernerent (id enim vetitum), sed paratos ad ultionem vi principis impediri testarentur.

VI. * Quattuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine, „*mihi pudorem aut Seiano invidiam adlaturum „censui.* versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam

conciones. Sic edd. Rhen. sqq. Edd. Ber. Alc. hic et alibi *contiones*, quod Victorius in s. ex. corr. *conciones*.

Cap. 5. *testarentur.* Post hoc verbum cod. MS. unicus lacunam habet vastiorem. Perierunt annales an. p. u. c. 782. ad plurimam partem, totius an. 783. nec pauca ad an. 784. pertinentia. Supplementum scripsit Broterius Taciti stilum imitatus et cum Taciti operibus edidit, neque tamen ita damna reparavit. Breviorem, satis apte vero concinnatam harum rerum narrationem huic loco subiunxerunt Strombeck, Ricklefs, Herrmann.

Cap. 6. *quattuor .... adsuetudine.* Quo haec pertineant, satis certo dici nequit. Broterius indidit narrationi de poenis, quis adficiebantur Seiani adseclae, atque locum explet sic: *ex quis ob metum et scelerum memoriam paucae viriles, plures adsuetudine servitii imbelles.*

mihi ... censui. Broterius tribuit amicorum Seiani integerrimo, quem anonymum inducit perorantem in senatu: *Nunquam*, inquit, *Seiani amorem mihi pudorem, aut Seiano invidiam adlaturum censui* etc. Haec scilicet ludicra sunt. Bipontini oratorem illum exitii socium Blaeso fuisse censent, de quo vid. 6, 40., atque coniecturam incertam plane et suspensam ineunt de permixtione huius et sequentis libri. cf. not. infr. 6, 40.

collegam. Sic edd. vett. sqq. Bekkerus dedit *conlegam.* Rupertius et Ricklefs *collegam* intelligunt de consulatu. Sueton. Tib. c. 65. Sed in consulatu collegam Tiberii esse non soli Seiano contigit, neque tam eximium illud est, ut hoc potissimum trahi possit. *Collega* hic potius est κοινωνὸς τῶν φροντίδων; ita Seianum Caesar nominavit. Dio 58, 4. Ostendebat etiam tribuniciam potestatem in Seianum conferendam, ut ita prorsus consors imperii esse videretur. Dio 58, 9. Sueton. Tib. c. 65. Hinc infr. 6, 8. *tua officia in re publica capessentem.*

„et generum adsciverat, sibi ignoscit: ceteri, quem „per dedecora fovere, cum scelere insectantur. * miserius sit ob amicitiam accusari an amicum accusare, „haud discreverim. * non crudelitatem, non clementiam cuiusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus antibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam „nostri per maerorem quam laeti retineatis, adiiciendo „me quoque iis qui fine egregio publica mala effugerunt."

VII. Tunc singulos, ut cuique adsistere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei absumpsit, multoque adhuc coetu et cunctis intrepidum vultum eius spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Caesar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cum in Blaesum multa foedaque incusavisset.

generum. Intellige *progenerum.* cf. Zonaras p. 550. *τὸν δὲ Σηϊανὸν ἐπὶ μέγα δόξης ἐπάρας καὶ κηδεστὴν ἐπὶ Ἰουλίᾳ τῇ τοῦ Δρούσου θυγατρὶ ποιησάμενος ὕστερον ἔκτεινε.* Adde Tacit. infr. 6, 8. Sueton. l. l. simpliciter refert *spe adfinitatis deceptum.*

vos obtestor. Virum non coram senatu, sed ad amicos loqui ex toto loco satis apparet. Incertum vero est, an fragmenta inde a *mihi pudorem* ad unam eandemque orationem pertineant.

Cap. 7. *Tunc singulos ... dimittens.* Haec parum recte intellexerunt Vertranius, Boxhornius et I. Fr. Gronovius. Vertranius mutat: *ut quique adstitere*; Boxhornius: *ut cuique adstiterat, adloqui, amicos aut retinens aut dimittens.* Gronovius vulgatum, uti est, conservat iubetque verbo *adsistere* respondere *retinens;* verbo *adloqui dimittens*, contorta utriusque verbi interpretatione usus. Sed *adsistere* est audientium et verba alterius exspectantium. cf. Tac. de Orat. c. 19 et 20. Iam *quis animus erat adsistere, adloqui*, intelligendi sunt ii, qui remanere apud illum volebant, cum ut verba eius audirent, tum ut vicissim verba ad eum facerent. Hos retinebat; quibus ille animus non erat, eos dimittebat. Nam in verbis: *ut cuique .... animus erat*, latet, quod intelligendum est, *aut non erat.*

multoque adhuc coetu. Multis igitur animus fuerat adsistere, adloqui; ceteri abierant.

in Blaesum. Lipsius malebat deleri *in*, ut legeretur *cum Blaesum.* I. Fr. Gronovius illum refutavit exemplis Liv. 27, 1. et 30, 20.; quae tamen huc non faciunt satis. Sed *in* ut Graecis *εἰς* saepe Nostro ponitur, ut sit *quod attinet ad, im Betreff des.* cf. not. ad 2, 18.

multa foedaque. *ἓν διὰ δυοῖν.* cf. not. ad 1, 2.

VIII. Relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Secundo. illum indices arguebant claustra aerarii, cui praefectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse: huic a Considio praetura functo obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset. neque aliud periclitantibus auxilii quam in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere. mox crebris prolationibus spem ac metum iuxta gravatus Vitellius petito per speciem studiorum scalpro levem ictum venis intulit vitamque aegritudine animi finivit. at Pomponius multa morum elegantia et ingenio inlustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit.

IX. Placitum posthac, ut in reliquos Seiani liberos adverteretur vanescente quanquam plebis ira ac plerisque per priora supplicia lenitis. igitur portantur

Cap. 8. *P. Vitellio.* Suet. Vit. c. 2. *Publius, Germanici comes, Cn. Pisonem inimicum et interfectorem eius accusavit condemnavitque: ac post praeturae honorem inter Seiani conscios arreptus et in custodiam fratri datus* etc.

Pomponio Secundo. Hic frater Q. Pomponii. cf. 6, 18. Ipse etiam nobis occurrit apud Nostrum de Orat. c. 13.

Aelii Galli. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *Velii Galli.* Lipsius emendavit *Aelii*, quia *Aeliae* gentis Gallus cognomen fuit.

fratrum. Vitellii fratres nominantur Suet. Vit. c. 2. Hic vero intelligendi sunt Aulus (cons. suffect. an. u. 785.) et Lucius vel unus ex his. Nam Quintus senatu motus (cf. supr. 2, 48.) nil auctoritatis tum habuit. Lipsius in eo offendit, quod Suetonius rem narrat ut de uno fratre. At Suetonius de Vitellio tantum loquitur, Tacitus fratrum nomine Pomponii et Vitellii fratres dicit.

mox crebris .... finivit. cf. Sueton. l. l.

multa morum elegantia. Cuius elegantiae exemplum exstat apud Dion. 59, 29. *ἑορτήν τινα ἐν τῷ παλατίῳ ἦγε* (Caligula) *καὶ θέαν ἐπετέλει. κἂν τούτῳ καὶ αὐτὸς καὶ ἤσθιε καὶ ἔπινε, καὶ τοὺς ἄλλους εἱστία. ὅτε δὴ καὶ Πομπώνιος Σεκοῦνδος ὁ τότε ὑπατεύων ἐνεφορεῖτό τε ἅμα τῶν σιτίων παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος καὶ ἐπικύπτων συνεχῶς αὐτοὺς κατεφίλει.* Sed hic diversus fuit a nostro Pomponio, quem Dio 59, 6. vocat *Quintum.*

ingenio inlustri. De quo consulendi Plin. epp. 7, 17. Plin. senior 14, 6. 13, 26. qui et de vita Pomponii Secundi scripsit libros duo, testante Plin. epp. 3, 5. Quintilian. 10, 1, 98.

Cap. 9. *Placitum ... adverteretur.* Dio 58, 11. *in reliquos,* filium natu minorem et filiam; nam tres fuere 4, 3. Maiorem filium (sive filiam) statim post patris necem videntur occidisse. cf. Ryckius ad h. l.

plebis ira. De qua consulendus Dio 58, 12.

in carcerem filius imminentium intelligens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, quod ob delictum et quo traheretur? neque facturam ultra: et posse se puerili verbere moneri. Tradunt temporis eius auctores, quia triumvirali supplicio adfici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum iuxta compressam: exin oblisis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abiecta.

X. Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt acri magis quam diuturno rumore, Drusum Germanici filium apud Cycladas insulas, mox in continenti visum. et erat iuvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut agnitus per dolumque comitanti-

puella adeo nescia. Dio 58, 11. testatur hanc eandem fuisse, quam ante undecim annos filio Claudii desponderat Tiberius. cf. supr. 3, 29. Iam vero Ryckio mirum videtur, si fuerit *adeo nescia* annum aetatis duodecimum tum ad minimum agens. Sunt tamen verba, quae puellae duodecimum aetatis annum agenti et carnificis aspectu territae satis conveniant. Licet etiam suspicari hanc narratiunculam, uti fit, credulitate ortam et ornamenti causa additam. Talia enim non in acta referuntur. Hausit haec Tacitus e scriptore aliquo vel e commentariis privatis illius aetatis. Licet etiam suspicari Dionem l. l. errasse et minorem filiam esse intelligendam.

quia . . . inauditum habebatur. De eadem re Suet. Tib. c. 61. *quia more tradito nefas esset virgines strangulari.* Dio 58, 11. ὡς οὐχ ὅσιον ὄν, παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι. Unde cognoscitur triumvirale supplicium intelligi strangulationem eamque in carcere fieri solitam. *Virginem* Lipsius non simpliciter accipit, sed impubem investemque. Contra dicunt loca e Suet. et Dione adlata. Sine ulla restrictione ibi, ut apud Nostrum, sunt vocabula *virgines*, παρθενευομένη. Ceterum *habebatur* ut 3, 55. 6, 48. et alibi est pro *erat* h. e. non qualemcunque exprimit opinionem, sed certam persuasionem sive habitum animorum. — Cum Ryckio censeo hic Apicatae fata periisse, de quibus vid. Dio 58, 11. Nam quae supr. 4, 8 (*ut octo post annos cognitum est*) et c. 11. (*ordo . . . patefactus est*) breviter significavit, haud dubie amplius debuit hic exponere.

Cap. 10. *Drusum Germanici filium.* Qui tum in ima palatii parte custodiebatur. cf. Suet. Tib. c. 54.

velut agnitus. Ernestius coniectaverat: *velut agnitum*, ut penderet e *comitantibus.* Nam intelligere, *velut agnitus esset a se*, in hoc positu durum ipsi videbatur. Durum sane: sed quis tandem haec ita supplebit? Oberlinus, quum Lampugnanus e cod. Mirand. suo *agnitum* protulisset, magno adplausu Ernestii emendationem excepit, neque tamen recepit. Id postea fecerunt Rupertius et Lünemannus. Sed turbat copula *que* in *dolumque.* Quid igitur? Num delebimus copulam *que* cum Mureto? an cum Acidalio legemus *comitatus?* Traditam potius eamque sanam scripturam retinebimus. *Agnitus* pendet e *iuvenis* poscitque dativum *quibusdam libertis.* Dein Tacitus, uti solet, per copulam coniungit ablativum absolutum cum

bus. Adliciebantur ignari fama nominis et promptis Graecorum animis ad nova et mira: quippe elapsum custodiae pergere ad paternos exercitus Aegyptum aut Syriam invasurum fingebant simul credebantque. iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur laetus praesentibus et inanium spe, cum auditum id Poppaeo Sabino. is Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat. igitur, quo vera seu falsa anteiret, Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam Aegaei maris insulam et Piraeeum Atticae orae, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit: marique alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus ibi

praecedenti participio *agnitus*. cf. 4, 50. f. *sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis*; 6, 35. *praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium*. Sic *agnitus per dolumque comitantibus* sc. iisdem libertis. Mire Herrmannus: *et erat* (sc. visus) *iuvenis*. Interpretatur: *und es hatte diefs (sich sehen lassen) ein Jüngling* etc.

elapsum custodiae. Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. *lapsum custodiae*. Curtius 3, 13, 3. *Ille e manibus custodientium lapsus*. Edd. Lips. Pich. sqq. *lapsum custodia*, auctoribus Rhenano et Faërno. Eodem Rhenano, Lipsio gravissimisque aliis auctoribus Ernest. sqq. mutarunt in *elapsum*, restitueruntque *custodiae*. Nam dativus recte se habet. cf. Ovid. Metam. 9, 63. *elabarque viro longum formatus in anguem*. Et *custodiae* hic est pro *custodibus*. Quod autem Ernestius coniicit *custodias*, Broterius edidit *custodiam*, idque defendunt exemplo 1, 61. *pugnam aut vincula elapsi*, falsi sunt; nam ibi et Hist. 3, 59. *notitia locorum custodias Vitellii elapsum*, illud verbum alio significatu ponitur. Si quis elabitur custodiam, tum cautus est, ne in eam incidat; sin vero elabitur custodiae, tum e custodia, qua tenebatur, sese liberat.

et inanium spe. *Inania* duplici modo dicuntur, primum ea quae nullam habent vim aut veram dignitatem. cf. infr. 15, 31. Agr. c. 6. deinde etiam ea quae falso creduntur, sperantur. cf. supr. 2, 76. *inania famae*. Ovid. Metam. 11, 576. *reditusque sibi promittit inanes*. Hinc *spes inanium* est ea qua sperantur, quae effectum non habebunt. Sic Ovid. Met. 7, 336. *spes agitatis inanes*. Iam hic *laetus inanium spe* egregie opponitur *laeto* praesentibus. Nihili igitur sunt quae ad emendandum locum coniecere Freinshemius: *immanium spe*, et Wopkensius cum Heinsio: *inanium specie*.

Poppaeo Sabino. Sic edd. Rhenan. sqq. cf. 4, 46. Edd. Ber. Alc. *Pompeio S.*, quae utriusque nominis confusio satis frequens est vett. libris.

Achaiam quoque. Vid. 1, 76 et 80.

anteiret. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *antiret* e cod. MS. quem ita scribere diserte prodidit Beroaldus. *anteiret* edd. Lips. sqq.

Euboeam . . . evadit. Structura Graecorum, qui per accusativum denotant viam, qua quis utitur in eundo. cf. Matth. Gr. § 418. 3. Naudetus in indice *evadere* explicat *praetervehi*, quod non est satis aptum. Nam angustias Isthmi non praetervectus est, sed superavit.

demum cognoscit sollertius interrogatum, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum: et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tanquam Italiam peteret: scripsitque haec Tiberio. neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus.

XI. Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit. nam Trio facilis capessendis inimicitiis et foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat. ille, nisi lacesseretur, modestiae retinens non modo rettudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat. multisque patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

dixisse. Sic cod. MS. edd. Pichenae sqq. Edd. Ber. Alc. *foret? dixisse.* Edd. Rhen. sqq. ad Pich. *foret. dixit se* etc.

Silano. Edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *Sillano*, hic et alibi.

ascendisse. Sic edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald., non *adscendisse.* cf. Priscian. 1, p. 560. et Velius Longus p. 2225.

neque nos... comperimus. Dio 58, 25. de eadem re habet haec ad an. 787. *ἀλλ' ἐπειδὴ τάχιστα νεανίσκος τις, Δροῦσος λέγων εἶναι, περί τε τὴν Ἑλλάδα καὶ περὶ τὴν Ἰωνίαν ὤφθη, καὶ ἐδέξαντο αὐτὸν ἀσμένως αἱ πόλεις καὶ συνήροντο. κἂν ἐς τὴν Συρίαν προχωρήσας τὰ στρατόπεδα κατέσχεν, εἰ μὴ γνωρίσας τις αὐτὸν κατέσχε καὶ πρὸς τὸν Τιβέριον ἀνήγαγεν.* Zonaras p. 551. eadem fere habet et in fine addit: *ὁ δὲ* (Tiberius) *ἐν Ἀντίῳ τοὺς τοῦ Γαΐου γάμους ἑώρταζεν.* Quas nuptias Tacitus memorat infr. 6, 20. ad ann. 786.

Cap. 11. *capessendis.* Ed. Ald. *capescendis*, uti solet.

rettudit. Sic ed. Bekk. *retudit* edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *retulit* ed. Naudet.

noxium coniurationis. Genitivus supplementum est plerisque adiectivis, ut doceat, quo respiciant adiectivi, plane ut apud Graecos. cf. Hist. 1, 49. *suae parcus, publicae avarus* (sc. pecuniae). An. 4, 33. *callidi temporum.* Vid. Ramshorn. Gr. § 107. f.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER SEXTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Tiberii foedae libidines. 2. In Seiani et Liviae memoriam saevitur. Togonii adulationem princeps irridet, 3. Gallionis increpat et punit. Paconianus. 4. Latiaris. Dissidium consulum sedat Maximus. 5. Cotta Messallinus accusatus. 6. Tiberii confessio. Tyrannorum occulta supplicia. 7. Caecilianus, Servaeus, Thermus damnati. Delationes crebrae. 8. M. Terentius ob Seiani amicitiam accusatus egregie et libere se defendit et 9. absolvitur. Vestilius se interimit. Plures gregatim accusati.

10. L. Pisonis P. V. mors et funus. 11. Praefecturae urbis origo et progressus. 12. De Sibyllinis carminibus consultatio. 13. Seditio Romae ob gravitatem annonae coercita. 14. Equites Romani coniurationis crimine cadunt.

15. Germanici filiae L. Cassio et M. Vinicio locatae. 16. Feneratores accusati. repressae usurae. 17. Liberalitate Caesaris fides refecta. 18. Iterum accusationes maiestatis et 19. omnes societatis cum Seiano rei necati.

20. C. Caesar Claudiam ducit. Tiberii praesagium de Ser. Galba. 21. Ars Chaldaea. Thrasyllus. 22. De fato dubitatio. 23. Asinius Gallus obit. Mors Drusi miseranda. 24. In eum atrox Tiberii animus. 25. Agrippina perit inedia. 26. Cocceius Nerva sponte vita decedit. 27. Mors Aelii Lamiae, Flacci Pomponii, M. Lepidi.

28. Phoenix in Aegypto visa. Super ea narrationes et iudicia. 29. Labeo sponte moritur invidiam amoliente Tiberio. Scaurus damnationem anteit. 30. Varii cives urbe exacti. Gaetulicus mira fiducia evadit.

31. Parthis Artabanum amoturis et petentibus regem Tiberius dat Phraatem et 32. hoc mortuo Tiridatem destinat. Orienti Vitellium praeficit. 33—35. Parthos Armenii invadunt: hos Albani Iberique Thessalis orti iuvant. 36. Artabano in Scythiam profugo 37. Tiridates sufficitur. 38. Romae Tiberius saevire pergit. 39. Poppaeus Sabinus obit.

40. Mors Vibuleni Agrippae, Tigranis, Aemiliae Lepidae. 41. Clitas Cappadoces regi suo rebelles reprimit Trebellius. 42. Tiridates insigne regium accipit, 43. mox procerum dissidio pellitur 44. Artabano restituto.

45. Grave incendium Romae Tiberius liberalitate mitigat. Macro Caligulam captat. 46. Tiberius de successore deliberat. eius praesagium de Caligula. Morbum dissimulat. 47. Acutia damnatur. Albucilla impietatis in principem defertur. 48. Arruntius taedio temporum venas resolvit. 49. Papinius se praecipitat. 50. Tiberius defectionem suam tegit Chariclis medici astu compertam. Finit oppressus. 51. Eius varii casus et mors. Gesta haec annis circiter sex

CN. DOMITIO ET M. FURIO CAMILLO,
SER. SULPICIO GALBA ET L. CORNELIO SULLA,
PAULLO FABIO ET L. VITELLIO,
C. CESTIO GALLO ET M. SERVILIO RUFO,
Q. PLAUTIO ET SEX. PAPINIO,
CN. ACERRONIO ET C. PONTIO COSS.

I. Cn. Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant, cum Caesar tramisso, quod Capreas et Surrentum interluit, freto Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans: et saepe in propinqua digressus, aditis iuxta Tiberim hortis saxa rursum et solitudinem maris repetiit pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia: praepositique servi, qui quaererent, pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes,

COMMENTARIUS.

Edd. vett. unius libri nomine habent, quae nunc auctore Lipsio in librum quintum et sextum sunt partita. Copia rerum per triennium illud gestarum suffecisse videbatur ad unum librum explendum, neque e praecedentium librorum corpore credibile est Tacitum novem annorum res uno complexum esse libro.

Cap. 1. *digressus.* Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Ernestius sueto suo errore mutaverat in *degressus*. Rupertius et Lünemannus bene restituerunt *digressus*. Bekkerus et hic retinuit *degressus*. Mirum, quod *degredi* aliquem iubent ab insula Capreaurum in propinquá urbis. cf. not. ad 4, 74.

iuxta Tiberim hortis. Horat. Serm. 1, 9, 18. Sueton. Tib. c. 72. Iul. c. 83.

sellariorum et spintriarum. cf. Suet. Tib. c. 43. ibique interprett.

dona in promptos, minas adversum abnuentes. Intellige per syllepsin. cf. 2, 20. Inutili emen-

et si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.

II. At Romae principio anni quasi recens cognitis Liviae flagitiis ac non pridem etiam punitis atroces sententiae dicebantur in effigies quoque ac memoriam eius: et bona Seiani ablata aerario, ut in fiscum cogerentur, tanquam referret. Scipiones haec et Silani et Cassii iisdem ferme aut paulum immutatis verbis adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent. crediderat nimirum epistolae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis urbem peteret. Tiberius tamen ludibria seriis permiscere solitus egit gratis

datione Heinsius locum oneravit coniiciendo: *praepositique servi, qui quaererent, pertraherent, dono in promptos, minis adversum abnuentes, et si reniterentur propinquus aut parens. Reniterentur* etiam Rhenanus proposuit. *Adversum* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *adversus* edd. Oberlin. sqq. non video quo iure.

Cap. 2. *tanquam referret.* Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *cogerentur, tum rettulere Scipiones. Haec* etc. Sed postquam Pichena in cod. MS. invenerat *tam referret*, Lipsius verissime restituit *tanquam;* Pichena meliore distinctione locum iuvit puncto post *referret* posito.

adseveratione multa. cf. not. ad 4, 19.

Togonius Gallus . . . . auditur. Dio 58, 17. de eadem re: *τότε δὲ καὶ ἕτερόν τι γελοιότερον ἐγένετο. προχειρίσασθαί τε γὰρ αὐτὸν ὅσους ἂν ἐθελήσῃ σφῶν, καὶ ἐξ αὐτῶν εἴκοσιν, οὓς ἂν ὁ κλῆρος ἀποφήνῃ, φρουροῖς ὁσάκις ἂν ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσίῃ, ξιφίδια ἔχουσι χρῆσθαι ἐψηφίσαντο. τῶν τε γὰρ ἔξω πρὸς τῶν στρατιωτῶν τηρουμένων καὶ εἴσω μηδενὸς ἰδιώτου ἐσιόντος, δι' οὐδένα δηλονότι ἄλλον, ἀλλὰ δι' ἑαυτοὺς μόνους ὡς καὶ πολεμίους οἱ ὄντας τὴν φρουρὰν αὐτῷ δοθῆναι ἔγνωσαν.* Dio igitur omisso Togonii nomine universum senatum incusat.

orabat deligere. cf. not. ad 1, 35. nec audias, si quis emendet *deligeret.*

quotiens. Sic edd. Beroald. Alc. constanter. Rhenanus *quoties.*

epistolae. Edd. Beroald. Alc. Rhen. e cod. MS. *epistulae.* Intellige epistolam, quam ad senatum scripserat de opprimendo Seiano. cf. Dio 58, 10. *ὡς γοῦν οὐδὲ τὴν ὁδὸν ἀσφαλῶς ποιήσασθαι δυνάμενος τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων μετεπέμψατο.* Sueton. Tib. c. 65. Iuvenal. 10, 71.

alterum ex consulibus. Memmium Regulum. *ὁ γὰρ συνάρχων αὐτοῦ τὰ τοῦ Σηϊανοῦ ἐφρόνει.* Dio 58, 9.

egit gratis. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Iac. Gronov. Ernest. sqq. (Sed iidem libri 4, 15. *grates agere;* 1, 69. *laudes et gra-*

benevolentiae patrum: sed quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem an subinde alios? et honoribus perfunctos an iuvenes? privatos an e magistratibus? quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret. Haec adversus Togonium verbis moderans: neque ultra abolitionem sententiae suadere.

III. At Iunium Gallionem, qui censuerat, ut praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit velut coram rogitans, quid illi cum militibus? quos neque dicta imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset. repperisse prorsus, quod divus Augustus non providerit. an potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret? Hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus: et quia incusabatur facile toleraturus exsilium delecta Lesbo insula nobili et amoena, re-

tes habentem.) Ed. Ald. *grateis.* Mox vulgatum fuit *gratias.*

iuvenes. Sic infr. 13, 25. *Iulius Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset.* Sueton. Oct. c. 38. *Liberis senatorum, quo celerius rei publicae adsuescerent, protinus virilem togam latum clavum induere et curiae interesse permisit.*

neque ultra abolitionem etc. Nempe acerbius in Iulium Gallionem.

Cap. 3. *At Iunium Gallionem, qui censuerat* etc. De eadem re cf. Dio 58, 18. Hic an sit frater Senecae, de quo infr. 15, 73. et Actor. Apost. 18, 12. non ita certum esse videtur, quam interpretes ad h. l. putant. Reimarus ad Dion. l. l. diversum utrumque dicit.

quos neque dicta imperatoris... par esset. Non haeret, uti ad h. l. scribit Lipsius, sed bene fluit sententia; haerent interpretes et quidem loco planissimo. *Dicta imperatoris*, ut supra 2, 45. *dicta imperatorum*, sunt dicta vel iussa imperatoria h. e. imperia. cf. 4, 2. Hist. 2, 19. Dicit Tiberius: quia non decet milites imperia accipere nisi ab imperatore, neque par est praemia eos exspectare nisi ab imperatore. Sed coniecturis suis indulgent interpretes. Lipsius: *dicta non imperatoris*, vel *dicta*, deleto vocabulo *imperatoris.* At non delendum, sed potius post *praemia* iterum intelligendum esse censeo. Alii cum Rhenano et Harlaeo volunt: *neque dicta nisi imperatoris.* Ita Victorius correxit in s. ex. ed. Beroald. Muretus pro *dicta* substituebat *edicta.* Sed vid. loc. 2, 45.

repperisse prorsus. Sc. Gallionem. Per ironiam dicta. Ed. Beroald. hoc loco *reperisse;* alibi constanter *repper.* Ita et hic Rhenanus et nuper Bekkerus.

trahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum. Iisdem litteris Caesar Sextium Paconianum praetorium perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem delectumque a Seiano cuius ope dolus C. Caesari pararetur. quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia, et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.

IV. Ut vero Latinium Latiarem ingressus est, accusator ac reus iuxta invisi gratissimum spectaculum praebebatur. Latiaris, ut rettuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit. Inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris

Sextium P. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *Sestium Pagonianum.* Sed infr. c. 39. *Sextii Paconiani*, unde hunc locum emendavit Lipsius.

pridem. Edd. Beroald. Alciat. Rhenan. Ald. sqq. *per idem.* Lipsius verissime emendavit *pridem.*

decernebatur, ni. Vid. not. ad 1, 23 et 35.

Cap. 4. *ingressus est.* Lipsius corrigit *aggressus est.* Adsentiunt multi, interque eos Wopkensius. Alii cum Ernestio *ingredi* pro *aggredi* dici scribunt. Rhenanus suspicabatur legendum esse: *ut vero Latini Latiaris ingressus est accusator Arius* etc. secundum locum 16, 30. *atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur.* Sed ipsum Paconianum intelligendum esse accusatorem e contextu satis patet. Quare *ingressus est* accipe vulgari illo significatu, quo est *incepit.* cf. infr. 11, 2. *ingressus defensionem.* Plin. epp. 3, 9. *Horum antequam crimina ingrederer, necessarium credidi elaborare* etc. Cic. pr. Caecin. c. 28. *disputationem ingredi.* Virgil. Aen. 6, 867. *tum pater Anchyses lacrimis ingressus obortis.* Sic Paconianus promiserat indicium, et postquam permissum, ut indicium ederet, ingressus est Latinum Latiarem. Passim ita accusativus iungitur verbis intransitivis cf. Caes. B. G. 1, 39. *suum fatum querebantur.* Cic. de off. 3, 10. *qui stadium currit.* Virg. Aen. 6, 121. *itque reditque viam.* Nostrum locum recte interpretatus est Bahrdtius: *Da er aber den L. L. nannte* etc.

accusator ac reus. Edd. Beroald. Alc. *accusator: acrius.* Edd. Rhen. Ald. *accusator Acrius.* In castigatt. mavult Rhenan. *Arius.* Verissime Lipsius: *ac reus.*

praebebatur. Sic libri veteres. Perperam alii corrigunt: *praebebant*, alii: *praebebantur*, alii verba *gratissimum spectaculum praebebatur* ante *accusator* ponunt. At *accusator* et *reus* non praebebantur, quod dici absurdum est, sed gratissimum spectaculum praebebatur, idque spectaculum erant accusator ac reus iuxta invisi.

ut rettuli. cf. 4, 68.

luendae poenae primus. De genitivo cf. not. ad 5, 11.

inter quae. Sic edd. Alc. Rhen. sqq. Ed. Beroald. e vitio typ. *interque*, quod Victorius in s. ex corr. *inter quae.*

invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent? metum prorsus et noxiam conscientiae pro foedere haberi: at non patribus reticenda, quae audivissent. Regulus manere tempus ultionis seque coram principe exsecuturum: Trio aemulationem inter collegas, et si qua discordes iecissent, melius oblitterari respondit. urgente Agrippa Sanquinius Maximus e consularibus oravit senatum, ne curas imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis. Sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quaesita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus et ob segnitiam quamvis crudelem principem non metuens inlustribus viris perniciem inter ganeam ac stupra meditabatur.

V. Exin Cotta Messallinus saevissimae cuiusque sententiae auctor eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: C. Caesarem quasi

intenta. Metaphora translata a sagitta, quae intenditur in aliquem. Sic Sueton. Dom. c. 8. *cui adulterii crimen intenderat.* Tac. An. 1, 39. *intento mortis metu.*

noxiam conscientiae. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alciat. *noxam c.* edd. Rhenan. Ald. Lips. Grut. Pichena e cod. MS. veterem scripturam restituit. Sunt qui nil interesse putent. Alii *noxiam* esse culpam, *noxam* vero damnum, poenam. Tacitus sane id discrimen observasse videtur. cf. 2, 6. *ut sine noxa siderent* (naves). Frustra autem coniecturis indulsisse videntur interpretes. Groslotius: *noxae conscientiam*; Pichena: *noxiam conscientiam*; Ernestius: *obnoxiam conscientiam*; Heinsius: *noxia conscientiae.* Lipsius etiam volebat *habere* pro *haberi.* Sed *haberi* ut saepe ita et hic est pro *esse.* cf. not. ad 5, 9. Est criminatio et adseveratio in verbis, non coniectura. Germanice: *Furcht, behauptete er (prorsus) und Schuldbewufstsein vertrete hier die Stelle eines Vertrags.*

somno. cf. Hist. 2, 90. *somno et luxu pudendus incessit.* Inertem, socordem innuit hominem.

Cap. 5. *arguitur pleraque.* Sunt qui *pleraque* virgula interposita seiungant a verbo *arguitur* atque trahant ad sequentia addita praepositione *in*, ut Cotta *pleraque in C. Caesarem dixisse* dicatur. Sed Tacitus aperte sibi vult, pleraque h. e. multa fuisse, quae Cottae obiicerentur, idque docent sequentia. Iam vero nil impedit, quo minus legamus *arguitur pleraque.* cf. 4, 28. *falsa exterritum.* Infra *neque cuncta revincebatur.* Liv. 1, 35. *virum cetera egregium.* Deinde exempli causa referuntur, quae dixit de Caio Caesare, de coena illa, de Tiberiolo suo. Verba: *C. Caesarem quasi incestae virilitatis ... dixisse*, structura sua non minus bene se habent quam si legeris: *pleraque in C. Caesarem ... dixisse.* Nam *dicere aliquem quasi incestae virilitatis* significat, ita loqui de aliquo quasi sit incestae virilitatis.

incestae virilitatis, et cum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, novemdialem eam coenam dixisse.

incestae virilitatis. Explicant: *virilitatem incesto contaminatam.* Iam vero potissimum quaeritur, quod incestum hic sit intelligendum. In universum ea vox significat libidines monstrosas, naturae et religioni repugnantes, uti est res, quam vir habet cum viro (Sueton. Tib. c. 43.), filius cum matre (Suet. Ner. c. 28.) taliaque; porro stupra Vestalium (Suet. Dom. c. 8.). Hic virilitatem incestam intelligemus de virilitate maribus prostrata, nisi si malis interpretari de eo, quod illum impuberem adhuc abusum virilitate scribit Sueton. Cal. c. 24. *Ex his Drusillam vitiasse virginem praetextatus adhuc creditur.* Ne tamen putes *incestam virilitatem* eo respicere, quod frater cum sororibus rem habuisse dicitur; ea enim non est *virilitas* incesta, sed incestum simpliciter vel incesta libido. Vocabulum *incestae virilitatis* spectat ad impudicitiam, quae it contra naturam viri aut qua quis abutitur virilitate. Coniectura Freinshemii: *Caiam Caesarem quasi incertae virilitatis*, quae placet Ryckio, Iac. Gronovio, Ernestio, ingeniosa quidem, attamen acutior est neque necessaria. Edd. Beroald. Alc. habent *incesta virilitatis;* edd. Rhenan. sqq. *incestae.*

die natali Augustae. Lipsius corrigit *Augusti*, quoniam Liviae natalem post mortem eius epulo ludisve celebratum non invenit. De Augusto autem id satis certum est. Alii tamen censent natalem Augustae, de quo hic sermo est, potuisse etiam celebrari vivae adhuc. Potuit haud dubie, nec quisquam natalem Augustae, quoad vixit, celebrari solitum dubitabit. Nam idem honos habebatur Seiano secundum Dion. 58, 2. Caio Caesari, Iuliae filio, ut testatur idem Dio 54, 8. Attamen Livia obiit an. urb. 782. iam vero narrantur res anni 785. et Tacitus, si tam veterem rem intelligeret, addidisset, ut mihi videtur, vocem aliquam, *quondam* vel simile quid. — At Tiberius vetuit honores Augustae defunctae ab senatu decretos. — Vetuit, neque tamen aperto odio aut praerupta detrectatione, sed specie moderationis. cf. 5, 2. Nec omnes omnino honores memoriae matris negavit, sed *honores memoriae eius ab senatu large decretos imminuit paucis admodum receptis.* Dio autem 58, 2. οὐ μέντοι καὶ μόνα οἱ ἡ βουλὴ, ὅσα ἐκεῖνος (Tiberius) ἐπέστειλεν, ἐψηφίσατο, ἀλλὰ κ. τ. λ. Inde satis apparet, honores haud dubie in memoriam Augustae adprobante ipso Tiberio esse institutos, neque tamen nimios. Nimirum ne coelestis religio decerneretur, intercessit Tiberius. Iam quaeritur, an epulae die natali Augustae celebratae sint coelestis religio. Non puto. Quodsi accipis epulas post mortem Augustae celebratas, nil nos morabitur *novemdialis coena*, quam quo sensu potissimum Cotta dixerit, valde ambigunt interpretes. Alii coenam novemdialem illi dictam putant, quod plane fuerit taciturna ob metum ex multiplici caede ortum; alii, quod Augusta Tiberium pepererit feralem et exitiosum plurimis; alii, quod morti proxima tum Livia fuerit; alii, ob intermortuam Liviae potentiam; alii alia. Merito Tacitus negligentiae incusandus erit, si tam obscurum tectumque vocis sensum ne uno quidem verbo aperuit. Quod quia non fecit, tutissimum erit, ut simplicissima loci interpretatione utamur. Epulas celebrant in memoriam demortuae Augustae, non tamen novemdiales, quae mortuis vulgo celebrari solebant, sed in praecipuum illius honorem decretas et natali eius die. Cotta autem eam coenam dicit novemdialem (*ein Leichenessen*), qui iocus non poterat non in contemptum Augustae accipi.

querensque de potentia M. Lepidi ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse: „illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus „meus." neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur, iisque instantibus ad imperatorem provocavit. nec multo post litterae adferuntur, quibus in modum defensionis repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit. Insigne visum est earum Caesaris litterarum initium.

VI. Nam his verbis exorsus est: „Quid scribam „vobis P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino „non scribam hoc tempore, dii me deaeque peius per„dant, quam perire me quotidie sentio, si scio." Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes,

querensque. Sic edd. Alc. Rhenan. sqq. *quaerensque* ed. Beroald. quae saepius ita confundit *ae* et *e*. Victorius in s. e. correxit *querensque*. Edd. Lips. et Grut. *querentemque*. Pichena e MS. veterem scripturam restituit.

neque cuncta. Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *neque cunctatus*. Edd. Lips. Grut. *neque contatius*. Pichena e cod. MS. reposuit *neque cuncta*; suspicatus tamen est legendum; *eaque cuncta*; Heinsius: *quin aeque cuncta*; Iac. Gronovius: *illos quidem senatus, me autem? Tuebitur Tiberiolus meus me: quae cuncta.* Frustra. Duo Noster adfert, quae accusationis eventum impedierint: primum quod non cuncta revincebatur, alterum quod ad imperatorem provocavit, quum primores civitatis nihilominus instarent.

in crimen duceretur. H. e. crimini duceretur. Aptissime Wopkensius attulit Sallust. Iug. c. 85. *ne quis modestiam in conscientiam duceret.*

Cap. 6. *quid scribam.* cf. Suet. Tib. c. 67.

perire me. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. prima. Suetonius l. l. omittit *me*, eoque auctore et editores quidam Taciti (Lips. Pich. Grut. Bernegg. Gronov. Ryck.). Recentiores inde a Iac. Gronovio Tacito restituere.

verterant. Intransitive, ut infr. c. 46. *ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent*; 11, 28. *si res verterent.* German. c. 31. *apud Cattos in consensum vertit.*

praestantissimus sapientiae. Cic. de senect. c. 21. *is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus.* Id. de amicit. c. 2 et 4.

firmare. Eodem sensu c. 28 et 50. Utitur saepius verbis simplicibus pro compositis. Sic infr. c. 9. *noscere* pro *cognoscere.* T. 11.

si recludantur etc. Ad sensum sunt apud Platon. de Rep. 9, p. 579.

posse aspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.

VII. Tum facta patribus potestate statuendi de Caeciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, placitum eandem poenam inrogari quam in Aruseium et Sanquinium accusatores L. Arruntii. quo non aliud honorificentius Cottae evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur. Quintus Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti, Servaeus praetura functus et quondam Germanici comes, Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia: unde illis maior miseratio. contra Tiberius praecipuos ad scelera increpans admonuit C. Cestium patrem dicere senatui, quae sibi scripsisset: suscepitque Cestius accusationem. quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos

Cap. 7. *Caeciliano.* Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *Caesiliano;* sed iidem libri 3, 37. idem nomen, non eundem virum habent *Caecilianum.* cf. 16, 34. Unde restituit Lipsius.

inrogari. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. Bekker. Alii *irrogari.*

Aruseium. Reinesius emendat: *Aruleium.* Hoc enim nomen usitatius est (c. 40.) inveniturque in inscriptt. Illud nemo unquam audivit.

accusatores L. Arruntii. De quis haud dubie locutus erat in iis, quae deperdita dolemus.

inducti. Int. in senatum, ut supr. 4, 28. Nam in rebus apud senatum actis Noster hic versatur; quare non opus fuit addi *in senatum*, quod per se intelligitur.

C. Cestium patrem. Ita Lipsius id nomen restituit ex inscriptt. et nummis. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. *C. Caestium* scribunt. Pro *patrem* Lipsius coniecit ponendum *praetorem*, quia mox refertur inter primores civitatis, nil autem constat de duobus tum temporis *Cestiis*, patre et filio. Nec deest inscriptio sepulcralis, quae C. Cestium praetorem nominet. At Cestius noster consul fuit. Rupertius aliique *patrem* intelligunt *conscriptum* h. e. senatorem, neque tamen exemplis eum usum probant. Ita cuncta incerta manent. Nam licet *filius Cestius* nusquam memoretur, potuit memorari in libris deperditis.

a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio quaqua de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valetudine et contactu. Sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere. tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus e Santonis Gallica civitate, Seius Quadratus: originem non repperi. neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas, dum copia fatiscunt aut, quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos adficerent, verentur. nobis pleraque digna cognitu obvenere quanquam ab aliis incelebrata.

VIII. Nam ea tempestate, qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus M. Terentius ob id reus amplecti ad hunc modum apud senatum ordiendo: „Fortunae quidem meae fortasse minus „expediat agnoscere crimen quam abnuere. sed utcun-

repens. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Et ne cum Iucundo Veronensi corrigas *recens*, cavent exempla infr. 11, 24. *non ... repens, sed priori populo factitatum est;* 15, 68. *accesserat repens causa.* Hist. 4, 25. *repens perfidia.* Neque est, quod in hac voce offendamus; immo accuratum hic scriptorem cognoscimus, qui diligenter discernit *recens* h. e. usu nondum tritum *(neuf)* et *repens* h. e. prius incognitum, nuper ortum vel factum *(nouveau)*.

properat. Frustra lacessunt coniiciendo *poterat* (Lips.), *properabat* (Muret.), *properarat* (Heins.). Nam et verbum iustum est (qui vult praevenire, is properat) et tempus praesens in tali contextu Tacito usitatissimum. Vide mox *fatiscunt.* cf. not. ad Hist. 3, 10. sub v. *aspernantur*, ad An. 2, 23. sub v. *praecipitantur*. Praecedens *incusabatur* multum abest, ut requirat *properabat* vel *properarat*.

contactu. Ed. Oberl. operarum errore *contractu*, quod repetitum invenies in edd. aliis quibusdam. Veram scripturum reposuere Naudetus, Lünemannus, Bekkerus.

indicibus accessere. Ut supr. c. 3. f. Paconianus.

originem non repperi. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. omnes. Nec opus est emendatione: *cuius or. non r.*, quam e cod. Ursini adferunt. Ceterum *originem* intellige Quadrati, h. e. unde ortus sit. Kiessl. „vult originem calamitatis eorum."

ne pari. Sunt edd. quae habent *nec pari.* Sed locus cohaeret sic: *aut verentur, ne pari ... adficerent, quae ... fuerant.* Similis plane membrorum inversio est infr. 12, 2. *et familiae ... quae.* Vide ibi not.

Cap. 8. *amplecti.* Heinsius frustra auget: *palam amplecti.* Verbum sine adverbio sufficit. Ad orationem Terentii Lipsius aptissime excitat Curt. 7, 1. cf. ibid. 6, 10.

agnoscere. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *adnoscere.* Sed

„que casura res est, fatebor et fuisse me Seiano amicum „et, ut essem, expetisse et, postquam adeptus eram, „laetatum. Videram collegam patris regendis praetoriis „cohortibus, mox urbis et militiae munia simul obeun„tem. illius propinqui et adfines honoribus augebantur: „ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam „validus: contra, quibus infensus esset, metu ac sor„dibus conflictabantur. nec quemquam exemplo ad„sumo: cunctos, qui novissimi consilii expertes fuimus, „meo unius discrimine defendam. non enim Seianum „Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem, „quas adfinitate occupaverat, tuum, Caesar, generum, „tui consulatus socium, tua officia in re publica capes„sentem colebamus. Non est nostrum aestimare, quem „supra ceteros et quibus de causis extollas. tibi sum„mum rerum iudicium dii dedere: nobis obsequii gloria „relicta est. Spectamus porro, quae coram habentur, „cui ex te opes, honores, quis plurima iuvandi nocen„dive potentia: quae Seiano fuisse nemo negaverit. ab„ditos principis sensus, et si quid occultius parat, ex-

iidem libri 2, 17, *adgnitum;* ib. c. 21. *adgnosceretur;* ib. c. 30. *adgnoscentes;* 3, 41. *adgnoscendum;* et sic 4, 34. 63.

novissimi consilii. H. e. quod Seianus ceperat de tollendo Tiberio. cf. Ioseph. Ant. 18, 8. Tacit. infr. *consilia caedis adversum imperatorem.* c. 47. *Satrio Secundo coniurationis indice.*

sed Claudiae et Iuliae. Cod. MS. edd. Beroald. Alc. *et Claudiae et Iuliae.* Defendit Iac. Gronovius, et sunt permulta exempla, ubi *sed* non additur. cf. not. ad 4, 35. Hic tamen bene Rhenanus dedit: *sed Cl. et I.* Nam duplex *et* sensum loci detorquet, ut *non* etiam pertineat ad *Claudiae et I. d. partem*, antithesis demum incipiat a verbis: *tuum, Caesar, generum,* quod ineptum est. Nec distinguendae erant *Claudia et Iulia domus*, sed coniungendae. Crollius legit: *at Claudiae et Iuliae.* Haud inepte. cf. Cic. Att. 7, 11. *Non est in parietibus res publica, at in aris et focis.*

quas adfinitate occupaverat. Nempe cum adfinitate, qua illum extulerat Tiberius filio Claudii filiae Seiani destinato, cf. supr. 3, 29. tum ea qua Iuliam neptem suam Tiberius Seiano desponderat, cf. not. ad 5, 6. Cave igitur, ne cum Lipsio aliisque *Iuliae domus partem* intelligas de matrimonio, quod Seianus inire cupiverat cum Livilla. cf. 4, 39. 40. Nam id matrimonium ne destinatum quidem fuit; immo Tiberius id recusavit.

generum. Ernestius Seianum ita dici iubet ob opinionem destinatae ipsi Liviae. Sed vide proxime notata et not. ad 5, 6.

tua officia in r. p. c. Κοινωνὸν τῶν φροντίδων. Dio 58, 4. cf. not. ad 5, 6. et Dio 57, 21. Tac. An. 4, 2. Mox ed. Ald. *capescentem*, uti solet.

„quirere inlicitum, anceps: nec ideo adsequare. Ne „. P. C. ultimum Seiani diem, sed sedecim annos cogita„veritis. etiam Satrium atque Pomponium veneraba„mur: libertis quoque ac ianitoribus eius notescere pro „magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta haec „defensio et promiscua dabitur? immo iustis terminis „dividatur. insidiae in rem publicam, consilia caedis „adversum imperatorem puniantur: de amicitia et offi„ciis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit."

IX. Constantia orationis, et quia repertus erat qui efferret, quae omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exsilio aut morte multarentur. Secutae dehinc Tiberii litterae in Sex. Vestilium praetorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat. causa offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quaedam in C. Caesarem ut impudicum, sive ficto habita fides. atque ob

nec ideo adsequare. H. e. licet inlicitam illam et ancipitem scrutationem instituas, ideo non adsequare. Perperam Heinsius corrigit: *nec adeo.* Mox *sedecim* cod. MS, edd. Iac. Gronov. sqq. *sexdecim* edd. Ber. sqq.

Satrium. cf. 4, 34. ubi Satrius Secundus Seiani cliens dicitur; idem postea coniurationis index fuit. cf. infr. c. 47.

Pomponium. cf. 5, 8. Lipsius intelligit *Q. Pomponium*, de quo infr. c. 18. Sed Pomponium Secundum Seiani amicum fuisse scimus e loco 5, 8; de Quinto nil tale innotuit.

libertis quoque ac ianitoribus etc. Dio 58, 5. σπουδαί τε καὶ ὠθισμοὶ περὶ τὰς θύρας αὐτοῦ ἐγίγνοντο ἐκ τοῦ δεδιέναι, μὴ μόνον μὴ οὐχ ὀφθῇ τις αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ καὶ ἐν τοῖς ὑστάτοις φανῇ.

Cap. 9. *multarentur.* Sic edd. Beroald. Alc. et recentiores inde a Lips. prima. Edd. Rhenan. Ald. *mulctarentur.* cf. not. ad 1, 77.

percarum. Sic edd. Beroald. et recentt. *percharum* edd. Alc. Rhenan.

in cohortem suam. Intell. amicorum. cf. not. ad 1, 29.

seu composuerat. Wopkensius suspicatur Tacitum scripsisse: *quod composuerat*; nam *seu* pro *seu quod* ipsi durior videtur dicendi ratio. Sane habet Noster *sive quod — sive* — infr. 12, 38. Sed multum interest inter utramque locutionem. Si scribis: *quod composuerat* vel *seu quod composuerat*, tum adfirmas illum composuisse, idque solum in dubio relinquis, utrum hoc an illud pro causa offensionis sit habendum: quae ratio ab hoc loco est aliena, propria loco 12, 38. Sin dicis: *seu composuerat*, *sive ficto* etc. tum dubium esse dicis, utrum composuerit ille quaedam in C. Caesarem, an ficto habita sit fides. causam vero inde esse repetitam, quod composuisse incusaretur. Hoc sibi vult Tacitus. Ceterum formula *sive — sive —*, vel *seu — seu*, vel *sive — seu*, vel denique *seu — sive* — exacte respondet graecae voci εἴτε — εἴτε. cf. 12, 8. 1, 10. 1, 60. Germ. c. 34. Legitur etiam *sive — an*, cf. 11, 26.

id convictu principis prohibitus cum senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas: precatusque per codicillos immiti rescripto venas resolvit. Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio maiestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adiiciebatur, clari genus et quidam summis honoribus. contremuerantque patres (nam quotus quisque adfinitatis aut amicitiae tot inlustrium virorum expers erat?), ni Celsus urbanae cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Caesar Pollionis ac Viniciani Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.

X. Ne feminae quidem exsortes periculi. qua occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur: necataque est anus Vitia Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset. haec apud senatum. Nec secus apud principem Vescularius Atticus ac Julius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium, Rhodum secuti et apud Capreas individui. Vescularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino participe

convictu principis. Intellige virum e cohorte principis dimissum.

immiti rescripto. Mira brevitas in dicendo. Simile quid vid. Hist. 2, 82. *eoque exercitu meliore.*

Vinicianus. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *Vicinianus.* Emendavit Lipsius e Dion. 60, 15. eiusque emendationem e cod. MS. confirmavit Pichena.

ni Celsus ... exemisset. cf. not. ad 4, 64. Elliptice enim et hic Noster loquitur.

nosceret. H. e. cognosceret. cf. 12, 60. et not. ad 3, 59.

Cap. 10. *exsortes.* Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *exortes.* Sic eaedem scribunt *exequi*, *exolvere*, *expectare* idque genus alia.

qua occupandae r. Muretus corrigit *quia*, Huetius *quae*, Kiesslingius *quando.* Heinsius tuetur *qua*, ut sit pro *quatenus.* Recte. Imitatur Graecos, qui ita ponunt ᾗ, sequente vel omisso vocabulo ταύτῃ. cf. Viger. c. 2. reg. 8.

Fufii. Libri vett. *Fusii.* Sed vide not. ad 5, 1.

haec apud senatum etc. Edd. vett. distinguunt: *Haec apud senatum. Nec secus apud principem. Vescularius* etc. Melius edd. recentt. uti edimus. *Haec* sc. *Vitia.* Vulgo accipiunt in numero plurali.

Vescularius Atticus. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Pichena substituerat *Flaccus* pro *Atticus* ob locum 2, 28. Ryckius veterem scripturam revocavit admonuitque duplex cognomen potuisse viro esse.

secuti. I. Fr. Gronovius emendandum censuit *secutis.* Sed distingue: *e vet. familiarium* (sc. ὄντες), *Rhodum secuti et ap. C.*

Seianus Curtium Atticum oppresserat. quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse.

Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi: aetas ad octogesimum annum processit: decus triumphale in Thracia meruerat. sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.

XI. Namque antea profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus

individui. Bene sic Bekkerus. Vulgo ante *Rhodum* omittunt virgulam, ponunt post *secuti.*

Curtium Atticum. cf. 4, 58.

L. Piso pontifex. Dio 58, 19. τόν τε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησεν. Hinc Lipsius suspicatur hoc etiam in loco pro *pontifex* scribendum esse *p. u.*, ut sit *praefectus urbi.* Sed quum deinde Noster fusius dicat de Pisonis praefectura, inutilius videri poterit titulum illum nomini addi. Quanquam de Pisonis pontificatu nil innotuit. Naudeti index hunc L. Pisonem mire confundi tcum Calpurnio Pisone, qui memoratur 2, 34. 3, 11. 3, 68. 4, 21.

memoravi. De hac re nihil apud Tacitum reperitur.

in Thracia meruerat. Vellei. 2, 98. Dio 54, 34. Cod. MS. dat *in Thraecia.*

praefectus urbi. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Sed Wopkensio auctore plerique nunc edunt *praefectus urbis*, uti est 4, 36. cf. ibi not. Cuius tamen mutationis non erat iusta causa, quia utraque formula Nostro usurpatur. cf. 1, 20. *mox castris praefectus.* Etenim dativum ponit, quotiens *praefectus* est pro participio; genitivum, quotiens pro substantivo.

recens continuam. Ita e Wopkensii sententia *recens* coniunge cum *continuam*, ut sit potestas nuper demum continua facta. Nam vocabulum *recens* neque ex scriptoris aetate, neque ex illo anno, cuius nunc describit res, sed ex illo tempore, quo Piso primum urbi praeficiebatur, intelligendum est. Continua praefecti urbis potestas tum, cum Piso eam capesseret, recens erat. Frustra igitur Rupertius docet *recens* et *nuper* de tempore satis longo dici. Priores interpretes solebant coniungere: *praefectus urbi recens.* Quae cum parum elegans locutio esse videretur, Ernestius coniecit Tacitum scripsisse *creatus;* Wopkensius tentabat *gerens.* Iam nil opus est emendatione, et ne illa quidem, quam Baumgarten-Crusius proposuit ad Sueton. Tib. c. 42. *recens conditam* vel *constitutam.* Vir doctissimus non animadvertit, quam accurate sibi invicem respondeant vocabula: *continuam* et *in tempus deligebatur.* Nec omnino Noster de praefectura urbis ut de recens condita potestate loquitur, verum ex antiquitate eam repetit.

Cap. 11. *profectis domo.* Sic edd. Rhenan. sqq. et sic Victorius correxit in ex. suo Beroald., in quo fuerat *praefectis demum.* Sic et Alc.

in tempus. cf. not. ad 4, 66.

deligebatur, qui ius redderet ac subitis mederetur. feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos. dein consules mandabant: duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit. mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia sumpsit e consularibus, qui coerceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. primusque Messalla Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit quasi nescius exercendi. tum Taurus Statilius quanquam provecta aetate egregie toleravit. dein Piso viginti per annos pariter probatus. publico funere ex decreto senatus celebratus est.

qui ius redderet. cf. not. ad 1, 72.

Numam. Edd. Beroald. Alc. *Mumam*, quod Victorius in suo ex. corr. *Numam* et ita edd. Rhenan. sqq.

consules mandabant. cf. Liv. 3, 3 et 9.

duratque simulacrum. Nam Augustus teste Dione 54, 17. instituit: τὸν πολίαρχον τὸν ἐς τὰς ἀνοχὰς καθιστάμενος ἕνα ἀεὶ αἱρεῖσθαι. Id. 60, 5. Sueton. Ner. c. 7.

Cilnium Maecenatem ... praeposuit. Dio 49, 16. Vellei. 2, 88. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *Mecoenatem*, uti solent; et *Cillinium* pro *Cilnium*. Vulgatam scripturam Lipsius instituit. Ursinus volebat *Cilinium.*

mox etc. Dio 52, 21. Sueton. Oct. c. 37. Officia praefecti accuratius describit Dio l. l. et *Hotomann de magistr. Rom.* (Thesaur. II. p. 1873.) Gell. 14, 8.

e consularibus. Dio 52, 21. ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων. Vide eund. Dion. 78, 14.

primusque Messalla Corvinus. Dio de huius praefectura tacet. At 54, 6. Agrippam ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει missum ab Augusto tum in Sicilia absente refert. Ea tamen missio extraordinaria fuit ad sedandos populi tumultus super creandis consulibus exortos; praefecturam urbis, de qua hic quaeritur, ei non tribuit Dio loco laudato. Inter urbis praefectos tamen Agrippam numerat, quia c. 19. scribit: τὸ μὲν ἄστυ τῷ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας διοικεῖν ἐπιτρέψας, τόν τε γὰρ Ἀγρίππαν ἐς τὴν Συρίαν αὖθις ἐστάλκει.

Taurus Statilius. Dio 54, 19.

viginti per annos. Nesciunt interpretes, quomodo viginti hi anni possint conciliari cum verbis Plinii 14, 22. (*eaque commendatione credidere L. Pisonem urbis Romae curae ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus per potationem continuasset apud ipsum iam principem*); et Suetonii Tib. c. 42. (*Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim de-*

XII. Relatum inde ad patres a Quintiliano tribuno plebei de libro Sibyllae, quem Caninius Gallus quindecimvirum recipi inter ceteros eiusdem vatis et ea de re senatus consultum postulaverat: quo per discessionem facto misit litteras Caesar modice tribunum increpans ignarum antiqui moris ob iuventam. Gallo exprobrabat, quod scientiae caerimoniarumque vetus incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut adsolet, lecto

tulit). Nam Tiberius Augusto successit an. urb. 767. Piso obiit 785. Unde igitur viginti anni? Hinc Lipsius corrigendum censebat: *X annos;* Ernestius: *XV annos*, vel numerum certum pro incerto positum putabat. At videntur nimis premere vocabulum *principis*, quod est apud utrumque scriptorem. Nam princeps Tiberius factus est eo tempore, quo Augustus collegam imperii eum adsumpsit. cf. supr. 1, 3. ibique not. Idque accidit ante annum u. 765. Nam Sueton. Tib. c. 21. refert legem illam, ex qua T. provincias cum Augusto communiter administraret, latam esse non multum post dedicatam Pollucis et Castoris aedem, quae dedicatio facta est an. u. 759. secundum Dion. 55, 27. cf. Vellei. 2, 121. qui ante triumphum narrat legem illam latam. Iam quis dubitet Tiberium collegam imperii potuisse Syriae provinciam tradere Pomponio, praefecturam urbis Pisoni? Idque factum esse ante Augusti obitum, alia etiam sunt indicia. Suetonius compotationem, quae utrique viro potestatem suam meruit, scribit accidisse in ipsa publicorum morum correctione Tiberio demandata, eaque correctione Tiberius fungebatur cum Augusto collega. cf. Sueton. Tib. 21. *simulque censum ageret.* Id. Oct. c. 97. *vota, quae in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit.* Vid. et monim. Ancyr. Quod attinet ad Syriae administrationem Pomponio demandatam, nihil constat de anno, quo primum ille in eam provinciam abierit. Moesiam administrabat an. 772. cf. supr. 2, 66. Propraetor Syriae obiit an. 786. cf. infr. c. 27. Sed potuit ante Moesiae administrationem Syriae praeesse, inde Romam redire ad capessendum consulatum an. 770. (Tac. 2, 41. Dio 57, 17.), consulatu functus in Moesiam proficisci et postea rursus in Syriam.

Cap. 12. *Quintiliano.* Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *Quinctiliano* edd. mediae aetatis inde a Lipsio. Veterem scripturam restituere recentiores inde ab Iac. Gronovio. cf. not. ad 1, 3. sub voc. *Quintilio.*

Sibyllae. Sibullae cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *Sibyllae* edd. recentt. inde ab Ernestio. Et quo iure scribimus *Sulla* (vid. not. ad 1, 1.), eodem utimur in *Sibulla.* Mox tamen edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. habent *Sibyllae.*

quindecimvirum. Sic cod. MS. edd. Iac. Gronov. sqq. *quindecimvir* edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Iac Gronov. cf. Hist. 1, 31. *tribunorum Subrium et Cerium milites adorti.* Horat. Od. 3, 13, 13. *fies nobilium tu quoque fontium.*

senatus consultum. Οὐ γὰρ ἐξῆν οὐδὲν τῶν Σιβυλλείων, εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, ἐς τὸ πλῆθος ἐξαγγέλλεσθαι. Dio 39, 15.

collegii. Int. quindecimvirum. Nam in fine capitis legimus: *igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subiicitur.*

ut adsolet. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. *ut assolet.* Sed 1, 24. iidem libri habent *adsolet.*

per magistros aestimatoque carmine apud infrequentem senatum egisset. simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur neque habere privatim liceret. quod a maioribus quoque decretum erat post exustum civili bello capitolium, quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllae (una seu plures fuere) datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subiicitur.

per magistros. Wolfius ad Sueton. Cal. c. 22. scribit: „magistri sacerdotii alicuius sunt, qui primum locum tenent inter sacerdotes deo cuipiam consecratos." Lipsius excitavit ad h. l. Valer. Max. 1, 1, 9. Plin. 28, 3. Capitolin. in Anton. Philos. c. 4. Iam vero quaeritur, qui magistri hic sint intelligendi, quum unus tantum cuiusque collegii magister fuisse videatur. Nam lapis apud Gruter. p. 313, 3. fert: *Ordo sacerdotum magistro suo.* Ricklefs ad h. l. suspicatur magistros diversorum collegiorum tali occasione peculiare collegium constituisse ad rem diiudicandam. Quae opinio parum probabilis esse videtur; nam a ceterorum collegiorum magistris haec res aliena fuit. Nec illud adprobaverim, quod idem arbitratur, posse hic etiam magistros intelligi quindecimviros universos. Nam diligenter Noster discernit *sententiam collegii et lectionem aestimationemque per magistros.* Hinc *magistros* unius collegii quindecimvirum intelligendos esse censeo. Nimirum magisterium ordinis per vices obiri solebat. cf. Sueton. Cal. c. 22. *magisteria sacerdotii ditissimus quisque et ambitione et licitatione maxima vicibus comparabant.* Inde colligo magistrorum nomine insignes fuisse in quovis sacerdotum collegio, qui magisterio functi inerant (uti consulares, praetorii dicebantur, qui id genus honorum gesserant) ad eosque pertinuisse res interioris deliberationis. Rupertius *magistros* obiter tantum interpretatur *praesides, praesules* sacerdotum. At *praesules* diversi esse videntur a magistris. Nam Capitolinus in Ant. Phil. c. 4. scribit: *Fuit in eo sacerdotio et vates et praesul et magister.*

sanxisse Augustum. Sueton. Oct. c. 31. Dio 54, 17.

neque habere. Ernestius vult *neve* pro *neque.* Sed *neve* ab hoc loco plane alienum est. Duo Augustus sanxit, non disiuncta, sed unum alterumque.

civili bello. Cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. omnes *sociali bello.* Lipsius tamen vidit apertum hic esse vitium. Nam capitolii conflagratio incidit in an. urb. 670. L. Scipione et C. Norbano consulibus: bellum tum non erat sociale, sed civile. Ipse docebit Tacit. Hist. 3, 72. *arserat et ante Capitolium civili bello* etc. Quod quum ita sit, non dubium vitium sustuli.

potuissent. Ernestii latinitas postulat: *possent.* Wopkensio hic est enallage satis trita. Sed vid. not. ad 3, 55. sub verbo *pervenirent.* Hic enim locus requirit optativum aoristi.

XIII. Iisdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum, multaque et plures per dies in theatro licentius efflagitata quam solitum adversum imperatorem. quis commotus incusavit magistratus patresque, quod non publica auctoritate populum coercuissent: addiditque, quibus e provinciis et quanto maiorem quam Augustus rei frumentariae copiam advectaret. Ita castigandae plebi compositum senatus consultum prisca severitate: neque segnius consules edixere. silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

XIV. Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites Romani, cecidere coniurationis crimine. ex quis Geminius prodigentia opum ac mollitia vitae amicus Seiano, nihil ad serium. et Iulius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens suam ipse cervicem perfregit. At Rubrio Fabato, tanquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. sane is repertus apud fretum Siciliae retractusque per centurionem nullas probabiles causas longinquae peregrinationis adferebat. mansit tamen incolumis oblivione magis quam clementia.

Cap. 13. *neque segnius.* cf. infr. 11, 15. Victor in Caes. 40, 20. Lipsius frustra tentabat *sequius.*

in superbiam accipiebatur. cf. 1, 14. *in deminutionem sui accipiens;* 1, 7. *in crimen detorquens.*

Cap. 14. *Fine anni* etc. cf. Dio 58, 4.

Geminius, Celsus. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. male coniungunt: *Geminius Celsus.* Meliorem rationem Lipsius instituit. Plenius Dio l. l. *Γάϊος Ῥοῦφος Γεμίνιος.*

coniurationis crimine. Dio l. l. *ἀσεβείας γὰρ ἐς τὸν Τιβέριον ἐγκληθείς.*

mollitia vitae. Dio l. l. *καὶ μαλακίας αἰτιαθείς.*

nihil ad serium. H. e. nihil quod ad serium spectaret. Sic Graeci ponunt πρός cum accus., ut adverbii loco sit. cf. Viger. cap. 9. sect. 8. reg. 10.

sane is repertus. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *sanus repertus,* quod Mercero auctore Pichena sqq. bene mutarunt in *sane is r.* Concedentis est particula. cf. 1, 10. *Sane Cassii et Brutorum exitus* etc. 1, 3. 3, 5. 6, 48. 11, 23. Heinsio tamen videbatur latere nomen oppidi aut vici, ubi repertus, forte *Canusii.* Aurelius vult: *Messanae.* Frustra.

XV. Servio Galba, L. Sulla coss. diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret Caesar, postquam instabat virginum aetas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius plebei Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus facilitate saepius quam industria commendabatur. huic Drusillam, Vinicio Iuliam Germanico genitas coniungit: superque ea re senatui scripsit levi cum honore iuvenum. dein redditis absentiae causis admodum vagis flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit: factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto, ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit, deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans.

XVI. Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias fenore auctitabant adversum legem dictatoris Caesaris, qua de modo credendi possidendique

Cap. 15. *L. Cassium.* cf. Sueton. Cal. c. 24.

M. Vinicium. Dio 60, 27.

Calibus. Sic cod. MS. edd. Pichen. sqq. *Callibus* edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lipsii priores.

facilitate. cf. 5, 1. *uxor facilis.* Sueton. Iul. c. 72. *Amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractavit, ut* etc.

vagis. Sic infr. 15, 54. *vagis sermonibus.* Non certam quandam causam absentiae adferebat, qua niti posset; sed ad varia desultabat, quorum nihil pro satis idonea causa haberi poterat. Perperam Lipsius coniecit *vanis.*

coeptas. cf. c. 30. *adfinitatem sibi coeptam*; 12, 10. *coeptam amicitiam.* Quibus exemplis Wopkensius bene tuetur vulgatum contra interpretum emendationes, quorum Faërnus vult *captas;* Muretus *susceptas;* Ernestius *exceptas.* Vocabulum *coeptas* indicat offensiones recens oriundas, diversas a prioribus.

Macro praefectus. Int. praetorii in locum Seiani. Dio 58, 9.

senatus consulto. Et hic Victorius in suo exempl. Beroald. correxit *S. C.*

ambigens. Graece περιάγων h. e. nostrum *sich um etwas herumtreiben, drehen.* Exquisite et ex usu verbi graeci dictum. Hinc non opus est emendatione *ambiens.*

Cap. 16. *auctitabant.* Nove dictum ideoque Hillo vituperatum; Buhle (p. 49.) defendit exemplo verbi *legere*, *lectare* (Plaut.), *lectitare* (Cicer.).

fenore. Edd. Beroald. sqq. *foenore.* Ed. Bekker. *fenore.* cf. Gellius 16, 12.

adversum legem d. C. etc. Hac lege dictator Caesar feneratoribus

intra Italiam cavetur, omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur. Sane vetus urbi fenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunicia

certam pecuniae partem tantum in fenore ponere permisit, reliquam vero in agris praediisque Italicis collocari iussit, quo pretia possessionum bellis civilibus nimis imminuta augerentur. Talem quippe legis sensum fuisse probabilis est virorum doctorum coniectura. Nam uberioribus verbis nemo scriptorum antiquorum lucem rei adfundit. Dio 58, 21. dicit τοὺς νόμους περὶ τῶν συμβολαίων ὑπὸ τοῦ Καίσαρος τεθέντας. Adversum illam legem igitur pecunias fenore auctitabant, qui omnem suam pecuniam, aut plus quam licebat, in fenore ponerent. Mox edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. Lips. prima habent *omissa* pro *omissam*, quod est in edd. Lips. posterioribus, Pich. Grut. sqq. Quaeritur, quid sit in cod. MS.

vetus ... malum. cf. Liv. 2, 23, 27.

duodecim tabulis. At Livius 7, 16. *Haud aeque laeta patribus insequenti anno* (urb. 398.) *C. Marcio, Cn. Manlio coss. de unciario fenore a M. Duilio, L. Maenio tribunis plebis rogatio est perlata: et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque.* Ernestius credit legem illam duodecim tabulis sancitam, deinde neglectam, a M. Duilio severius instauratam esse nova lege. Hackius tamen nuper errorem Tacito imputavit testatus, ne vestigium quidem esse huius legis in duodecim tabulis. Velim duodecim tabulas integras nobis communicet, ut inspiciamus. Nam secundum mutila illa fragmenta, quibus hucusque utimur, nil certi definiri potest. Interim nemo mihi persuadebit Tacitum incuriose haec ita scripsisse, nisi illam legem ad duodecim tabulas pertinere compe- risset.

unciario fenore. Mirus est de fenore unciario dissensus inter viros doctos. Plurimi intelligunt *unum assem pro centenis in annum.* Uncia enim est duodecima pars assis. Hinc duodecim uncias (*fenus unciarium* menstruum est) per annum solutas dicunt efficere id, quod nobis dicitur 1 *pro Cent* annuae usurae. Sed in vocabulo *unciarii fenoris* nullum vestigium reperitur, quo noscatur de capite centenorum assium cogitandum esse; id solum ex eo patet unciam assis in mensem pro usura solvi. At hoc non sufficit, ut ratio constet; desideratur adhuc membrum alterum, summa sortis, pro qua uncia menstrua solvatur, nec quisquam antiquorum scriptorum prodidit, centenos asses pro sorte accipiendos esse in hac computatione. Eodem iure et multo commodius cogitabimus de denis assibus sive de denario, quod est summum in nummorum genere, ut ita denarius det unciam pro fructu menstruo, 10 *p. Cent* in annum. Redigitur deinde ad semuncias, h. e. 5 p. Cent (cf. Liv. 7, 27). Sed haec altiore disquisitione indigent, cui huius loci spatium non sufficit. Certe incredibile est, unciarium fenus, si fuit 1 pro Cent annuae usurae, potuisse nimium videri debitoribus. Omnem autem fidem superat, eosdem et tum de gravitate fenoris questos, postquam fenus ad semuncias (½ pro Cent) redactum erat. Alii (cf. Stroth. ad Liv. 7, 16.) unciarium fenus illud putant, quum

ad semuncias redacta, postremo vetita versura. multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchus praetor, cui ea quaestio evenerat, multitudine periclitantium subactus rettulit ad senatum: trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe petivere: et concedente annus in posterum sexque menses dati, quis secundum iussa legis rationes familiares quisque componerent.

XVII. Hinc inopia rei nummariae commoto simul omnium aere alieno et quia tot damnatis bonisque eorum divenditis signatum argentum fisco vel aerario attinebatur. ad hoc senatus praescripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret. sed creditores in solidum appellabant: nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concursatio et preces: dein strepere praetoris tribunal: eaque quae remedio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari, quia feneratores

quotannis duodecima sortis pars seu ex quovis asse uncia usurae loco pendatur (8⅓ *pro Cent*). Cui rationi obstat, quod Romani usurae vocabula quaecunque intelligunt de usura menstrua, non annua. Si quis igitur fenus unciarium contendit esse vocabulum annuae usurae, ab omni loquendi usu recedit. Ceterum consulas de hac re *Niebuhr. Röm. Gesch.* II, p. 437. *Hugo, Civilist. Magaz.* V, p. 180.

versura. Id vocabulum de hac re usurpatum proprie significat mutationem creditoris. cf. Donat. ad Terent. Phorm. 5, 2, 15. Tum *versuram facere* in universum est pecunia fenore sumpta solvere, quia pecunia fenore sumpta fere semper utimur ad solvendum aes alienum. *Versura* igitur non ponitur pro *usura*, *mercede*, ut videtur Obbario ad Horat. epp. 1, 1, 80., sed pro ipsa feneratione h. e. pro negotio, quod versatur in fenore faciendo. De re cf. Liv. 7, 42. *Praeter haec invenio apud quosdam, L. Genucium tr. pl. tulisse ad populum, ne fenerare liceret.* Appian. B. C. I, p. 382. qui mentionem facit νόμου τινὸς παλαιοῦ προαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν. *fraudibus, quae.* Sic edd. Rhenan. seqq. Edd. Beroald. Alc. *fraudibusque.*

et concedente. Sunt qui cum Pichena malint *eo concedente.* Sed non opus est ea emendatione. Nam frequentissima sunt apud Nostrum aliosque exempla huius ablativi absoluti, ad quem subiectum omittitur. cf. 1, 39. *orantibus*; 1, 5. *agitantibus.* Sueton. Claud. c. 15. *absentibus.* E contextu talia sunt supplenda.

CAP. 17. *inopia rei nummariae.* Sueton. Tib. c. 48. de eadem re: *magna difficultate nummaria.*

fenoris. Sueton. l. l. *patrimonii.* Namque *fenus* haud raro ponitur pro eo, quod nos dicimus *Kapitalvermögen.* cf. 14, 53. *lato fenore exuberare*; 14, 55. *horti,*

omnem pecuniam mercandis agris condiderant. copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant, multique fortunis provolvebantur: eversio rei familiaris dignitatem ac famam praeceps dabat, donec tulit opem Caesar disposito per mensas millies sestertio factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum praediis cavisset. Sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti. neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

XVIII. Dein redeunt priores metus, postulato maiestatis Considio Proculo, qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam pariterque damnatus interfectusque. et sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum accusante Q. Pomponio. is moribus inquies haec et huiuscemodi a se factitari praetendebat, ut parta apud principem gratia periculis Pomponii Secundi fratris mederetur. Etiam in Pompeiam Macrinam exsilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem e primoribus Achaeorum Caesar adflixerat. pater quoque inlustris eques Romanus ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset,

fenus, *villae*. Hinc Sueton. Iul. c. 27. *gratuitum fenus* est caput ipsum sine usuris mutuo datum.

condiderant. Sc. in arca, ut concursantibus precantibusque pecunias denegarent, ipsi occasione data et secundum S. C. empturi. Sic creditores reperiebantur nulli.

aegrius distrahebant. H. e. eo molestior ipsis erat venditio. Nam aegre facimus, quod inviti et aperto damno nostro facimus.

praeceps dabat. cf. 4, 62. *praeceps trahit*.

tulit opem Caesar. Suet. Tib. c. 48. Dio 58, 21.

praediis. Pichena malebat: *praedibus*. Perperam. Nam quis *in duplum praedibus cavebit?*

Cap. 18. *Pomponii Secundi*. cf. 5, 8.

pater. cf. Sueton. Iul. c. 56. Ovid. Amor. 2, 18.

frater. cf. 1, 72.

Mytilenaeum. Sic nummi. cf. Ducker. ad Thucyd. 3, 5. Voss. ad Melam 2, 7. Oudendorp. ad Sueton. Iul. 2. Vulgo *Mitylenaeum*. Vid. et not. ad 14, 53.

Cn. Magnus inter intimos habuisset. cf. Strabo 13, p. 617. Cic. pro Archia c. 10. E Strabonis loco Ryckius et Freinshemius colligunt, pro *proavum* scribendum

quodque defuncto Theophani coelestes honores Graeca adulatio tribuerat.

XIX. Post quos Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deiicitur. ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurariasque eius, quanquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. inritatusque suppliciis cunctos, qui carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet. iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, inlustres, ignobiles, dispersi aut aggerati. neque propinquis aut amicis adsistere, inlacrimare, ne visere quidem diutius dabatur: sed cir-

esse *avum*. Sed accuratius fortasse Tacitus hanc rem novit, quam Strabo, qui filium potuit dare pro nepote.

Cap. 19. *Sextus Marius*. Dio 58, 22. ὁ γοῦν Μάριος ὁ Σέξστος ἐκεῖνος, ὁ φίλος αὐτοῦ (Tiberii)... τὴν θυγατέρα ἐκπρεπῆ οὖσαν ὑπεκπέμψας ποι, ἵνα μὴ ὁ Τιβέριος αὐτὴν αἰσχύνῃ, αἰτίαν ἔσχεν ὡς συνών οἱ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ συναπώλετο.

aurariasque. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Sed quum *que* molestum esset interpretibus, recentiores editores auctore Oberlino suadentibusque Mureto et Acidalio deleverunt male seduli. Nam cf. not. ad 1, 28. Sententia est: Non quidem dubium alioquin fuisse, Mario magnitudinem pecuniae malo vertisse, certiores tamen homines de hac re insuper esse factos eo, quod Tiberius aurarias eius sibi seposuerit. Alii *que* mutant in *quoque*. Male. Nam *quoque* omnem orationis vim trahit in vocem *aurarias*, ut Tiberius dicatur cum aliam rem, tum etiam aurarias sibimet seposuisse, quod alienum est ab hoc loco. Alii Salinerii rationem sequuntur, qui *aurariasque eius* trahit ad praecedentia, ut dicant magnitudinem pecuniae aurariasque eius malo vertisse. Ita Rupertius et Ricklefs. Tum vero verba: *quanquam publicarentur* et *seposuit* non solum ad *aurarias*, sed etiam ad *magnitudinem pecuniae* pertinent, quod contortum est. Ceterum *publicare* non est *für den Staatsschatz (öffentlichen Schatz) einziehen*, uti Nostrates volunt, quasi venditae sint fodinae et pecuniae inde paratae in aerarium latae; sed *für Staatsgut erklären*, ut publice administrarentur et reditus publici essent. Mox ante *inritatusque* Bekkerus bene posuit plenam interpunctionem.

suppliciis. H. e. sanguine, caede, ut solent tyranni. Bene sic I. Fr. Gronovius. Perperam Pichena interpretatur *supplicationibus* reorum ac periclitantium.

immensa strages. Sueton. Tib. c. 61. *viginti uno die*. Noster autem non de unius diei, sed omnium dierum illorum strage loquitur. Nam viginti homines non sunt immensa strages. Plurimos tum periisse testis etiam Dio 58, 14. 15. 16.

aggerati. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Postea editum *aggregati* inde a Lipsii prima. Pichena e cod. MS. veterem scripturam reposuit.

neque ... dabatur. cf. Dio l. l. qui refert postmodo permissa, quae Noster dicit vetita.

diutius. Heinsius coniecit *tutis*, ut sit pro *tuto*. Perperam: *visus*

cumiecti custodes et in maerorem cuiusque intenti corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia aut ripis adpulsa non cremare quisquam, non contingere. interciderat sortis humanae commercium vi metus, quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur.

XX. Sub idem tempus C. Caesar discedenti Capreas avo comes Claudiam M. Silani filiam coniugio accepit, immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce: qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit: neque meliorem unquam servum neque deteriorem dominum fuisse. Non omiserim

nequibat vetari, fit etiam transeundo. At *diutius visere* non dabatur.

Tiberim. Sic edd. Rhenan. sqq. *Tyberim*, edd. Beroald. Alc.

interciderat .. commercium. H. e. quod alteri acciderat, ab altero accipiebatur, tanquam ad se non pertineret.

vi metus. Male lacessunt, ut mutent, Lipsius in *vi, metu;* Heinsius in *sui metu.* *Vis* hic exprimit graecum ἰσχύς. Ἰσχυρὸν φόβον habes apud Xenoph. Cyrop. 3, 1, 23.

Cap. 20. *coniugio accepit.* Sic 3, 9. *praesidio Africae ducebatur.*

exsilio fratrum. Unus tantum fratrum, Nero, in exsilium, quod vulgo dicitur, actus erat; alter, Drusus, in ima palatii parte tum custodiebatur. Utriusque tamen fratris sortem exsilii vocabulo Noster coniunxit, ut exsilium, ἐξορισμός, intelligatur in universum de iis, qui limine domus principalis expellebantur.

qualem diem T. induisset, pari habitu. I. Fr. Gronovius interpretatur: „qualem animum vultumque quoque die sumpsisset vel gessisset Tiberius, talem et ipse induens ac prae se ferens." Cui adsentiunt plerique. Nemo tamen locutionis rationem reddidit. Nempe brevius Noster dicit: *qualem diem induisset* pro, qualem diem habitu induto ostendisset. *Habitus* in universum est omnis in externis sese habendi ratio. *Qualem diem* intellige tristem sive laetum, festum sive infestum (cf. c. 21. *qualem diem haberet*). Alio enim habitu solent uti per diem laetum, alio per diem tristem vel vulgarem. Possumus igitur, nisi fallor, supersedere emendationibus, quos proposuere Vertranius: *qualem die*, Huetius: *qualem in diem*, quod recepere Broterius, Crollius, Rupertius; Heinsius: *qualem de die;* Acidalius: *vultu, qualem T. ind.*

haud multum d. verbis. Verba nonnulli interpretantur *Aeusserungen.* Sed hoc vocabulum significat iudicia, quae quis fert de hac vel illa re. Hic tamen cogitandum est de imitatione sermonis.

percrebruit. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. Lips. prima et sic scribendum esse docuit Oudendorp. ad Suet. Iul. c. 79. (Eodem modo scribimus *nigresco, aegresco.*) *percrebuit* edd. Ald. Micyll. Lips. posteriores, Pich. Grut. sqq.

praesagium Tiberii de Ser. Galba tum consule, quem accitum et diversis sermonibus pertentatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus, „Et tu, „Galba, quandoque degustabis imperium", seram ac brevem potentiam significans scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit, peritiam eius hoc modo expertus.

XXI. Quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) praeibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat imperium ipsi et futura sollerter patefaciens, interrogatur, an suam quoque genitalem horam comperisset? quem tum annum, qualem diem haberet? Ille positus siderum ac spatia dimensus haerere primo, dein pavescere et, quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus postremo exclamat ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et in-

praesagium Tiberii. cf. Ioseph. 18, 6. Dio 57, 19. Suetonius in Galb. c. 4. Augusti hoc praesagium facit. Sed. vid. not. ad 1, 6. sub vocab. *centurio*.

pertentatum. Sic edd. Rhenan. sqq. *pertemptatum* edd. Beroald. Alc.

Thrasyllum. Sic edd. Ernest. sqq. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *Trasullum* vel *Thrasullum*. Sic *Sulla*, *Sibulla*. De re et viro cf. Dio 55, 11. Suet. Tib. c. 14.

Cap. 21. *tali negotio*. Cod. MS. *ta negotio*; unde Pichena scite fecit *tali*. Edd. Beroald. Rhenan. aliaeque ante Pich. omittunt *tali*.

suspicio. Sic edd. Alc. Rhenan. sqq. — Ed. Beroald. *suspitio* hic et alibi.

commoverat. Adfectum laetitia super illis praesagiis se ostenderat Tiberius, et propterea, ne index eius rei exsisteret, consilium de exitio Thrasylli ceperat.

sollerter. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *solerter*. Lipsius dedit *sollerter*.

spatia. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *spacia*.

pavescere. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — Cod. MS. *pavescente*. I. Fr. Gronovius vult *pavescens*, quod verum puto.

quantum. Sic libri omnes. Acidalius vult *quanto*. Wopkens. vulgatum defendit exemplis Hist. 2, 99. Liv. 32, 5. Valer. Flacc. 1, 741.

columem fore gratatur, quaeque dixerat oracli vice accipiens inter intimos amicorum tenet.

XXII. Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperias, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae. ideo creberrima et tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. Contra alii fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum: ac tamen electionem vitae nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. neque mala vel bona, quae vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos, ac plerosque quanquam magnas per opes miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur: sed

gratatur. H. é. gratando aperit. Sic 1, 39. *miseratur.* Vid. ibi not. De copula *et*, quam Acidalius mutabat in *sed* cf. not. ad 1, 13.

Cap. 22. *reperias.* Sic cod. MS. et nuper et Kiessl. — *reperies* edd. Beroald. sqq. (nonnulli *repperies*).

ideo creberrima et tristia in bonos, laeta apud d. esse. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Recte. *Et* significat nostrum *auch.* cf. 1, 4. *aegro et corpore.* Intellige *et tristia* praeter *laeta*, quum exspectares omnia laeta. Non enim dicit *creberrima tristia in bonos*, quasi soleant boni tristia pati; sed creberrimum esse (h. e. multis bonis id accidere), ut et tristia experiantur. Hinc frustra ingenia exercuerunt viri docti in emendando hoc loco. Freinshemius: *creberrime tristia*, quod Bekkerus edidit. Dubito, an bene dici possit: *tristia, laeta creberrime sunt.* Heinsius: *ideo creberrima, ut tristia in bonos, ita laeta a. d. e.* Iac. Gronovius delet *et*, cetera sine mutatione retinet. Ernestius: *creberrime et tristia in b. et laeta* etc. Receperunt Bip. et Oberlin.

quam ubi elegeris. *Quam* sc. vitam; nam de *vitae* electione iam loquitur. Et haud dubie elegantior est talis repetitio, quam quod Ernestius coniecit: *quam ubi feceris*, vel *quam ubi decreris*, vel *nam ubi decreris.*

ac plerosque. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *at plerosque*, quod an satis recte de loco Lipsius (1574) truderit, quaeritur.

prospera. Int. fortuna. Ernestius *prospera* perperam accipiebat in accusativo, ut ἀρχαϊκῶς dictum.

eximitur. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Restituit Pichena, quum Rhenan. aliique edidissent *eximi*, decepti infinitivis sequentibus. Sed *eximitur* Tacitus e sua persona dicit, non e sententia aliorum. Quae sequuntur inde a *quin*

quaedam secus quam dicta sint cadere fallaciis ignara dicentium. ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

XXIII. Iisdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium: sponte vel necessitate, incertum habebatur: consultusque Caesar, an sepeliri sineret, non erubuit permittere ultroque incusare casus, qui reum abstulissent antequam coram convinceretur. scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. tradidere quidam praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano tentarentur, extractum custodia iuvenem (nam in palatio attinebatur)

usque ad *tulerit*, plurimorum quos dicit mortalium opinionem enuntiant.

et antiqua aetas et nostra. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Pichen. sqq. — Rhenanus obtemperantibus Aldo sqq. prius *et* omiserat.

in tempore memorabitur. Fuit in libris deperditis. Dio 61, 2. *καί τις ἀστρολόγος ἔκ τε τούτων καὶ ἐκ τῆς τῶν ἀστέρων φορᾶς τῆς ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ καὶ πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας, δύο ἅμα περὶ αὐτοῦ ἐμαντεύσατο, ὅτι τε βασιλεύσει καὶ ὅτι τὴν μητέρα φονεύσει.*

incepto. Edd. Beroald. Rhenan. Ald. *incoepto.* Edd. Alc. Lips. sqq. *incepto.*

abierim. Perperam Heinsius vult *aberrem.* Immo scriptor iam *abierat;* ne tamen longius in hoc abitu commoretur (h. e. *ne nunc incepto longius abierim*), alibi memorabit cetera.

Cap. 23. *Asinii Galli mors.* cf. Dio 58, 3 et 23. qui uberius tractat rem.

non erubuit permittere. Interpretantur: „non erubuit talem a se peti permissionem et dari." Immo aliter res se habet. Consulitur Caesar, an sepeliri sineret h. e. an, uti mortui solebant, proponi lecto ferali, efferri, cremari, condi a propinquis, omniaque mortuis iusta fieri sineret. Haec enim pertinent ad sepulturam, de qua consulitur Caesar. Tiberius non erubuit permittere, scilicet rem ab infamia sua inseparabilem. Nam quid est impudens nisi hoc, quod Tiberius crudeliter mactat hominem et defunctum sepulturae honoribus solitis effert, qui quanta fieri poterat taciturnitate humari oculisque hominum subtrahi debebat, si modo ullus rubori locus apud illum fuisset.

praescriptum. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alciat., etiam cod. Urs. Restituit Ernestius suadentibus Mureto, Acidalio, Pichena. Rhenanus ediderat *descriptum*, quod dein occupavit omnes edd. ad Ernestium. De re cf. Dio 58, 13. Sueton. Tib. c. 65.

extractum custodia. Sic 1, 41. *progrediuntur contuberniis.*

ducem populo imponere. mox, quia rumor incedebat fore, ut nuru ac nepoti conciliaretur Caesar, saevitiam quam poenitentiam maluit.

XXIV. Quin et invectus in defunctum probra corporis, exitiabilem in suos, infensum rei publicae animum obiecit, recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies iussit, quo non aliud atrocius visum. adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides, nisi quod Actii centurionis et Didymi liberti epistolae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. etiam sua verba centurio saevitiae plena, tanquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo alienationem mentis simulans quasi

nuru ac nepoti. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Mox editum est, quod hodie vulgatur, *nurui.* Sed vid. not. ad 3, 30. et Wernicke de elocutione Taciti 1829. p. 33.

Cap. 24. *invectus.* Cogita de epistola ad senatum de morte Drusi missa. In senatu etiam recitari factorum dictorumque descripta iussit.

probra corporis. De flagitiis impudicitiae intellige. Sic Sueton. Vitell. c. 4. *omnibus probris contaminatus.* Id. Claud. c. 26. *ob libidinum probra.* Id. ib. c. 16. *iuvenem probri plenum.* Vocabulum *corporis* additur ob sequens *animum.*

factorum dictorumque. cf. not. ad 2, 53.

descripta. Substantive, ut graecum ἀπόγραφον, ἀπόγραφα, catalogus. Ut cum Ernestio intelligamus *plurima* vel simile quid, non aptum est, nec referendus huc locus, quem ille pro exemplo adfert e Sueton. Ner. c. 37.

iussit, quo non aliud atrocius visum. Non intelligo, quo tandem modo viri docti ferre potuerint perversam huius loci distinctionem a Rhenano traditam, qua legunt: *iussit. quo non aliud atrocius visum: adstitisse* etc. trahuntque verba *quo non* etc. ad sequentia, quo non aliud absurdius esse videtur. Nam quis unquam periodum incipiet per *quo non aliud* etc. sequente infinitivo? Immo infinitivi pendent e voce *vix fides.* Verba: *quo non aliud a. visum,* pertinent ad praecedentia. Exprimit ea formula gradum superlativum et vocabulum *aliud* ponitur pro *aliud quidquam.*

nisi quod. H. e. *et tamen* vel *attamen.* cf. not. ad 1, 33. Namque et hic ea formula restringit ante dicta, *vix fidem esse.* Immo, ait, fidem habeas; nam etc.

Actii centurionis et Didymi liberti. Qui erant praepositi custodiae Drusi.

praeferebant. Scilicet tum, quum coram senatu recitarentur.

adiecerat. H. e. reperiebantur adiecta, quum recitatio illa fieret.

alienationem mentis simulans. Bahrdtii auctoritate haec verba hodie in omnibus editionibus pro glossemate venduntur. Ne credas. Aptissime adsunt. Nam si quis dicitur *quasi per dementiam funesta Tiberio imprecatus,* tu nondum intelligis, utrum dementiam

per dementiam funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras imprecabatur: ut, quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exsolveret. Obturbabant quidem patres specie detestandi: sed penetrabat pavor et admiratio, callidum olim et tegendis sceleribus obscurum huc confidentiae venisse, ut tanquam dimotis

eam simulaverit ille, an verba eius absque simulatione talia fuerint, qualia dementium esse solent. Quae ambiguitas ut tollatur, satis recte Noster praemittit: *alienationem mentis simulans*. Haud raro enim optimi scriptores perspicuitatis et explicationis causa quaedam admittunt, quae pleonasmi speciem habent, et simillimum huic loco est illud Sueton. Galb. c. 20. *et quoniam capillo prae calvitie adripere non poterat*, ubi Ernestius damnat *prae calvitie*, Oudendorpius *capillo*, quum utraque vox necessario adsit. Sin autem, ut faciunt Rupertius et Ricklefs, verba: *quasi per dementiam*, deles, tum quaero, an nemo potuerit Tiberio funesta imprecari nisi per alienationem mentis? Immo egregia est aequalitas membrorum. Namque uti scriptor ab altera parte particulam *mox* explicat per verba: *ubi exspes vitae fuit*, ita prius illud *primo* suum habet interpretamentum: *alienationem mentis simulans*. Utraque rationem reddunt de statu, quo tum Drusus funesta, dira Tiberio imprecaretur. Eodem modo dein sibi invicem respondent: *quasi per dementiam* et *meditatas compositasque*, quibus verbis describuntur voces Drusi in Tiberium: aliae fuerunt quales esse solent dementium h. e. subitae, abruptae; aliae meditatae, compositae.

imprecabatur. Haec non est coniectura Heinsii, uti volunt Oberlinus et Rupertius, sed vetus scriptura edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. In Gronoviana (1672) est *imprecatur*, lapsu operarum, ut mihi videtur.

filiumque. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. Restituit Pichena, ante quem inde a Lips. prima ediderant *filium* sine copula.

caedibus complevisset. Hoc verbum ad proximum (*domumque omnem*) respicit; inde ad priora (*nurum . . . nepotes*) ἀναλόγως intelligendum est *interfecisset* vel simile quid, de quo zeugmatis genere diximus ad 1, 35. 2, 20. Frustra igitur Wopkensius coniicit *confecisset* pro *complevisset*, vel *in nurum .... domumque omnem caedibus omnia complesset*. Quae verba a bono stilo longum distant. Nam exempla de hoc usu praepositionis *in* ab illo adlata (Tac. An. 12, 35. 4, 52. Sallust. Iug. c. 31. Liv. 22, 24.) hinc aliena sunt.

obturbabant. Sc. simulato taedio et horrore talia audiendi obturbant, ne amplius audiant vel aures suas maculent talia audiendo. Adulatione id fecisse recte animadvertit Ricklefs contra Strombeckium, qui formidini patrum hoc tribuerat.

confidentiae. cf. Sueton. Cal. c. 51. *diversissima in eodem vitia, summam confidentiam, et contra nimium metum*. Nostrum *Sicherheit*.

dimotis. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *demotis* edd. Ernest. Broter. sqq. Sed *demovere* est movere de loco, ita tamen, ut non tollatur. Terent. Ad. 2, 1, 16. *cave nunc iam oculos a*

parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.

XXV. Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina auditum, quam interfecto Seiano spe sustentatam provixisse reor, et postquam nihil de saevitia remittebatur, voluntate exstinctam, nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus. enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit impudicitiam arguens et Asinium Gallum adulterum eiusque morte ad taedium vitae compulsam. sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida virilibus curis feminarum vitia exuerat. Eodem die defunctam, quo biennio ante Seianus poenas luisset, memoriaeque id prodendum addidit Caesar, iactavitque quod non laqueo strangulata neque in Gemonias proiecta foret. Actae ob id grates decretumque, ut quintum decimum Kal. Novembris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.

meis oculis quoquam demoveas tuos. Noster infr. c. 30. *in insulas .... demoti sunt* h. e. de suo loco non sublati, sed in alium locum moti sunt. *dimovere* autem significat non solum de loco, sed etiam e conspectu movere, tollere. Cic. pro dom. c. 26. *labem a re publica dimovere.* Igitur *demovere parietes* est *die Scheidewände verrücken; dimovere p. die Sch. entfernen, hinwegnehmen.* Certe non est quod veterum librorum scripturam spernamus.

Cap. 25. *provixisse.* Ἅπαξ λεγόμενον, contextus poscit, ut sit porro vivere. Emendatione abstinendum esse censeo; nam habet Noster quaedam sibi propria. Wopkensius coniecit *primo, vixisse.*

nisi si. Vid. not. ad 2, 63. Perperam Oberlinus et Naudetus in indice latinitatis *si* post *nisi* abundare dicunt.

aequi impatiens. *Aequum* est medium inter *infimum* et *summum.* cf. 2, 42. Hinc *aequi impatiens* est qui fastidit parem cum ceteris gradum tenditque in maius: *stolz.*

feminarum vitia exuerat. Tiberius igitur calumniatus est. *exuerat* non est *sie hatte abgelegt*, sed *sie war davon frei.* cf. not. ad Agr. c. 9.

actae ob id grates. Int. Tiberio pro tali clementia. cf. Suet. Tib. c. 53.

quintum decimum. Sic cod. MS. edd. vett. Deinde Lipsius sqq. ediderant *quinto decimo.* Ernestius cum Iac. Gronovio genuinam formam restituit.

XXVI. Haud multo post Cocceius Nerva, continuus principis, omnis divini humanique iuris sciens, integro statu, corpore inlaeso, moriendi consilium cepit. quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. aversatus sermonem Nerva abstinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse. Ceterum Agrippinae pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. nupta olim Cn. Pisoni et palam laeta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitiis Agrippinae defensa erat: ut odium et gratia desiere, ius valuit, petitaque criminibus haud ignotis sua manu sera magis quam immerita supplicia persolvit.

XXVII. Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit, quod Iulia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem, equitem Romanum, plerique meminerant. Extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Syriae imagine tandem exsolutus urbi praefuerat. genus illi decorum, vivida senectus, et non permissa provincia dignationem addiderat. Exin

CAP. 26. *continuus principis.* Heinsius emendat *principi.* Sed *continuus* substantive hic ponitur, ut graecum συνήθης, et tum ex more Noster addit genitivum. Sic *praefectus urbis*, An. 4, 36. 6, 10. Hist. 3, 64. *classis* Hist. 3, 47. *castrorum* 1, 32. 38. Suet. Tib. c. 61. *Seiani notos.* De re et homine cf. Dio 58, 21.

adsidere. Proprium de hac re verbum. cf. Plin. epp. 1, 22. 7, 19. Quintil. Decl. 2, 10.

intentatus. Sic edd. Rhen. sqq. *intemptatus* edd. Beroald. Alc.

precibus Augustae. cf. 3, 17.

CAP. 27. *denupsit.* H. e. simpliciter *nupsit*, nisi quod *denupsisse* respicit ad eam familiam, cuius fuit pars et ex qua iam transit in aliam. Contra respectu eius familiae, ad quam feminae nubendo transeunt, dicuntur *innubere.* cf. Ovid. Met. 12, 196. 7, 856.

funere censorio. cf. not. ad 4, 15.

administrandae Syriae imagine. cf. 1, 80. Suet. Tib. c. 63. Dio 58, 19. Etenim mandabat quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus. Ceterum edd. Beroald. Alc. Rhenan. hic legunt *Suriae* et mox *Syriae.*

Flacco Pomponio Syriae propraetore defuncto recitantur Caesaris litterae, quis incusabat egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus, seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur, oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri. Obiit eodem anno et M. Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi. neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

XXVIII. Paullo Fabio, L. Vitellio coss. post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit praebuitque materiem doctissimis indigenarum et Graecorum multa super eo miraculo disserendi. de quibus congruunt et plura ambigua sed cognitu non absurda promere libet. Sacrum Soli id animal et ore ac

Flacco Pomponio Syr. pr. cf. supr. c. 11. ibique not.

exercitibus. Sic edd. Ald. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhen. Micyll. *exercitubus.*

M. Lepidus. cf. not. ad 1, 13.

collocavi. Sic edd. vett. Interpretantur *dicere*, *commemorare*, quo sensu dicitur *ponere* Cic. de Fin. 2, 26. de Legg. 2, 3. de Nat. Deor. 1, 23. pro Caelio c. 7. in Verr. 2, 38. Sed rectius elliptice haec posita accipiemus, ut intelligamus *satis verborum* vel simile quid (*ich habe beigebracht*). Non tamen desunt virorum doctorum coniecturae de emendando loco. Ernest. *commemoravi;* Heins. *concumulavi;* Hiller. *cumulavi;* Rupertius *conlaudavi.*

fecundum. Sic edd. Lips. *foecundum* edd. ante Lips.

Cap. 28. *Paullo Fabio, L. Vitellio coss.* De tempore diversi sunt a Nostro Dio 58, 27. Plin. 10, 2. Solinus c. 33. qui consensu tradunt post biennium demum Q. Plautio, Sex. Papinio coss. phoenicem in Aegyptum venisse. Quare Bipontini censent hoc caput, alieno loco positum, ablegandum esse ad c. 40. atque legendum post *eo anno.* Quae tamen opinio satis dubia esse videtur. Nam quod ab altera parte tres sunt testes contra unum, parvi est momenti; tres illi haud dubie sunt unus, nempe Plinius, ex quo sua descripserunt Dio et Solinus. Res ipsa eius generis est, ut facillime diversae super ea narrationes potuerint prodire. Etenim potuit rara illa avis per plures annos aspectum sui praebere Aegyptiis, potuerunt diversi tempore et origine nuntii de phoenicis praesentia in urbem venire. Dissensus scriptorum in tali re multum abest, ut offendat nos, ut potius miraremur, si consentirent ubique.

ore. Pichena coniecit *colore;* sed hoc est in *distinctu pinnarum;* Heinsius *decore.* Cur non *et ore?* Ceterum cf. Herodot. 2, 73. *pinnae,* πτερά.

distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum consentiunt, qui formam eius effinxere. de numero annorum varia traduntur. maxime vulgatum quingentorum spatium. sunt qui adseverent mille quadringentos sexaginta unum interiici, prioresque alites Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemaeo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advolavisse multo ceterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemaeum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. unde nonnulli falsum hunc phoenicem neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex his, quae vetus memoria firmavit. confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet,

effinxere. Cod. MS. *deffinere*, littera *d* a recenti manu. Inde Beroald. fecit *definiere*, quod vulgo editur. Verum iam Pichena viderat rectius legi *effinxere*, quod nil cunctatus recepi. Nam satis probabile est, Tacitum hic loqui de pictoribus, qui id animal *effinxere* (de quo verbo cf. infr. 11, 14. Plin. epp. 3, 6. 4, 7. 4, 28. 5, 10.). Confirmat opinionem meam Herodot. 2, 73. qui et ipse fatetur de Phoenice loquens: ἐγὼ μέν μιν οὐκ εἶδον, εἰ μὴ ὅσον γραφῇ. Sed fortasse obstant verba: *sacrum Soli id animal.* Non obstant; nam e pictura etiam ob additum aliquod signum intelligi potuit, Soli illud sacrum; non ita bene e verbis *formam* avis definientium. Quanquam *effingere* etiam dicitur de iis, qui verbis alicuius rei imaginem referunt. cf. Plin. epp. 1, 10. 9, 22.

quingentorum spatium. Consentiunt Senec. epp 42. Pompon. Mel. 3, 8. Herodot. 2, 73.

mille quadringentos sexaginta unum. Plin. 10, 2. habet DCLX annos. Hinc alii e Plinio Tacitum, alii e Tacito Plinium emendandum esse censent. Plurimi cum Salmasio (ad Solin. p. 388. b.) in eo consentiunt, hunc numerum pertinere ad annum magnum canicularem Aegyptiorum, de cuius tamen annorum numero ob eximiam auctorum diversitatem non satis certo constat.

alites Sesostride. Cod. MS. edd. Beroald. Alc. *aliter esse. Soside*, quod Victorius in suo exempl. corr. *alites Sesostride*, et ita habent edd. Rhenan. sqq. Iac. Gronovius mavult *Sesoside*, uti est apud Diodor. Sic. 1, 53.

obscura. Ob incertam rerum historiam, non fidei, ut videtur Heinsio.

minus ducenti quinquaginta anni. Ptolemaeus III. Evergeta obiit Olymp. 139, 4. ant. Chr. 221.

confecto quippe annorum numero. Heinsius emendat: *conf. q. annorum M. numero.* Nam Lactant. Eleg. de phoenice v. 59. *quae postquam vitae iam mille peregerit annos.* Martial. 5, 7. *una decem quotiens saecula vivit avis.* Quam emendationem nonnulli probant. Melius tamen illa abstinebis. Nam primum Noster numerum *M.* posuisset ante vocem *annorum.* Deinde melius loco convenit, ut numerus non definiatur, quia supra de numero annorum varia tradi dictum est. Denique verba: *ubi*

suis in terris struere nidum eique vim genitalem adfundere, ex qua fetum oriri: et primam adulto curam sepeliendi patris: neque id temere, sed sublato murrhae pondere tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus inque Solis aram perferre atque adolere. Haec incerta et fabulosis aucta. ceterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur.

XXIX. At Romae caede continua Pomponius Labeo, quem praefuisse Moesiae rettuli, per abruptas

II, 10.

mors propinquet, satis explicant praecedentem locum docentque *annorum numerum* intelligendum esse de tota animalis vita, sive 500 annorum spatium, sive 1461 accipias.

suis in terris. Heinsius emendat: *surculis tureis* vel *surculis e turis*. Nam Plinius eadem de re 10, 2. *senescentem casiae turisque surculis construere nidum* scribit. Solinus c. 33. *rogos suos struit cinnamis*. Cui emendationi, licet sit ingeniosa, propterea non adsentio, quia Noster hic potissimum in eo versatur, ut doceat Arabum e terris patrium corpus a phoenice in Aegyptum transferri, ad quam rem nil attinet, quod surculis tureis, sed quod suis in terris nidum construit. Heinsium offenderat, quod vocabulum *terris* paulo ante praecesserat. Sed hoc nil impedimenti adfert.

fetum. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *foetum.*

sublato murrhae pondere. Heinsius ad h. l. „Cur non, ait, casiae, cinnami, nardi, costi aut amomi? *burrae* fuit scriptura antiqua, absorpta priore syllaba a praecedenti vocabulo *sublato*. Lege *Suburrae pondere*." Multisque exemplis pro illa coniectura pugnat. Frustra. Nam verissimum esse vulgatum cognosces ex Herodoto 2, 73. cuius verba pro commentario adscribam: Ἐξ Ἀραβίης, inquit, ὁρμεώμενον ἐς τὸ ἱρὸν τοῦ Ἡλίου κομίζειν τὸν πατέρα, ἐν σμύρνῃ ἐμπλάσσοντα, καὶ θάπτειν ἐν τοῦ Ἡλίου τῷ ἱρῷ. κομίζειν δὲ οὕτω· πρῶτον τῆς σμύρνης ᾠὸν πλάσσειν, ὅσον τε δυνατός ἐστι φέρειν· μετὰ δὲ πειρᾶσθαι αὐτὸ φορέοντα· ἐπεὰν δὲ ἀποπειρηθῇ, οὕτω δὴ κοιλήναντα τὸ ᾠὸν, τὸν πατέρα ἐς αὐτὸ ἐντιθέναι· σμύρνῃ δὲ ἄλλῃ ἐμπλάσσειν τοῦτο, καθότι τοῦ ᾠοῦ ἐγκοιλήνας ἐνέθη τὸν πατέρα· ἐσκειμένου δὲ τοῦ πατρὸς γίνεσθαι τωὐτὸ βάρος· ἐμπλάσαντα δὲ κομίζειν μιν ἐπ' Αἰγύπτου ἐς τοῦ Ἡλίου τὸ ἱρόν. Iam vero nostrates non debuissent dicere: *ein Gewicht Myrrhen* vel *eine Myrrhenlast*, sed *die Masse von Myrrhen*. Loquitur Noster de hac re ut de notissima, quae non indigeat longiore explicatione.

tentatoque per longum iter. Int. *pondere*. Bene sic Bipont. Frustra Heinsins: *tentatoque per longum itinere.*

subire. Salmasius ad Solin. l. l. coniectaverat *subiicere*: satis tamen ab aliis refutatus est.

atque adolere. Sc. flammae iniiciendo vel ignem corpori admovendo. Idem Salmasius neque felicius: *neque adolere*. Male et Ryckius: *atque avolare.*

Cap. 29. *Pomponius Labeo.* De eius caede vid. Dio 58, 24.

rettuli. cf. 4, 47.

venas sanguinem effudit, aemulataque est coniunx Paxaea. nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Caesar missis ad senatum litteris disseruit: morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone. atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam etsi nocentem periculi tamen expertem fuisse. Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus. nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat detuleratque argumentum tragoediae a Scauro scriptae, additis versibus qui in Tiberium flecterentur. verum ab Ser-

statuebant. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Ernestii latinitas postulat: *statuerant* vel *statuissent.* Sed hoc aliud est. *Statuebant* Noster scribit, quia loquitur de eo quod saepius et a pluribus fieri solebat; *statuerant* vel *statuissent* innuit certos quosdam homines, qui certo quodam tempore de se statuerunt, qui hic sunt nulli. cf. not. ad 3, 55. Nec promiscua sunt *statuerunt* et *statuissent.*

morem fuisse maioribus. cf. 2, 70. Sueton. Cal. c. 3. Senec. de ira 3, 23.

criminum urgebatur. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed quum hoc verbum tali modo cum genitivo coniungi insolitum sit, Ernestius coniecit: *arguebatur;* tolerat tamen vulgatum, quod refert ad graecum morem. Tacitus tamen Hist. 4, 43. *crimine — Eprium urgebat.* Oberlino hic *urgere* est instantius accusare, nec ulla depravatae scripturae suspicio. At Wopkensius censet rescribendum aut *criminum vi urgebatur,* aut *criminum arguebatur.* Verum formula: *male administratae provinciae urgebatur,* non magis me offendit, quam quae sunt 2, 59. *Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis.* Vid. ib. not. Est genitivus graecus, quem habet Xenoph. Cyr. 5, 2, 7. τὴν θυγατέρα πενθικῶς ἔχουσαν τοῦ ἀδελφοῦ τεθνηκότος. Prior genitivus *male administratae provinciae* trahit alterum *aliorumque criminum.*

Mamercus dein Scaurus. Vid. Dion. 58, 24. qui uberius rem narrat.

vita probrosus. Senec. de benef. 4, 31. Tertullian. de pallio c. 5.

Seiani, sed labefecit. Ernestius de transpositione cogitat: *Seiani labefecit, sed* etc. Immo consulto haec ita construxit auctor, ut altera orationis pars maiorem habeat vim.

additis versibus. Dio l. l. Ἀτρεὺς μὲν τὸ ποίημα ἦν. παρῄνει δὲ τῶν ἀρχομένων τινὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ, κατὰ τὸν Εὐριπίδην, ἵνα τὴν τοῦ κρα-

vilio et Cornelio accusatoribus adulterium Liviae, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteit hortante Sextia uxore, quae incitamentum mortis et particeps fuit.

XXX. Ac tamen accusatores, si facultas incideret, poenis adficiebantur, ut Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas interdicto igni atque aqua demoti sunt. Et Abudius Ruso functus aedilitate dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur. Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat mirumque amorem adsecutus erat, effusae clementiae, modicus severitate, et proximo quo-

τοῦντος ἀβουλίαν φέρῃ. cf. Euripid. Phoeniss. v. 396. τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. Cic. ad Att. 2, 25.

Sextia. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *Sexitia.* Lipsio auctore Oberlin. sqq. mutarunt in *Sextia*, quoniam obscurum *Sexitiae* nomen Scauri uxori non videbatur convenire. Sed maluerim *Sextilia.* Aliunde, quantum scio, de nomine huius feminae nihil constat.

CAP. 30. *omittendae delationis.* Heinsius: *delationi.* Frustra. cf. not. ad 2, 59.

demoti sunt. cf. not. ad c. 24.

Abudius. Heinsius: *Aufidius*, e coniectura.

Lentulo Gaetulico. cf. 4, 46. Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Getulico.*

ultro. Bene Strombeckius: *obenein;* male Ricklefs: *sofort.* Sententia est: non solum non convicit, perdidit reum, sed invicem etiam ipse damnatus est. cf. c. 31. *ultroque potentiam habet.*

modicus severitate. Muretus et Ursinus volunt *severitatis* ob exempla 3, 72. 2, 73. 4, 52. 6, 39. Sed infr. c. 45. *modicus privatis aedificationibus.* Agr. c. 40. *cultu modicus.* Hist. 1, 69. *immodicus saevitia.* Nimirum quadruplex datur structura eodem fere sensu, diversa tamen relatione. *Modicus severitatis* oppositum habet *immodicum severitatis; modicus severitate* oppositum *modicum* vel *non modicum alia re;* formula *modicae severitatis* dicit, inter alios, quorum dicta et facta ad modicam pertineant severitatem, etiam esse Gaetulicum; *modica severitate* dicit, hominis severitatem modicam esse. Hoc loco est *modicus severitate*, quia opponitur *non modicus clementiae.* Iam quomodo differant *effusae clementiae* et *modicus severitatis*, quaerit Ernestius. Scilicet describitur vir, in quo clementia et severitas sunt coniunctae h. e. qui iusto tempore clementem aut severum se praebet, ita tamen, ut clementiae modum fere nullum teneat, in severitate autem modum non excedat: minus severus quam clemens, neque tamen ab omni severitate alienus. Augustus contra

que exercitui per L. Apronium socerum non ingratus. unde fama constans ausum mittere ad Caesarem litteras: Adfinitatem sibi cum Seiano haud sponte, sed consilio Tiberii coeptam: perinde se quam Tiberium falli potuisse: neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. sibi fidem integram et, si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quam indicium mortis accepturum. firmarent velut foedus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam retineret. Haec mira quanquam fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Seiani adfinium incolumis multaque gratia mansit reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam aetatem, magisque fama quam vi stare res suas.

XXXI. C. Cestio, M. Servilio coss. nobiles Parthi in urbem venere ignaro rege Artabano. is metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos, mox superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit, fretus bellis quae secunda adversum circumiectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii ut inermem despiciens avidusque Armeniae, cui defuncto rege Artaxia Arsacem liberorum suorum veterrimum imposuit, addita contumelia et missis qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaque reposcerent: simul veteres Persarum ac Macedonum terminos seque invasurum possessa Cyro et

apud Sueton. c. 67. *patronus dominusque non minus severus quam facilis et clemens.*

L. Apronium. cf. 4, 73.

indicium mortis. cf. infr. c. 40. *signum mortis.*

Cap. 31. De huius cap. rebus cf. Dio 58, 26.

Artabano. cf. 2, 3.

ut inermem. Freinshemius et Ernestius interpretantur *liberis carentem.* Sed *senectus* suo iure *inermis* dici potest, potissimum cum sermo est de bello gerendo. De forma vocabuli cf. not. ad 1, 7.

Artaxia. cf. 2, 56.

imposuit. Apud Ernestium temporum ratio desiderat *imposuerat,* plane ut 1, 58. ubi idem vult *scripserat* pro *scripsit.* cf. ibi not.

addita contumelia. Int. in Tiberium. Sueton. Tib. c. 66. *Quin et Artabani Parthorum regis laceratus est litteris parricidia et caedes et ignaviam et luxuriam obiicientis monentisque, ut voluntaria morte maximo iustissimoque civium odio quam primum satisfaceret.*

a Vonone relictam. cf. 2, 1 sqq. ibid. c. 58. 68. Sueton. Tib. c. 49.

veteres . . . terminos. Int. iaciebat. Sic bene Hackius et Herrmannus. Strombeckius et Ricklefs haec coniungunt cum *reposcerent,* quo nimiam Partho audaciam tribuunt.

post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptae virilitatis. non despectum id apud barbaros ultroque potentiam habet. Ii adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei imponere poterant interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phraatem regis Phraatis filium Roma poscebant. Nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur.

XXXII. Cupitum id Tiberio. ornat Phraatem accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere. et barbaris cunctatio servilis, statim exsequi regium videtur. valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno inligaret, Sinnacem dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. Et Phraates apud Syriam dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum insumit, patriis moribus

Phraatem. cf. 2, 1.

nomine .... cerneretur. Interpretationes Nostratium vacillant, nec illi locum recte percepere, qui mutant prius *ut* in *et* vel delent alterum *ut*. Etenim verba minimé ita cohaerent, quasi nomine et auctore effici posse dicant ut ... cerneretur; sed verba *ut ... cerneretur* explicationis causa praecedentibus adduntur, ut scias, quid sibi velint verba *nomine* et *auctore*. Ante *ut sponte* e praecedentibus repetendum est: *opus tantum esse*, ut ita plena sententia sit: nomine tantum et auctore opus esse, auctore tantum opus esse h. e. ut sponte Caesaris, nomine h. e. ut genus A. r. a. E. cerneretur. Potuisset haud dubie Tacitus scribere: *ut sponte C. genus A. ... cerneretur*, omisso altero *ut*; sed rhetoricae dignitatis et emphasis causa maluit dividere: *ut sponte C.*, *ut genus A.*, quo magis sub oculos caderent haec duo gravissima rei momenta. Germanice: *Nur des Namens und des Machtgebers bedürfe es*, *nur*, *dafs mit Caesars Auftrage*, *dafs ein Sprößling des A. am Ufer des E. sich zeigte.* Facillimam fore expeditionem hisce verbis monstrabant admixta adulatione in Caesarem.

Cap. 32. *modo.* Omittitur alterum *modo* ante *tardari*. Sic 4, 50. *clamore turbido, modo per vastum silentium.* Liv. 26, 15. cf. not. ad 13, 44.

instituta Parthorum insumit. Sic cod. MS. edd. Beroald. ceteraeque vett. Sed quum verbum *insumere* sic usurpari insolitum esse videretur, Lipsius edidit *su-*

impar morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridatem, sanguinis eiusdem, aemulum Artabano, reciperandaeque Armeniae Iberum Mithridatem deligit conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat, et cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit. eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam, pleraque foeda memorari: ceterum regendis provinciis prisca virtute egit. unde regressus et formidine C. Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis et bona iuventae senectus flagitiosa oblitteravit.

XXXIII. At ex regulis prior Mithridates Pharasmanem perpulit dolo et vi conatus suos iuvare: repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt: simul Iberi magnis copiis Armeniam inrumpunt et urbe Artaxata potiuntur. Quae postquam Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat: dat Parthorumque copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra

mit, cui adsentit Wopkensius additis exemplis, Senec. de ira 3, 8. Liv. 3, 68. Pichena dedit *resumit;* Boxhornius et Hillerus *induit.* Verum *insumere* exacte respondet verbo graeco ἐνδέχεσθαι, in se suscipere, quod egregie huic loco convenit, quippe instituta Parthorum non poterant non gravia et molesta esse in hominem cultui Romano adsuetum, nec frustra adsunt verba: *cui ..... insueverat.* cf. not. ad 14, 44 et 16, 23. ubi est *curam insumere.*

incepta. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *incoepta*, ut supra.

reciperandaeque. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *recuperandaeque.* Sed iidem libri 2, 45. *reciperatam;* 1, 74. *reciperatores.* Eandem scripturam habet Monim. Ancyr.

Iberum. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *Hiberum;* c. 33. *Hiberi.*

pleraque. Sic constanter Tacitus pro *plurima.* cf. c. 6. Hinc inutilis est emendatio illa marginalis Oberlino laudata, *pluraque.*

exemplar apud posteros ad d. cf. Sueton. Vit. c. 2. Dio 59, 27.

Cap. 33. *ad scelus cogunt.* Sic 4, 40. *corrupta ad scelus.* cf. not. ad 1, 5.

urbe Artaxata. Sic cod. MS. edd. Ber. sqq. et Lipsii prima. Deinde Lips. Grut. edidere *urbem.* Pichena veterem scripturam restituit.

dat Parthorumque copias. Sic cod. MS. Sed quum illud *que* in *Parthorumque* rimari non posset, Beroaldus dedit *datque Parthorum c.* quod deinde per omnes edd. vulgatum est. Nam quod Iac. Gronovius scripturam cod. MSti defendendam sumsisset, plerisque ineptum visum est: vulgatam praestantissimam esse persuasum sibi habent: quanquam Ernestius suspica-

post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptae virilitatis. non despectum id apud barbaros ultroque potentiam habet. Ii adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei imponere poterant interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phraatem regis Phraatis filium Roma poscebant. Nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur.

XXXII. Cupitum id Tiberio. ornat Phraatem accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere. et barbaris cunctatio servilis, statim exsequi regium videtur. valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno inligaret, Sinnacem dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. Et Phraates apud Syriam dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum insumit, patriis moribus

Phraatem. cf. 2, 1.

nomine .... cerneretur. Interpretationes Nostratium vacillant, nec illi locum recte percepere, qui mutant prius *ut* in *et* vel delent alterum *ut.* Etenim verba minimé ita cohaerent, quasi nomine et auctore effici posse dicant ut ... cerneretur; sed verba *ut ... cerneretur* explicationis causa praecedentibus adduntur, ut scias, quid sibi velint verba *nomine* et *auctore.* Ante *ut sponte* e praecedentibus repetendum est: *opus tantum esse,* ut ita plena sententia sit: nomine tantum et auctore opus esse, auctore tantum opus esse h. e. ut sponte Caesaris, nomine h. e. ut genus A. r. a. E. cerneretur. Potuisset haud dubie Tacitus scribere: *ut sponte C. genus A. ... cerneretur,* omisso altero *ut;* sed rhetoricae dignitatis et emphasis causa maluit dividere: *ut sponte C., ut genus A.,* quo magis sub oculos caderent haec duo gravissima rei momenta. Germanice: *Nur des Namens und des Machtgebers bedürfe es, nur, daſs mit Caesars Auftrage, daſs ein Sprößling des A. am Ufer des E. sich zeigte.* Facillimam fore expeditionem hisce verbis monstrabant admixta adulatione in Caesarem.

CAP. 32. *modo.* Omittitur alterum *modo* ante *tardari.* Sic 4, 50. *clamore turbido, modo per vastum silentium.* Liv. 26, 15. cf. not. ad 13, 44.

instituta Parthorum insumit. Sic cod. MS. edd. Beroald. ceteraeque vett. Sed quum verbum *insumere* sic usurpari insolitum esse videretur, Lipsius edidit *su-*

impar morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridatem, sanguinis eiusdem, aemulum Artabano, reciperandaeque Armeniae Iberum Mithridatem deligit conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat, et cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit. eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam, pleraque foeda memorari: ceterum regendis provinciis prisca virtute egit. unde regressus et formidine C. Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis et bona iuventae senectus flagitiosa oblitteravit.

XXXIII. At ex regulis prior Mithridates Pharasmanem perpulit dolo et vi conatus suos iuvare: repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt: simul Iberi magnis copiis Armeniam inrumpunt et urbe Artaxata potiuntur. Quae postquam Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat: dat Parthorumque copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra

mit, cui adsentit Wopkensius additis exemplis, Senec. de ira 3, 8. Liv. 3, 68. Pichena dedit *resumit*; Boxhornius et Hillerus *induit*. Verum *insumere* exacte respondet verbo graeco ἐνδέχεσθαι, in se suscipere, quod egregrie huic loco convenit, quippe instituta Parthorum non poterant non gravia et molesta esse in hominem cultui Romano adsuetum, nec frustra adsunt verba: *cui* ..... *insueverat*. cf. not. ad 14, 44 et 16, 23. ubi est *curam insumere*.

incepta. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *incoepta*, ut supra.

reciperandaeque. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *recuperandaeque*. Sed iidem libri 2, 45. *reciperatam*; 1, 74. *reciperatores*. Eandem scripturam habet Monim. Ancyr.

Iberum. Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *Hiberum*; c. 33. *Hiberi*.

pleraque. Sic constanter Tacitus pro *plurima*. cf. c. 6. Hinc inutilis est emendatio illa marginalis Oberlino laudata, *pluraque*.

exemplar apud posteros ad d. cf. Sueton. Vit. c. 2. Dio 59, 27.

Cap. 33. *ad scelus cogunt*. Sic 4, 40. *corrupta ad scelus*. cf. not. ad 1, 5.

urbe Artaxata. Sic cod. MS. edd. Ber. sqq. et Lipsii prima. Deinde Lips. Grut. edidere *urbem*. Pichena veterem scripturam restituit.

dat Parthorumque copias. Sic cod. MS. Sed quum illud *que* in *Parthorumque* rimari non posset, Beroaldus dedit *datque Parthorum c.* quod deinde per omnes edd. vulgatum est. Nam quod Iac. Gronovius scripturam cod. MSti defendendam sumsisset, plerisque ineptum visum est: vulgatam praestantissimam esse persuasum sibi habent: quanquam Ernestius suspica-

Pharasmanes adiungere Albanos, accipere Sarmatas, quorum sceptuchi utrimque donis acceptis more gentico diversa induere. Sed Iberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. at qui Parthis adventabant, facile arcebantur, cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum mare inter et extremos Albanorum montes aestas impediret, quia flatibus etesiarum implentur vada, hibernus auster revolvit fluctus pulsoque introrsus freto brevia litorum nudantur.

XXXIV. Interim Orodem sociorum inopem auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula: ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium. atque illis sola in equite vis: Pharasmanes

tus est legendum: *dat Parthorumque copias, et qui auxilia m. facerent*; Wopkensius: *ad Parthorumque copias mittit qui* ... vel *dat Parthorum copias mittitque, qui*; Rupertius: *praeterque Parthorum copias mittit, qui* etc. Sed genuina sunt verba codicis MSti. *dat Parthorumque* dicitur pro *dat et Parthorum*, idemque hic particulae *que* obtinet usus, de quo dictum est supr. ad 1, 28. Simili plane modo interponitur *et* supr. c. 22. *ideo creberrima et tristia* etc. Vid. ibi not.

accipere Sarmatas. Sic cod. MS. edd. Beroald. Rhenan. sqq. Sed suadente I. Fr. Gronovio Ernestius et posteriores editores dederunt *accire.* Wopkensius huic emendationi recte adversatur. Nam Sarmatae, ut e sqq. patet, erant gens cuivis in auxilium vocanti parata, et fortasse operam suam sponte obtulerant Pharasmani. Hinc apte dici possunt *accipi.* cf. 2, 40. *accepta idonea manu*; 12, 6. *uxorem imperator acciperet* (sc. quia offerebatur). Quod idem verbum statim repetitur (*acceptis*), non abhorret a Taciti stilo, qui non anxie fugit eiusdem vocabuli repetitionem. cf. infr. c. 50. *adfertur .... adferrent.*

sceptuchi. cf. Homer. Il. β', 86. Strabo 11, p. 496. Lipsius sqq. ediderant *sceptruchi.* I. Gron. vet. scripturam restituit.

Caspia via. Intelliguntur *Caucasiae portae* e Sarmatis per Iberos in Armeniam patentes, quae multis Caspiae dictae. Plin. 6, 12. Sueton. Ner. c. 19. Xiphil. 63, 8.

aestas. Ernestius sollicitat vulgatum coniectando *aestus.* Sed aperte hic sibi invicem opponuntur *aestas* et *hibernus auster.*

etesiarum. Intelliguntur ἐτήσιαι βορέαι, de quibus cf. Herodot. 2, 20. Aristot. Probab. 26, 2. Plin. 2, 47. Colum. 11, 2. De iisdem locis scribit Curtius 6, 4, 19. *A septentrione ingens in litus mare incumbit longeque agit fluctus et magna parte exaestuans stagnat. Idem alio coeli statu recipit in se fretum eodemque impetu, quo effusum est, relabens terram naturae suae reddit.* Qui Curtii locus satis disturbat difficultatem, qua Taciti verba laborare videbantur Ryckio.

Cap. 34. *saepe in modum obsidii.* Sic suadentibus Mureto, Acidalio aliisque dedere Lallemand.

et pedite valebat. nam Iberi Albanique saltuosos locos incolentes duritiae patientiaeque magis insuevere, feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iason post avectam Medeam genitosque ex ea liberos inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit. multaque de nomine eius et oraculum Phryxi celebrant: nec quisquam ariete sacrificaverit credito vexisse Phryxum, sive id animal seu navis insigne fuit. Ceterum directa utrimque acie Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Iberum mercenario milite disserebat: Pharasmanes integros semet a Parthico dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos. simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam ostendere.

XXXV. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas inirent: impetu et cominus praeveniendum. Variae hinc bellantium species, cum Parthus sequi vel fugere pari

Broter. Oberlin. sqq. Recte. Edd. vett. male omittunt *in* ante *modum*.

repetivit. cf. Diodor. 4, 55. 56. Apollodor. 1, 9, 28. et potissimum Iustin. 42, 2. 3.

oraculum. Sic edd. Lips. sqq. *oraclum* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Micyll. et sic alibi Noster aliquoties. Eodem modo scribitur *vinculum* et *vinclum*. Quae varietas an sit a manu Taciti, nemo pro certo adfirmabit.

mercenario milite. Ablativi absoluti. cf. infr. c. 37. *primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit.* Intelligitur partic. verbi substantivi. Acidalii coniectura: *mercenarium militem*, supervacanea est ambiguumque reddit locum. Edd. Beroald. Alc. *mercennario*.

disserebat. cf. 1, 4. *bona libertatis in cassum disserere;* 2, 27. *eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram.* Lipsii coniectura: *differebat*, quadrat ad verba: *ignobilem Iberum merc. m.;* neque vero ad *imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum.*

aut. Ricklefs vult *at*, non video quo iure aut qua necessitate. Nam *at* hic moleste interponitur, *aut* apte disiungit *plus decoris* et (plus) *flagitii.* Similis plane locus exstat Hist. 2, 56. *in praedam, aut si repugnatum foret, ad excidium destinabant.*

Cap. 35. *cominus.* Sic edd. Ald. Gronov. 1672 sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Micyll. Lips. sqq. ad Gronov. *comminus.* Roth. p. 28. *impetu et c.* habet inter dicta per ἓν διὰ δυοῖν.

cum Parthus sqq. De Parthorum proeliandi ratione cf. Iustin. 41, 2. Dio 40, 15 sqq. Id. 35, 5. Appian. de B. Parth. p. 143 sqq.

arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaereret: Sarmatae omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent: modo equestris proelii more frontis et tergi vices: aliquando ut conserta acies corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur. iamque et Albani Iberique prensare, detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere. quos super eques et propioribus vulneribus pedites adflictabant. Inter quae Pharasmanes

distraheret turmas. Appian. l. l. ἀνῆγον ὀπίσω καὶ σκίδνασθαι δοκοῦντες ἅμα καὶ διαλύειν τὴν τάξιν. cf. 1, 60. *distrahendo hosti.* Non satis recte interpretantur *ausdehnen:* immo *zerstreuen.*

spatium ictibus quaereret. Igitur non cominus pugnabant.

brevius. Ernestius accipit de tempore, I. Fr. Gronovius rectius de spatio. Nam cur *non diu* Sarmatae arcu valuerint, non satis apparet.

equestris. Sic edd. Rhenan. sqq. Beroaldus et Alciatus ediderant: *equites tres*, quod Victorius in s. ex. corr. *equestris.*

frontis et tergi vices. h. e. sequi et fugere, qui est mos equestris proelii. cf. Sallust. Iug. c. 59. Ceterum pendent haec simul cum sequentibus *pellerent*, *pellerentur*, e superiore particula *cum*, et bene Muretus, Acidalius animadverterunt intelligendum esse *essent*, quod ita Nostro omitti docent exempla. cf. 1, 65. *cum barbari festis epulis ... complerent*, *apud Romanos invalidi ignes*, *interruptae voces* (sc. essent) *atque ipsi passim adiacerent vallo* etc. 1, 23. *quod neque disiecti* etc. Vid. ibi not. Alii intelligunt *erant*, quod non patitur particula *cum.* Gruterus accusativum absolutum esse putat, qui tamen iis locis, unde exempla adfert, non est, neque hic est ferendus. Bipont. intelligunt *secundum vices*, uti apud Liv. 1, 9. Sed haec multum inter se diversa sunt. Lipsius volebat *vice*, quod, cui placeat, non facile habebit.

ut conserta acies, Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Sunt qui Ernestio auctore hodie legant *conferta.* Sed *conserta acies* h. e. in qua non frontis et tergi vices, in qua vir viro, armis arma conserta sunt, bene huic loco convenit. cf. Curt. 3, 2, 13 et 3, 11, 4. *conserti et quasi cohaerentes;* mox: *cominus pugnam conserere.* Id. 8, 13, 12. *Ibi levia proelia conserebant.* Heinsius corrigebat: *conserta acie.* Frustra.

pulsu armorum. Rupertius: *punctu armorum*, quod nemini invideo.

quos super. *Quos* intellige Albanos Iberosque prensantes detrudentesque hostem. *Super* postponitur ut infr. 16, 35. *humum super.* Accipe equitem super capita Albanorum et Iberorum hostem sagittis adflictasse. Nam *quos* hic, ut saepe, ad remotius subiectum respicit. Vid. not. ad 1, 74. Alii *super* interpretantur *insuper*, quod ita dici idoneis exemplis debuissent probare. Pro nostra ratione faciunt 1, 68. 3, 46.

propioribus vulneribus. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *a propioribus vulnerib.* edd. Gronov. (1672), Ernest. Oberlin. sqq. Unde hauserint praepositionem nescio. Si vera esset, intelligerem ex usu Graecorum, qui ἀπὸ ita ponunt, ut significet modum et rationem aliquid faciendi. cf. Xenoph. Mem. S. 1, 2, 9. ἀπὸ κυάμων καθίστασθαι ἄρχοντες. Palaeph. c. 41. βάπτοντες αὐτὰ ἀπὸ βοτανῶν. Plutarch. Lyc. c. 30. ἡ πόλις ἀπὸ σκυτάλης μιᾶς καὶ τρίβωνος ἄρχουσα τῆς Ἑλ-

Orodesque, dum strenuis adsunt aut dubitantibus subveniunt, conspicui eoque gnari, clamore, telis, equis concurrunt, instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium. fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos, victoriamque concessere.

XXXVI. Mox Artabanus tota mole regni ultum iit. peritia locorum ab Iberis melius pugnatum. nec ideo abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius et subdito rumore tanquam Mesopotamiam invasurus metum Romani belli fecisset. tum omissa Armenia versaeque Artabani res, inliciente Vitellio, desererent regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum. Igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi, patrem Abdagesem aliosque occultos consilii et tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit, adfluentibus paulatim qui metu magis quam benevolentia subiecti repertis auctoribus sustulerant animum. nec iam aliud

λάδος. Sed inrepsisse puto illam praepositionem. Rupertius totum locum tractat sic: „*Quos* hostes, Parthos, *super* insuper, *eques* etc. Sed forte leg. *hostibus facere*, *quos super* (praeter) *equites* Sarmatarum, vel potius *super equis* h. e. iis vectos s. insidentes, *et* (etiam) *a propioribus vulneribus*, propter vulnera ex propinquo inflicta, *pedites* Albanorum Iberorumque *adflictabant*." Sed talia Tacito indigna esse videntur. Heinsius corrigebat *e propiori*, int. loco.

conspicui. Int. insignibus regiis et imperiis. cf. Hist. 3, 29. An. 2, 20. *quantoque conspicui magis propugnatores*, *tanto pluribus vulneribus deiecti*. Vid. et not. ad 2, 17.

gnari. cf. not. ad 3, 6.

falso credita. Lipsius corr. *dedita* vel *didita*, ut 11, 1. Sed cur non *credita*? cf. Hist. 4, 34. *credita per utrumque exercitum fama* etc. *Didita* est quae opera data vulgatur, dolo, fraude: quod hinc alienum est.

Cap. 36. *tota mole regni*. Sic et Flor. 3, 5, 14.

ultum iit. peritia. Ex emendat. Lipsii. Edd. Beroald. Alc. *regni ultimi* (*id peritia l. ab Hib. m. p.*). Rhenanus: *regni ultimi. id* etc. quam scripturam aperte corruptam defendit tamen Salinerius.

antea. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq., unde restituit Iac. Gronov. pro *ante*, quod inrepserat per edd. Lipsii. De re cf. c. 31. 32.

occultos consilii. Ex emendat. Faërni et Freinshemii. Edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. e cod. MS. *occultos consilit*. Alii dein dedere *consulit*. cf. not. ad 3, 46. Heinsius volebat: *occultus* vel *occulto consulit*; sed idem sensus est in *occultos*. Verum *occultis consilii* opponuntur *continuis cladibus promptiores*.

benevolentia. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. *beniuolentia*, ut fere semper.

Artabano reliquum quam si qui externorum corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus neque mali cura, sed mercede aluntur, ministri sceleribus. his adsumptis in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus erat: atque interim posse Parthos, absentium aequos, praesentibus mobiles, ad poenitentiam mutari.

XXXVII. At Vitellius profugo Artabano et flexis ad novum regem popularium animis hortatus Tiridatem parata capessere robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, nuntiavere adcolae Euphratem nulla imbrium vi sponte et immensum attolli, simul albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus. quidam callidius interpretabantur initia conatus secunda neque diuturna, quia eorum, quae terra coelove portenderentur, certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque. Sed ponte navibus effecto tramissoque exercitu primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit, exsul quondam et Tiberio, cum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator eoque civitate Romana donatus: mox repetita amicitia regis multo apud eum ho-

Carmaniisque. Sic cod. MS. et edd. omnes praeter ed. Gronovii 1672. quae dat *Carmanisque.*

Cap. 37. *parata capessere.* Heinsius corrigit *capesseret.* Frustra. Nam utraque structura sana est. cf. 12, 49. *regium insigne sumere cohortatur.* Sic *monere* cum infinit. 1, 68. 12, 46. 13, 37. 16, 11. Hist. 4, 33. Ceterum ed. Ald. dat *capescere*, uti solet.

suovetaurilia. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. Lips. sqq. Alciatus malebat *solitaurilia*, Rhenanus *sue, bve, taurilia*, uti Aldus ediderit. Rhenanus ita invenerat in cod. MS. Liv. 1, 44. ubi hodie etiam *suovetaurilibus* legimus. Ne puta placando flumini *suovetaurilia* tum a Romanis esse facta, sed ad lustrandum exercitum. Marti enim fiebant illa sacra, non Euphrati, quem venerari Romanos non decebat. cf. Liv. 1, 44. 8, 10. Persae placando amni equum adornarunt. De equo, solemni Persarum victima. cf. Iustin. 4, 10. Xenoph. Anab. 4, 5. Id. Cyrop. 8, 3.

in modum diadematis. Namque diadema est fascia candida. Sueton. Iul. c. 79. Valerius Max. 6, 2, 7. Silius 16, 241. Plin. 11, 16.

prosperi transgressus. Sic edd. Beroald. Rhenan. sqq. Alciatus ediderat *prospere transgressus.*

nore, praefectus campis, qui Euphrate et Tigre inclutis amnibus circumflui Mesopotamiae nomen acceperunt. Neque multo post Sinnaces auget copias, et columen partium Abdageses gazam et paratus regios adiicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus monet Tiridatem primoresque, hunc, Phraatis avi et altoris Caesaris, quae utrobique pulchra, meminerit, illos, obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinerent. exin cum legionibus in Syriam remeavit.

XXXVIII. Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis. Non enim Tiberium, quanquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mollire solent, tempus, preces, satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio ingruentis accusatores haud perpessus supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit, ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exsilium obiectando. quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani

inclutis. Sic cod. MS. edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. Aliis locis nunc scribunt *inclytis*, nunc *inclitis*. cf. not. ad Hist. 2, 2. 3, 44.

columen partium. In Oberlini ed. operarum lapsu pro *partium* inrepserat *patrium*, quod vitium sedulo repetiverunt Weikertus, Naudetus, Weisius.

adiicit. Sic edd. Ryck. sqq. — Cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *adicit*, ut saepissime pro *adiicit.*

et altoris. Sic edd. Rhenan. sqq. *ut altoris* edd. Beroald. Alc.

retinerent. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc.; restituit Pichena. Nam edd. Rhenan. sqq. *retineret.*

Cap. 38. *Fulcinius Trio.* cf. 2, 28. 5, 11. 6, 4.

ingruentis acc. haud perpessus. Intellige: sed voluntaria morte accusationem frustratus. Nam de illo Dio 58, 25. κατηγορηθεὶς . . . ἑαυτὸν προαπέκτεινε.

supremis tabulis etc. De hac licentia testament. cf. Sueton. Oct. c. 55.

continuo abscessu. H. e. continuo Tiberii abscessu pro causa ille usus est, cur exsilium obiectaret. Sic c. 42. *opibus aut sapientia delecti.* Cic. de amic. 2, 26. *si fructibus et emolumentis amicitias colemus* etc. Nil igitur mutes cum Heinsio et Huetio, qui volunt *continuos abscessus*, aut cum Faërno: *continuum abscessum.*

heredibus. Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *haeredibus*, ut fere semper.

diu nescius mox quoquo modo dicta vulgari malebat veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Iisdem diebus Granius Martianus senator a C. Graccho maiestatis postulatus vim vitae suae attulit: Tatiusque Gratianus praetura functus lege eadem extremum ad supplicium damnatus.

XXXIX. Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus. nam Trebellienus sua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in principem factitata strangulatus est. Haec Tiberius non mari ut olim divisus neque per longinquos nuntios accipiebat, sed urbem iuxta, eodem ut die vel noctis interiectu litteris consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum. Fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus, maximisque provinciis per quattuor et viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.

XL. Q. Plautius, Sex. Papinius coss. sequuntur. Eo anno, *neque quod L. Aruseius morte adfecti forent,

quoquo modo. Sic cod. MS. edd. vett. et Pich. sqq. *quoque modo* edd. Lips. Grut.

senator. cf. not. ad 3, 36.

Tatiusque. Sic edd. Ber. sqq. *Tariusque* cod. MS. test. Iac. Gronovio.

Cap. 39. *Trebellieni Rufi.* cf. 2, 67. 3, 38.

Sext. Paconiani. cf. supr. c. 3 et 4.

urbem iuxta. Dio 58, 24. περί τε τὸ Ἀλβανὸν καὶ περὶ τὸ Τούσκουλον διατρίβων.

manus carnificum. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Restituit Pichena. Nam edd. Rhenan. sqq. *manum.*

Poppaeus Sabinus. cf. 1, 80. 4, 46. 5, 10. Dio 58, 25. ἥδιστα προαπηλλάγη πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν. Non igitur sua sponte, sed naturali morte concessit. Lipsius Dionem male intellexerat.

triumphale decus. cf. 4, 46.

maximisque provinciis. Moesiae 1, 80. Macedoniae et Achaiae 5, 10.

neque supra erat. Neque enim eminentis virtutes sectabatur Tiberius. cf. 1, 80.

Cap. 40. *Q. Plautius.* Sic edd. Rhenan. sqq. *Quintius Pl.* edd. Beroald. Alc. quod Victor. in s. ex corr. in *Q.*

*eo anno, *neque quod L. Aruseius.* Sic libri vett. Lacunam esse inter *anno* et *neque* plurimi consentiunt. Hinc Vertranius explet: *eo anno neque quod alii neque quod L. Aruseius*, nemine plaudente. Rectius alii damnatorum nomina quaedam excidisse putant. Sunt etiam qui non de lacuna explenda quam potius de emendandis, quae adsunt, verbis cogitent. I. Fr. Gronovius: *eo anno neque quod L. Aruseii* (pater et filius) *m. a. f.*

adsuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit, quod Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit, prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est faucesque iam exanimis laqueo vexatae. Ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. at C. Galba consularis et duo Blaesi voluntario exitu cecidere, Galba tristibus Caesaris litteris provinciam sortiri prohibitus: Blaesis sacerdotia integra eorum domo destinata, convulsa distulerat, tunc ut vacua contulit in alios. quod signum mortis intellexere et executi sunt. Et Aemilia Lepida, quam iuveni Druso nuptam rettuli, crebris criminibus maritum insecuta, quanquam intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus: post a delatoribus corripi-

Sed nil constat de duobus illis pendetque emendatio e mera viri coniectura. Hillerus: *adfectus foret.* Moebius in bibl. crit. 1820. fasc. 8. p. 674. *Neque eo anno quod L. Aruseius morte adfectus foret* etc. Sed illud *neque* non laborat suo loco. Alia hic sunt quaerenda. Emendationes adhuc prolatae minime satisfaciunt. Nam quomodo tandem ut atrox adverti potuit, quod L. Aruseius, vir obscurus, morte adfectus foret? Facile intelligis atrocissimum aliquod facinus hic latere. Sed coniectando consulere locis depravatis ingratus est labor; quare abstineo, nisi forte tibi placeat, quod amicus per iocum aliquando suppeditabat: *eo anno neque quod quinquaginta haruspices morte adfecti forent.* Haruspices certe pars curarum illius principis fuere. cf. Sueton. Tib. c. 63. *Haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit.*

Vibulenus Agrippa. Eandem rem habet Dio 58, 21. (nisi quod *Vibulenus* ibi audit Ὠυϊουΐλιος) ad ann. u. 786. Inde Bipontinis suspicio oriri potuit hoc caput alieno loco insertum esse. Sed illi volunt haec inseri 5, 6. Dionis loco accuratius inspecto intelliges illius contextum et ipsum premi depravationis et permixtionis suspicione. Nam verba: *ἐπεὶ μέντοι Ὠυϊουΐλιός τις Ἀγρίππας ἱππεὺς φάρμακον ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ἐκ δακτυλίου ῥοφήσας ἀπέθανε* — prorsus ibi adsunt praeter structuram rationemque loci.

ne Tigranes quidem. cf. Ioseph. Ant. 18, 5.

duo Blaesi. Ex verissima emendat. Ryckii et Iacob. Gronovii. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *Blaesii* et mox *Blaesiis.* Et *Blaesis* quidem Iac. Gronov. e MS. notaverat; de nominativo *Blaesi*, an ibi sit, incertus erat. Sed cf. 1, 16. 19. 3, 72. 74.

Galba ... prohibitus. cf. Sueton. Galb. c. 3.

convulsa. Sc. oppresso Seiano cuius Blaesus avunculus erat. cf. 3 72.

rettuli. Haud dubie in libri quinti parte deperdita. *Druso,* Germanici filio, c. 23.

intestabilis. Sallust. Iug. c. 67. *improbus intestabilisque.*

pater Lepidus. Qui mortuus legitur c. 27.

tur ob servum adulterum: nec dubitabatur de flagitio. ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit.

XLI. Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao subiecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit, locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur, donec M. Trebellius legatus a Vitellio praeside Syriae cum quattuor millibus legionariorum et delectis auxiliis missus duos collis, quos barbari insederant (minori Cadra, alteri Davara nomen est) operibus circumdedit et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem coegit. At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam Parthica oppida recepit, certantibus gaudio qui Artabanum Scythas inter eductum ob saevitiam exsecrati come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant.

XLII. Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, septa muris neque in barbarum corrupta,

Cap. 41. *Clitarum.* Cod. MS. test. Pichena *Cietarum;* edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *Citarum.* Sed e loco 12, 55. Lipsius vidit legendum esse *Clitarum*, idque ille restituit.

Cappadoci. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. *Cappadociae*, hac distinctione: *Citarum natio Cappadociae, Archelao subiecta.* Etenim cod. MS. in vocabulo *Cappadoci* super littera *i* additum habet *e* a recentiore manu. Lipsius emendavit: *Cappadoci Archelao.* Paternum huiusce Archelai regnum in provinciam redactum Noster rettulit 2, 42. Filius retinebat oras Ciliciae maritimas, quas Archelaus pater acceperat ab Augusto. cf. Dio 54, 9.

locorumque ingenio. cf. not. ad 3, 26.

Macedonibus sitae. Alii, ut Faërnus et Wolfius (ad 2, 7.) volunt legi *a Macedonibus*, quoniam 8, 28. est *a Macedone Ph. sitam.* Alii, ut Oberlinus, contendunt *Macedonibus sitae*, eodem sensu dici, ut sit *a M. exstructae.* Provocant ad 2, 7. quod temere faciunt. Vid. ibi not. *Macedonibus sitae* hic potius dicuntur urbes eo sensu, ut intelligantur a Macedonibus habitatae vel simpliciter urbes Macedonum; ea enim est notissima dativi vis. cf. Hist. 4, 22. *vallum duabus legionibus situm.* Hoc minime negat, Macedonas et ipsos illarum urbium auctores fuisse; dictioni autem id non inest. Ceterum vid. not. ad German. c. 3.

Cap. 42. *in barbarum corrupta.* Neque *nomen* neque *morem* barbarum cum Ernestio intelligas; sed *barbarum*, τὸ βάρβαρον. Oppositum quidem est: *conditor Seleucus;* verum *conditor S.* hic ponitur metonymice pro eis quae conditoris sunt. *Corrupta*, διαφθαρθεῖσα, *in*, εἰς. H. e. Seleucenses non re-

sed conditoris Seleuci retinens. trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus: sua populo vis: et quotiens concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnes valescit. Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu. nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est. Tum adventantem Tiridatem extollunt veterum regum honoribus et quos recens aetas largius invenit: simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsacidem, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit. mox consultans, quonam die solemnia regni capesseret, litteras Phraatis et Hieronis, qui validissimas praefecturas obtinebant, accipit brevem moram precantium. placitumque opperiri viros praepollentis: atque interim Ctesiphon sedes imperii petita. sed ubi

cesserunt ab institutis conditoris, ut ad modum circumiectae regionis barbarorum more agerent. Kiesslingius *barbarum* pro masculino habet, τὸν βάρβαρον, quod durius dictum videtur.

spernitur Parthus: ubi etc. Sic edd. Rhenan. sqq. Edd. Beroald. Alc. *spernuntur: Parthus, ubi* etc.

iuxta libertatem. Sic Germ. c. 30. *velocitas iuxta formidinem.* cf. not. ad Hist. 2, 76.

propior est. Ed. Oberlin. operarum lapsu *prior* pro *propior.* Repetierunt idem vitium Weikert. Naudet. Weisius. cf. not. ad c. 37.

materna origine. Freinshemius et Pichena *materna* mutant in *paterna.* Rationes ponunt tales: primo, quia 2, 3. *Arsacidarum e sanguine* Artabanus dicitur. Ernestius bene respondet etiam e filiabus posteros sanguinis nostri esse. Pro testimonio addo locum 4, 52. *imaginem veram coelesti sanguine ortam.* Secundo: quia oppositio non satis constet, quod fuerit per matrem ex gente Arsacidarum, sed degener. Respondeo, oppositionem hic non esse eam, quam illi putant. Concedunt materna quidem origine Arsacidem, non igitur genuinum et purum Arsacidem, Arsacidem tamen; cetera vero degenerem, ut, si ob originem ferri possit, intolerabilis sit, quia degeneraverit moribus. Tertio: quia matres apud Parthos neque darent neque auferrent nobilitatem, ut pateat in Vologese ex pellice Graeca nato 12, 44. Respondeo, pellicem Graecam non esse parem virgini e stirpe Arsacidarum natae et in matrimonium principis viri collocatae. Cambysem non puduit Cyri. Quarto: quia nemo apud Parthos adsumeretur in regnum, ni Arsacides per patrem 6, 31. Respondeo, ex illo loco hoc non consequi. Nam *genus Arsacis* non excludit nepotes filiabus nobili matrimonio oriundos. Ceterum alia etiam sunt indicia, Artabanum materna origine fuisse Arsacidem. Nam 2, 3. ipse dicitur *apud Dahas adultus.* Iam qui potuit apud Dahas adolescere, nisi matre principi viro apud Dahas matrimonio iuncta? Porro secundum locum 6, 36. Artabanus *Hyrcanis Caramaniisque per adfinitatem in-*

diem ex die prolatabant, multis coram et adprobantibus Surena patrio more Tiridatem insigni regio evinxit.

XLIII. Ac si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant: adsidendo castellum, in quod pecuniam et pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. Nam Phraates et Hiero, et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagesem, qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. Isque in Hyrcanis repertus est inluvie obsitus et alimenta arcu expediens. ac primo, tanquam dolus pararetur, territus: ubi data fides reddendae dominationi venisse, adlevatur animum et, quae repentina mutatio? exquirit. tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat, ne-

nexus erat. Quae adfinitas nonne monstrat alienam a puris Arsacidis originem? Quantum igitur video, nil opus est ulla mutatione aut contorta Broterii coniectura, ex qua *materna origine* Arsacidem dixissent, ut spurium indigitarent. Mox ed. Ald. *tapesceret.*

Surena. Dignitas suprema apud Persas (*Großwessir*). cf. Strabo 16., p. 747. Plutarch. in Crasso p. 561. Ammian. 24, 2. 30, 2.

Cap. 43. *dubitatio et omnes.* Noli cum Freinshemio mutare in *dubitatione, omnes*, neque cum Ernestio iudicare sic elegantius fore: immo vitiosum puta. Nam sic opprimenda cunctantium dubitatio ponitur ut non pendens ex illa conditione: *si ... petivisset*, et quasi per se constans. Verum duo hic distinguuntur, quae inde pendebant. Ad *oppressa* intellige *erat*. Nam falso Freinsh. prodidit non facile reperiri in tali oratione subiunctivum vel imperfectum subaudiendum. Vid. not. ad c. 35. et ad 2, 60. Ceterum idem hic est modus dicendi, quem vidimus supr. 4, 9. *si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat.*

adsidendo castellum. cf. 4, 58. *moenia urbis adsidens.* Sic *praesidere* 4, 72. 3, 39. Kritzius (cf. *Allgem. Schulzeit.* 1830. nr. 16. p. 127.) adfirmat *adsidendo* promiscue dictum pro *obsidendo*. Quod multum a vero abest. Verbum *adsidere* significanter exprimit inertem inritamque moram.

haud concelebraverant. Cod. MS. edd. Beroald. Alc. *haci concelebraverant.* Edd. Rhenan. Ald. sqq. *non concel.* Edd. Pichen. sqq. *haud conc.* Heinsius scripturam cod. MS. accuratius perpendi iubet. Consideres, an sit legendum: *gnari non celebraverant.* Nam verbo composito non utique opus est. *Gnari* sunt, quis nuntiatum erat, illum diem capiendo diademati delectum, ut praesto adessent. Faërnus coniecit: *navi non conc.*

Abdagesem. Sic edd. Rhenan. sqq. *Abdacesen* edd. Beroald. Alc. Sed supr. c. 36 et 37. iidem libri veram scripturam sequuntur; item mox in hoc ipso capite.

alimenta arcu expediens. Suet. Iul. c. 4. *expedire pecunias.*

que penes Arsacidem imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia, vim in Abdagesis domo.

XLIV. Sensit vetus regnandi falsos in amore, odia non fingere. non ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus et praeveniens inimicorum astus, amicorum poenitentiam: neque exuerat paedorem, ut vulgum miseratione adverteret. non fraus, non preces, nihil omissum, quo ambiguos inliceret, prompti firmarentur. iamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos et longinquitate itineris fessos, ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse disserunt, proditores nuper hostesque eius, quem rursum foveant. Verum Abdageses regrediendum in Mesopotamiam censebat, ut amne obiecto, Armeniis interim Elymaeisque et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus, et quas dux Romanus misisset, fortunam tentarent. ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagesem et Tiridates ignavus ad pericula erat. sed fugae specie discessum: ac principio a gente Arabum facto ceteri domos abeunt

Cap. 44. *quam dum.* Sic edd. Rhenan. sqq. (non igitur a Mureto profecta est haec scriptura, uti prodidit Oberlinus). Edd. Beroald. Alc. *quantum.*

paedorem. Sic edd. Alc. et Lips. posteriores, Pich. sqq. — Edd. Beroald. Rhenan. sqq. cum Lipsii prima *pedorem.*

propinqua Seleuciae adventabat. cf. Curtius 3, 4, 1. *regionem, quae castra Cyri appellatur, pervenerat.* cf. Ramsh. Gr. § 134. not. 1. p. 239.

perculsus. E castigatione Rhenani. cf. 1, 12. 28. et alibi. Probat Ernestius mira inconstantia; nam 1, 12. pugnaverat pro *percussus*, quod hic est in cod. MS. edd. Beroald. Alc. Micyll. nescio, an recte. cf. not. ad An. 4, 12. Hic non inepte dixeris: *die Nachricht von des Artabanus Rückkehr und sein unerwartetes Erscheinen selbst war ein Schlag für den Tiridates.*

tentarent. Edd. Beroald. Alc. *temptarent.* Ed. Oberlin. vitiose *tentaret*, quod nonnulli posteriorum editorum cum fide repetiere. cf. ad c. 42 et 37.

ignavus. Sic Pichena restituit e cod. MS. — *ignarus* edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. sqq. Saepius utrumque vocabulum confunditur. cf. not. ad Hist. 1, 80.

vel in castra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.

XLV. Idem annus gravi igne urbem adficit deusta parte Circi, quae Aventino contigua, ipsoque Aventino. quod damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis. millies sestertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgum quanto modicus privatis aedificationibus. ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri: eaque perfecta contemptu ambitionis an per senectutem haud dedicavit. Sed aestimando cuiusque detrimento quattuor progeneri Caesaris Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusque nominatione consulum P. Petronius. Et pro ingenio cuiusque quaesiti decretique in principem honores. quos omiserit receperitve, in incerto fuit ob propinquum vitae finem. Neque enim multo post supremi Tiberio consules Cn. Acerronius, C. Pontius magistratum occepere, nimia iam potentia Macronis, qui gratiam C. Caesaris nunquam sibi neglectam acrius in dies fovebat, impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei rettuli, uxorem suam Enniam

Cap. 45., *gravi igne.* cf. Dio 58, 26.

modicus privatis aedificationibus. Heinsius perperam coniecit *privatae aedificationis.* cf. not. ad c. 30.

templum Augusto etc. Sueton. Tib. c. 47. Cal. c. 21. Dio 57, 10. Vellei. 2, 130.

rettuli. c. 20. Iam triplici modo huius loci verba accipi possunt. Alii coniungunt *immittendo amore*, quae ratio parum subsidii habet a loquendi usu. Alii malunt: *impuleratque ... Enniam immittendo*, ut ita accusativus ad utrumque verbum pertineat. cf. not. ad Hist. 1, 64. Tum *immittendo* ponitur pro *immittens*, ut c. 38. *obiectando* pro *obiectans.* Sic *immittere aliquem accusando alicui* An. 11, 1. Ab hac parte stant edd. Alc. Rhenan. Ald. sqq., quae ferunt comma post *immittendo* positum. Sed melius fortasse *impulerat* referemus ad *gratiam*, ut sit impulsum addiderat suae apud Caium gratiae h. e. enixiore et peculiari quadam opera incitaverat, scilicet *Enniam immittendo.* Tum infinitivi *inlicere, vincere* sqq. constructione graeca ponuntur, de qua uberius dicetur ad An. 11, 1. Graeci enim sic ursurpant infinitivum pro ὥςτε c. inf. Ceterum *amore inlicere* dicitur ut *pellexit adulterio* 4, 3. Postremam rationem video et Rothio acceptam in Quaest. Gram. (*Neues Archiv f. Phil. u. Päd.* 1830. p. 29.) — De re cf. Dio 58, 28.

immittendo amore iuvenem inlicere pactoque matrimonii vincire nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. nam etsi commotus ingenio simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat.

XLVI. Gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda re publica primum inter nepotes, quorum Druso genitus sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus: Germanici filio robur iuventae, vulgi studia, eaque apud avum odii causa. etiam de Claudio agitanti, quod is composita aetate, bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obstitit. sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent, metuebat. quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio. Mox incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit, iactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. namque Macroni non abdita ambage occidentem ab eo deseri, orientem spectari exprobravit. et C. Caesari, forte orto sermone L. Sullam inridenti, omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit. simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu, „Occides hunc tu," inquit, „et te alius." Sed gravescente valetudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans solitusque eludere me-

commotus ingenio. Sic 1, 33. *Agrippina paulo commotior.*

in sinu avi. Casaubon. ad Suet. Cal. c. 10. frustra coniecit hic esse legendum *aviae.* Immo vid. c. 20.

CAP. 46. *Gnarum hoc.* Scil. talem Caium esse.

caritate. Sic edd. Beroald. Lips. sqq. *charitate* edd. Alc. Rhenan. sqq.

agitanti .... obstitit. cf. not. ad 11, 3. init. et 2, 76.

composita aetate. Haec est brevitas Taciti. Intellige: *ea* aetate, qua hominum animus compositus et a iuvenilibus adfectibus alienus esse solet.

verterent. Sic cod. MS. edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. *verteret* edd. Lips. Grut. Pichena dein veterem scripturam restituit, quam perperam lacessit Heinsius scribens probum esse *verteret* pro *verteretur.* Sed probum etiam est *verterent* pro *verterentur:* nam duo sunt subiecta.

occidentem ab eo deseri. cf. Dio 58, 28. Simile dictum vid. ap. Plutarch. in Pomp. c. 22. Xiphil. 71, 34.

in patientia. Ad emendandum locum concurrunt viri docti: Muretus vult *impatientia*, Ernestius *intemperantia*, ob locum Sueton.

dicorum artes atque eos, qui post tricesimum aetatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

XLVII. Interim Romae futuris etiam post Tiberium caedibus semina iaciebantur. Laelius Balbus Acutiam P. Vitellii quondam uxorem maiestatis postulaverat: qua damnata cum praemium accusatori decerneretur, Iunius Otho tribunus plebei intercessit. unde illis odia, mox Othoni exsilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo coniurationis indice fuerat, defertur impietatis in principem. connectebantur ut conscii et adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius. de claritudine Domitii supra memoravi. Marsus quoque vetustis honoribus et inlustris studiis erat. sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedisse commentarii

Tib. c. 72.; Crollius *et patientia;* Hillerus *impotentia.* Sed nihil laborat vulgatum. *In patientia* dicitur ut in metu, in gaudio, in tristitia aliaque. Iam in metu fortitudinem, in gaudio tristitiam, in tristitia gaudium simulare est fortitudinem, tristitiam, gaudium simulare, licet intus sis metuens, gaudens, tristis. Ita Tiberius *in patientia* (ἐν μέσῃ τῇ ἀσθενείᾳ, μεταξὺ ἀσθενῶν) *firmitudinem simulat* h. e. praetulit firmitudinem, licet verus status, in quo versabatur, erat patientia. Namque *patientia* hic metonymice ut saepissime dicitur pro iis, quae quis patitur. cf. supr. 6, 1. Senec. Nat. Q. 1, 16. *est aliqua etiam prostitutis modestia, et illa corpora, publico obiecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt.* Id. ep. 78. 82. 97. Vid. Roth. Quaest. Grammat. (*Neues Archiv f. Ph. u. P.* 1830. nr. 3 u. 4.) (*Indem er sich Gewalt anthat, wollte er noch kräftig scheinen.*)

Cap. 47. *Acutiam.* Heinsius corruptum putat nomen. Concedo, sed quis expediet? Ille coniicit *Aquiliam.*

illis. Scilicet invicem.

coniurationis indice. cf. not. ad c. 8.

defertur impietatis. Dio 57, 9. ἀσέβειάν τε γὰρ ἤδη καὶ τὸ τοιοῦτον ὠνόμαζον καὶ δίκας ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἐσῆγον.

ut conscii et adulteri. Converte: *als Mitschuldige auch die Buhlen derselben.* Plerumque *et* volunt esse *und.*

Arruntius. Ed. Beroald. *Aruncius.* Alc. *Arruncius.*

supra memoravi. cf. 4, 75.

suspicionem. Sic edd. Alc. sqq. — Ed. Beroald. *suspitionem*, hic et alibi.

Macronem praesedisse. Exercebat ille tormenta non ex senatus auctoritate, sed e sua et Tiberii voluntate. Quae extorserat, ad senatum mittebantur, quasi re satis explorata et ad sententiam ferendam praeparata. Dio 58, 24. ἀφείθη μὲν γὰρ τῶν αἰτιαθέντων τότε οὐδεὶς, πάντες δ' ἡλίσκοντο, οἱ μὲν πλείους ἐκ τῶν τοῦ Τιβερίου γραμμάτων, καὶ ἐκ τῶν τοῦ Μάκρωνος βασάνων etc.

ad senatum missi ferebant, nullaeque in eos imperatoris litterae suspicionem dabant invalido ac fortasse ignaro ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas in Arruntium.

XLVIII. Igitur Domitius defensionem meditans, Marsus, tanquam inediam destinavisset, produxere vitam: Arruntius cunctationem et moras suadentibus amicis non eadem omnibus decora respondit: sibi satis aetatis, neque aliud poenitendum quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed ut flagitiorum impatiens. Sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis iuventam? an, cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, C. Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus plura per scelera rem publicam conflictavisset. prospectare iam se acrius servitium eoque fugere simul acta et instantia. Haec vatis in modum dictitans venas resolvit. Documento sequentia erunt bene Arruntium morte usum. Albucilla inrito ictu a semet vulnerata iussu senatus in carcerem fertur. stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem

Cap. 48. *moras.* Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Nonnulli libri habent *moram*. *Cunctationem et moras.* Synonyma. cf. Roth. p. 8.

pericula. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Cod. MS. *pericularia*, unde verissime Lipsius coniecit: *pericula varia*.

supremos. Sic edd. Rhen. sqq. Edd. Beroald. Alc. *paucos et suprema principis dies*, quod Rhen. in castigatt. exponit: „paucos dies et pro, id est suprema principis. Appositive." Male. Roth. p. 56. haec accipit ut ἓν διὰ δυοῖν, *paucos supremos dies*.

capessiturum. Ed. Ald. *capescitarum.*

a semet. Ex emendatione Rhenani. Edd. Beroald. Alc. *ac semet.*

Carsidius Sacerdos. Edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. e cod. MS. *Grasidius Sacerdos.* Edd. Ernest. sqq. *Carsidius S.* Vide not. ad 4, 13.

deportaretur. Sic edd. Rhenan. sqq. *deportatur* edd. Beroald. Alc. Victorius in s. ex. corr. *deportaretur.*

senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur. id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur promptus adversum insontes.

XLIX. Iisdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit iacto in praeceps corpore. causa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata adsentationibus atque luxu perpulisset iuvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret. igitur accusata in senatu, quanquam genua patrum advolveretur luctumque communem et magis imbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuventae exiret.

L. Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat. idem animi rigor: sermone ac vultu intentus quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat: mutatisque saepius locis tandem apud promontorium Miseni consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum adpropinquare supremis, tali modo compertum. erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam praebere. is

a laetantibus. Sc. decernuntur. Ne igitur cum Acidalio praepositionem deleas.

Cap. 49. *ad ea, quorum.* Intell. incestum.

advolveretur. cf. not. ad 1, 13.

luctumque communem. Lipsius ad h. l. iocatur verbis: „Anne etiam *lectum?*" Id Ernestius pro emendatione a viro proposita accipiens pugnat pro *luctum*, quod Lipsius non erat erepturus.

diu ferret. *Ferre* de eo, quod quis dicit et dicendo prae se fert, vulgare est. cf. 15, 46. *vetera mala rumoribus ferente populo;* 16, 2. *populus . . . tulere;* 15, 8. Hist. 2, 26. *diu* innuit mulieris loquacitatem, qua in longius extrahebat querelas suas. Hinc frustra laborant in loco emendando. Lipsius vult: *differret;* Boxbornius *dissereret.*

exiret. Ernestius vult *exisset.* Sed cf. not. ad 3, 55. sub verbo *pervenirent*, et ad 2, 42. sub verbo *veniret.*

Cap. 50. *rigor: — intentus.* Edd. vett. male coniungunt: *idem animi rigor sermone ac vultu intentus.*

quamvis manifestam. cf. not. ad 1, 76. sub vv. *quanquam vili sanguine.*

valetudines. Sic edd. Alc. Rhenan. sqq. *valitudines* ed. Beroald.

velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit. neque fefellit. nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. inde cuncta colloquiis inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. XVII. Kal. Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse. et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia C. Caesar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandae defectioni cibum adferrent. pavor hinc in omnes: et ceteri passim dispergi, se quisque maestum aut nescium fingere: Caesar in silentium fixus a summa spe novissima exspectabat: Macro intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet discedique ab limine. sic Tiberius finivit octavo et septuagesimo aetatis anno.

LI. Pater ei Nero et utrimque origo gentis Claudiae, quanquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites. nam proscriptum patrem exsul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis aemulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Caius Luciusque Caesares viguere. etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore erat. sed maxime in lubrico

per speciem officii. Sueton. Tib. c. 72. *cum manum sibi osculandi causa apprehendisset.* Sed ob eum locum non opus est, ut cum Lipsio *officii* mutemus in *osculi.* Nam in osculo id officium est, quod Noster dicit. Bene sic Ernestius.

neque fefellit. Sc. Tiberium.

decimo septimo Kal. Apr. Suet. Tib. c. 73. cum Tacito consentit. Dio 58, 28. *μετήλλαξε τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ.* i. e. VII. Kal. Apr. Zonaras: *εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου.*

finivit. ἐτελεύτησε. Vulgo scriptores addunt *vitam.*

octavo et septuagesimo aet. an. Sueton. l. l. consentit. Dio l. l. *ἐβίω ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ μῆνας τέσσαρας καὶ ἡμέρας ἐννέα.* Aurel. Vict. epit. c. 2. *post septuagesimum octavum annum et mensem quartum.* cf. Tzschucke ad Eutrop. 7, 11. (6.)

Cap. 51. *Pater .... transierit.* cf. Sueton. Tib. c. 3. et Tacit. An. 5, 1.

egit accepta in matrimonium Iulia impudicitiam uxoris tolerans aut declinans. deinde Rhodo regressus vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus incolumi matre: intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.

dein. Sic edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *deinde* edd. Oberlin. sqq. — Perierunt Annalium libri VII. VIII. IX. X et principium libri XI.

Grock et exiremos alta scrutetur Horas
. Hr Deus habet hic vitae filius habet ille viae.
. Ipse omni metus, fors iacent Jerma morati